IN SANCTVM
IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MATTHAEVM COMMENTARIVS.

Authore D. Ioanne Hesselio Louaniensi, Sacræ Theologiæ, dum viueret, Regio Louanij Professore.



LOVANII.
Apud Ioannem Bogardum, Sub Biblijs Aureis Typograp. Iurat. Anno 1572.

PRIVILEGIVM.

Regiæ Maiestatis Priuilegio cōcessum est Ioanni Bogardo, Bibliopolæ Iurato, vt intra sex proximos hosce sequentes annos imprimat quosuis Ioannis Hessels à Louanio, Sacræ Theologiæ (dum viueret) in Academia Louaniensi Professoris libros, tam eos, qui typis excusi sunt, quā qui postmodum excudentur, (è quorum numero est & hic In sanctum Iesu Christi Euangelium secundum Matthæum commentarius). Et simul quoque interdictum est alijs omnibus, quicunque demum illi sint, ne eos imprimant, aut alibi impressos in ditiones Regiæ Maiestatis distrahendos importare tentent, sub grauibus pœnis, quas literæ exprimunt.

Datæ Bruxellis, die 12. Decemb.

Subsig. De VVitte.
Anno *1567.*



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D. GVILBERTO DONGNYES TORNACENSI EPISCOPO.



T Librum hunc tuo nomini dedicarē Antistes amplissime, fecit in primis singularis illa animi tui erga parētem nostrum beneuolentia atque propensio, qua eum nō modò ante susceptam dignitatē istam, sed & posteriùs quoque euidentissima dilectionis & amoris testificatione semper prosequutus es. Quod vel ex eo intelligi potest, quòd cùm frater meus istic ante annos aliquot in Collegio Societatis Iesu bonis literis operam daret, ita adolescentem amplexatus es, vt eū tibi filium adoptare cuperes, datis hac de re non semel ad patrem literis. Pro quo tuo erga nos fauore atq; affectu quātum tibi debeamus, intelligere potius, quàm verbis exprimere possum. Quāquam enim paternus pudor & verecundia nō pateretur oneri se tibi esse, præsertim cùm hic in

Atrebatensi collegio, in quo & ego tunc temporis habitabam, bursam vt vocāt, filio suo nactus foret, grata nobis tamē esse debet tam prompta & vltronea in parentem nostrum pietas & beneficentia: & si notam ingratitudinis effugere cupimus, non verbis tantum, sed & rebus quoque ipsis, aut certè officio aliquo agnoscenda & testificanda, idque non modo priuata, sed & publica testificatione: præsertim cum eodem te animo esse intelligam erga studiosos omnes, in eis nimirum tuendis, fouendis, iuuandisque promptissimo. Quod cùm iamdudum facere in votis esset, nec haberē tamen quicquam tam eximia tanti patroni beneuolentia munificentiaq; dignum, venit tandem in mētem quod scribit ad sodalem suum quidam huius sæculi sapiens:

Donarem pateras, grataq; commodis
Censorine meis æra sodalibus,
Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum: neque tu pessima munerum
Ferres, diuite me scilicet artium
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc hominum ponere, nunc Deum.
Sed non hæc mihi vis, non tibi talium
Res est, aut animus delitiarum egens.
Gaudes carminibus, carmina possumus
Donare, & precium dicere muneri.

Etenim cùm & ego illarum rerum inops forem, & pietatem doctrinamq; tuam scirē non magnopere his delectari, sed sacris potius literis, ac ijs doctorum virorum scriptis quæ ad religionis nostræ studia, & ad dignitatem hanc qua in Ecclesia Dei præsul-

præfulges, exornandam propius faciunt, huius generis munusculum quoddam præparaui, quod etsi meritis tuis, animóque nostro nulla ex parte respondeat, futurum tamen humanitati tuæ non ingratum confido, præsertim vbi & quodnam & quale illud sit probè cognoris. Est autem Commentarius in Beati Matthæi Euangelium, opus planè recens ac nouum, quódque nunc primùm opera nostra in lucem prodit: conscriptum autem à Domino Ioanne Hesselio, summo nimirum illo & incomparabili Academiæ nuper nostræ Theologo: quem celeberrimæ famæ virum tibi & notissimum & charissimum fuisse non dubito, vt in eo commẽdando pluribus apud te verbis opus non sit. Porrò si ab authore commendationem opus meretur, habebit sanè istud longè maximam. Nam etsi non ignorem, neq; diffiteri velim, inter studiorum eius initia enatum formatúmque id esse, dũ videlicet in celebri hic Parcensium monasterio prælectorem ageret, quando necdum ad perfectam & absolutam illam, quam postea consequutus est, rei Theologicæ cognitionem & doctrinam peruenerat: ea tamen est nunc viri illius apud omnes gratia, opinio, & existimatio, vt quicquid ab eo profectum sit, nemo non gratissimè religiosissimèq; excipiat. Sic olim Xeuxis & Apellis tabulas, etiam quæ non haberent eam artis elegantiam quæ pictores illos postea nobilitauit, in magno tamen precio vetustas habuit, non ob aliud, quàm quod à tam egregijs artificibus deformatæ essent. Sic Homeri Batrachomiomachiam magna religione conseruauit posteritas, non tam ob carminis illius eruditionem, quàm quòd profectum ab eo viro putaretur, qui summam eruditionis laudem & commendationem apud omnes obtinebat.

Sed quemadmodum tabulæ ac poëmation illud quanquam longè abessent à reliquorum operum excellentia, non tam procul tamen hinc recesserunt, quin ex talibus initijs quid expectari tandem posset, haud difficilis esset coniectura. Ita & opus istud etsi non omnino eam habeat eruditionem, quam in posterioribus huius authoris scriptis deprehendere licet, planè tamen eiusmodi est, vt ex eo, tanquam mesis ex herba, præclara summâque omnia sperare oporteat. Adeo etiam inter ipsa laborum initia felix sese illud exeruit ingenium. Sed malo de his lectorem iudicare, nolo enim in adornãdo hoc munere nostro prolixior esse, ne nimia commendatio ingrata fiat, atque adeo in suspicionem veniat. Porrò tametsi parum pudens ac decorum esse videatur, de alieno offerre ac liberalem esse, id tamẽ obiectare desinet, quisquis nôrit, quanto nobis labore molestiaq; constiterit hanc æditionem instituisse, præsertim authoris autographo destitutis: illud affirmare ausim, au thorẽ minus in scribendo, quam nos in restituendo desudasse. Qua in parte non est mihi sua laude frustrandus D. Iaspar Simonius Tiletanus, pastor Ecclesiæ Cortracensis, qui exemplar nobis suum liberalissimè communicauit, adeoq; ad huius operis excusionem non parum nos extimulauit. Atq; hanc vnam habes dedicati operis causam: altera est quod summa sit apud bonos doctosque omnes nominis tui gratia, opinio, atque authoritas, nõ tã ob externũ splẽdorem istum, generis dico nobilitatem, stemmatum splendorem, maiorumq; titulos ac imagines, quàm propter insignem in primis eruditionem cum pari pietate, modestia, candore, morumq; suauitate coniunctam. deinde ob singularem in rebus gerendis prudentiam atque indu-

ſtriam: in arduis autem rebus aggrediendis, moleſtiſque perpetiendis fortitudinem Epiſcopo dignam: in Eccleſia verò gubernanda & adminiſtrandą curam, ſtudium, ſollicitudinem multò maximam, vt ſumma hæc præſulatus dignitas non ſolùm te ipſa exornet decoretq́ꝫ, verùm etiam quod in Oniæ filio ſcriptura commendat, plurimū ipſa ſplendoris & gloriæ à virtutibus tuis viciſſim accipiat, iamque apud multos non tam ipſe ob cathedram quàm illa ob inſidentis virtutes apud quos in contemptum venerat, magnæ nunc venerationi eſſe incipiat. Id demum ſanè eſt quod ait Apoſtolus, miniſterium ſuum honorificare. Cùm itaque librum hunc exire cuperem quàm ornatiſsimum, nec ſufficere illi hoc ſæculo authoris ſui nomen commendatioque videretur: tùm quod vnus is eſſet, tùm quod nullius de ſeipſo reciperetur teſtimonium: ſed externum præterea ſubſidium accerſendum foret, id non aliundè mihi commodius quàm à celſitudinis tuæ amplitudine, virtutúmque ſplendore petendum eſſe iudicaui, certiſsimè perſuaſus, addita ad Heſſelij nomen tam gratioſi laudatique Præſulis inſcriptione, tantùm huic operi gratiæ ſplendoris & ornamenti acceſſurum, vt iam hominum oculos & publicum formidare amplius nihil debeat. Hanc ergo alteram ob cauſam librum hunc ad te mittere viſum eſt: quod vt facere auderemus ipſa nos tua inuitauit expoſita omnibus humanitas. Accipies itaque ornatiſsimè Præſul chartaceum munuſculum, partim quidem gratitudinis ergo, vt nos intelligas tuorum erga nos beneficiorum eſſe minimè immemores: partim verò vt quod offerimus in tutelam tuam recipere digneris, & communicato nominis tui ſplendore ac authoritate, gratiam,

Eccle.50

Rom.1.

gratiam fauorémque ei apud studiosos omnes cōcilies. Quod si abs te impetrare poterimus, neque laboris neque consilij huius nostri nos pœnitebit. Quod vt facere digneris etiam atque etiam rogo. Incolumem te diuque florentem Ecclesiæ suæ Dominus Iesus conseruare dignetur. Louanij, ex secundo Theologorum Collegio.

R. P. V. *addictissimus.*
Henricus Grauius Louaniensis.

PRAEFA-





PRAEFATIO.



RIVSQVAM ad explicandum Matthęi Euangelium accingamur, operepretium fuerit aperire prius, quis eius fuerit ac cæterorũ Euãgelistarum in scribendo scopus, mens, & cõsiliũ: deinde quodnã sit inter eos discrimen ac differẽtia. Id enim ad rectam eorum intelligentiam haud parum profuerit. Matthæus igitur toto hoc libro suo id agit, vt doceat Iesum Mariæ filiũ Christũ esse & illũ Messiam quem ad humanũ genus, à peccatis & æterna morte redimendum, Lex & Prophetæ venturum esse promiserunt. Non fuit autem eius propositum & primarius finis tradere historiam, & res ab eo gestas describere: alioqui enim multò plura referre potuisset, nunc autem ea tantum collegit quę sufficere existimauit, ad declarandum, quòd quę per Legem ac Prophetas de Christo erant prædicta, ea omnia in Iesu completa essent. Idem est & cæterorum etiam Euangelistarum argumentum. Hinc Ioannes in libri sui calce. Sunt & alia (inquit) multa quę fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ nõ sunt scripta in libro hoc. Vbi se ostendit minimè conatum

Quis euãgelistarum in scribendo scopus

Ioan. 21.

esse factorum Christi historiam contexere: sed institutum suum aperiens, subdit: Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credẽtes vitã habeatis in nomine eius. Id est: tam multa ex Iesu historia vitaq́ collegi, vt satis superq́ ostenderim, ipsum esse Christum promissum, per quem credentes vitam æternã consequamini. Sic & Lucas in Euãgelij sui proœmio ait visum sibi fuisse scribere narrationẽ rerũ, quę in nobis cõpletæ sunt. cõpletæ inquã, secundum quod erant in lege ac prophetis promissæ, q. d. Propositum mihi est ostendere completum esse in Iesu quicquid & Lex & Prophetæ de venturo Messia multo ante prædixerunt. Marcus quoque ita euãgelium suũ exorditur, Initiũ euãgelij Iesu Christi, filij Dei. Cuius hic est sensus, Scribẽdum hic suscepi lætum nuntium, quod nimirum promissus ille Christus & Messias Dei filius, sit Iesus de Maria natus, qui venerit ad saluandum genus humanum. Quin & ipse Matthæus, Liber (inquit) generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Hoc est. Audistis in lege & Prophetis venturum esse Christũ ex Dauidis & Abrahæ progeniæ ad peccatores saluandos: eum ego nunc vobis & natum esse, & in mundo ad salutem hominum conuersatum, atque adeò illum esse, qui Iesus dictus est & de Maria genitus, in hoc libro meo demonstrabo. Est igitur vnus hic Euangelistarum omnium scopus describere Iesu historiã, vt ex ea intelligatur verus esse Messias & Saluator hominum, iam olim in lege & prophetis promissus. Cæterum non esset Iesus saluator, nisi & mediator foret inter Deum & homines, vtramq́ habens naturam, & humanam & diuinam. Ex harum autem in Christo diuersitate, oritur differentia inter Ioannis & trium cæterorum Euangelia. Ille enim ita Christi narrat hi-

ſtoriam, vt diuinitatem eius potiſsimum commẽdet, vnde & ab ea euangelium ſuum auſpicatur: In progreſſu autem ſublimiora quæq; perſequitur: definit verò in incomprehenſibili eiuſdem maieſtate dicens mundum non poſſe capere libros, ſi Chriſti facta per ſingula ſcribantur. Quò factum videtur vt nec aſcenſionis Chriſti meminerit, eò quòd diuinitas Chriſti cœlo non comprehendatur vtpote vbique exiſtens. Vide Auguſtinum de conſenſu euangeliſtarum lib. 1. cap. 4. & 5. & lib. 4. cap. vltimo. Reliqui verò tres euangeliſtæ, quanquam diuinitatem etiam Chriſti commendent: tamen ijs maximè immorantur, quæ pertinent ad declarandam eius humanitatem: Vnde conuenienter in viſione Ezechielis & Ioannis deſignatur Ioannes ipſe per aquilam, tanquam ſuper humanæ infirmitatis nubila volitãs & lucem veritatis incommutabilis acutiſsimis atque firmiſsimis oculis cordis intuens. Reliqui verò tres, deſignantur per animalia quæ in terra gradiuntur, nec volare in altũ poſſunt, vtpote in ijs præcipuè occupati quæ Chriſtus in carne operatus eſt, & in explicandis exigendæ mortalis vitæ præceptis, quæ carnem portantibus tradidit. Vnde etiam conuenienter in Ezechielis & Ioannis viſione aquila conſtanter locum quartum & inter quatuor animalia poſtremum obtinet: Reliqua tria ſtabilem non habẽt ordinem, ſed eorum quodlibet, nunc primum eſt, nunc ſecundum, nunc tertium quia videlicet diuinitas Chriſti ad quam poſtremum admittemur immutabilis eſt, in humanitate verò Chriſti fuit mutatio. Porrò in humana natura Chriſtus rex eſt & ſacerdos: ſacerdos quidem ad nos expiãdos, rex ad regẽdos. In ſacerdotio Chriſti exponendo maximè eminet Lucas vnde & appoſitè per vitulum ſiue bouẽ (qui eſt ſacerdotis victima) deſignatur. Euangeliũ enim

Diſcrimen Euangeliſtarũ inter ſe.

Ioan. 21.

Ezech. 1. & 10.

Apoc. 4.

ſuum incipit à ſacerdote Zacharia, ſacerdotio in tẽplo fungente: Mariam cognatam tribui ſacerdotali dicit, atque ita aliquo modo Chriſtum ad ſacerdotalem ſtirpem pertinuiſſe, recenſet cantica ſeu pſalmos Zachariç, Mariç, Simeonis, encomium Elizabeth, quo matrem Domini Mariã celebrauit: pſallere autem Domino, ſacerdotum eſt. Refert præterea & hymnum angelicum, Chriſtum oblatũ Domino in tẽplo, & hoſtias pro eo datas Deo, matrẽ purgatam ſacerdotum miniſterio, Annam in templo perſeuerantem, Chriſto teſtimonium perhibuiſſe: Simeonem in templo eum agnouiſſe, ac parentibus eius benedixiſſe, Chriſtum ſingulis annis in feſto Paſchæ ad templum veniſſe, eum in templo ſediſſe ſacerdotum doctrinam audientẽ. Verbum quoque Domini dicit factum ſuper filium ſacerdotis, ſub principibus ſacerdotũ Anna & Caipha, latius etiam cæteris explicat ſermones Ioannis baptiſtæ, ſciens ad ſacerdotes pertinere concionandi officium. Genealogiam Chriſti recenſet, at non per regalem ſtirpem: dicit Chriſtum in Synagoga lectoris functum officio, deſcribit vocationem ſacerdotum nouç legis, piſces captos miraculo, ruptumq́; rete: Septuaginta quoque diſcipulos ad prædicandũ miſſos dicit. Frequentiſsimè Chriſtum deſcribit (quod propriè ſacerdotum eſt) orantẽ vt ca.5. Secedebat in deſertũ & orabat, ca.6. Erat pernoctans in oratione Dei. cap.9. Cùm ſolus eſſet orans: & ibidẽ, Aſcẽdit in montẽ vt oraret & ca.11. Cũ eſſet in quodã loco orãs. ca.22. dicitur prolixius oraſſe vſq; ad ſanguinẽ, & in cruce vbi maximè ſacerdotẽ egit, nõ inducit Chriſtũ conquerẽtẽ quod ſit derelictus, aut quod ſitiat, aut cõſolantẽ matrẽ: ſed orãtẽ pro crucifigẽtibus ſe, vt conſolantẽ quẽdam ſecum morientem, eumq́; peccatorem ac latronem: & quod maximè ſacrificantis eſt, animam

ſuam in manus patris offerentem. Idem quoq; prę cæteris explicat doctrinam Chriſti, de oratione, vt patet cap. 11. & 18. tot propoſitis parabolis: ſingulariter autem ea proſequitur quæ concernunt dulciſſimum Chriſti amorem erga conuerſionem peccatorum vt patet cap. 7. de muliere peccatrice: ca. 9. de non perdendis igne cœleſti Samaritanis: cap. 10. In ſuauiſsima parabola Samaritani medentis vulnerato: cap. 12. dum conqueritur Chriſtus differri mortem ſuam & per conſequens ignē S. ſancti: cap. 13. in hiſtoria Galilæorum occiſorum à Pilato, & in ſequenti ficus parabola: cap. 15. in tribus dulciſsimis parabolis: cap. 18. in hiſtoria Publicani, & Phariſæi: cap. 19. in hiſtoria Zachæi: cap. 22. in reſpectione Petri: & 23. in ſuſceptione latronis & oratione pro inimicis. Huc ſpectat quod Lucas toties inculcat Chriſtum eſſe ſaluatorem hominum, vt cap. 4. in prophetia Eſaię, quæ eſt maximè peccatoribus conſolatoria: & cap. 5. virtus Domini erat ad ſanandum eos: & cap. 6. Virtus de illo exibat & ſanabat omnes: cap. 10. in parabola Samaritani: c. 19 Venit filius hominis quærere & ſaluũ facere quod perierat: & ibidem legitur fleuiſſe ſuper peccatores. Ponit Lucas ca. 17. Chriſtum ad ſacerdotes miſiſſe decem leproſos: & cap. 16. docet vt Moyſes & Prophetæ audiantur. Ipſe præ cæteris latius deſcribit vltimam cœnam Chriſti dicens, Chriſtum dixiſſe Deſiderio deſideraui &c. Docēs etiam vſque ad finem ſæculi hoc ſacrificium frequentandum, Hoc facite (inquit) in meam commemorationem. Ipſe inducit Chriſtum Cleophæ, & ſocio eius explanaſſe Scripturas Moyſi, & prophetarum: & aperuiſſe Apoſtolis ſenſum vt intelligerent ſcripturas Moyſi, prophetarum, & pſalmorum. Explanare autem ſcripturas, ſacerdotis officium eſt. Cum cæteri narrent Chriſtum poſt reſurrectionem primo ap-

paruiſſe mulieribus,ipſe illis omiſsis refert eũ apparuiſſe Simoni Petro ſummo futuro ſacerdoti. Ipſe dicit Chriſtum eleuatis manibus benedixiſſe apoſtolos,quod eſt officiũ ſacerdotis. Perducit autẽ euangeliũ vſq; ad aſcenſionẽ in cœlũ, vt oſtendat Chriſtũ pro nobis introijſſe in cœlũ tanquã in ſancta ſanctorũ,vt vbi tanquã pontifex appareat vultui Dei pro nobis,& interpellet pro nobis,ſicut dicit Apoſtolus ad Hebręos. Sicut autẽ Lucas incœpit euangeliũ ſuũ ab ijs quæ acta ſunt in tẽplo,à ſacerdote veteris teſtamẽti,ante Chriſti cõceptionẽ, ita illud finit his quæ noui teſtamenti ſacerdotes poſt Chriſti aſcenſionem in templo gerunt, dicens eos ſemper fuiſſe in templo,laudantes,& benedicẽtes Deũ:quæ ſanè ſacerdotalia ſunt:& more Eccleſiaſtico per amen finit euangelium.Huc etiam ſpectat,quod per totum euangelium ſuũ libenter vocat Chriſtum Dominũ. Chriſtus enim ſpecialiter eſt Dominus noſter,quia pretio ſanguinis ſui ſe ſacrificando nos ſibi emit. Satis igitur ex his conſtat Lucam optimè deſignari per vitulum.Sed difficilè eſt videre,vtrum animal tribuẽdum ſit Matthæo, homóne an Leo,propter diuerſas hac de re doctorum ſententias.Hieron.enim(quem etiam pictores in hoc ſequuntur)Matthæo tribuit hominẽ, Marco leonẽ.Sed Auguſt.lib.1.de conſenſu euangeliſt. Matthæo tribuit leonẽ,Marco hominẽ, quem ſequitur Venerabilis Beda in procemio commentariorum in Lucã,& in Apocalypſim.Hanc ſententiã tanquã probabiliorẽ, nos amplectemur, & reddita ratione explicabimus. Nã Auguſt. in attributione iſtorum animalium,conſiderat non tantum exordia quatuor horum euangeliorum: quemadmodũ facit Hieronymus, ſed totum eorum corpus, ac ſcribentium intentionem, quæ magis ſunt attendenda quam nuda librorum initia. Per Leonem igitur

Heb 9.

Procemio in Matthæũ & Ezech. cap. 6.

igitur designatur Christus, quia quemadmodum Leo fortisſimus eſt beſtiarum: ita & ipſe potentiſſimus eſt victor, Rex omnium qui nos regit,& ab hoſte maligno defendit. Vnde in Apocalypſi, dū commemoratur regia tribus Christi, & eius victoria Leo dicitur: Vicit (ait Ioannes) Leo de tribu Iuda. Quemadmodum & in Geneſi vbi Deus naſciturus prædicitur de tribu regia: Oſtēdamus itaque Matthæum deſcripſiſſe Chriſtum præcipuè vt potentiſſimum Regem, quo manifeſtum fiat Leonem eſſe illi attribuendum. Deſcribit itaque Regiam Christi ſtirpem, eum ſtatim filium Dauidis appellans: & dum Dauidem (cuius ſedem regalem Chriſtus accepit)in Genealogia commemorat; notanter nomen Regis ei adijcit, Dauid àutem Rex &c.nec per Nathan qui Rex non fuit, ſed per Salomonem Genealogiam contexit. Deinde Genealogiam diſtinguit in tres theſſeredecades quia regimen, ſiue gubernatio populi, ter fuit mutata. cap.5. cap.49.

Primo enim fuit ſub iudicibus, Secundo ſub Regibus,Tertio ſub Ducibus: donec venit Chriſtus, qui fuit Dux, Rex, & Iudex. Ad hæc reddens rationem nominis Ieſu: Ipſe (inquit) ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, hoc enim regium eſt; populum ſaluum facere. Profert etiam prophetam dicentem Chriſtum vocandum Emanuel, quod eſt nobiſcum Deus. Decet enim Regem populo ſuo adeſſe, quod Chriſtus fecit cùm factus eſt homo, vt in conſubſtantiali nobis natura, regnaret ſuper nos. Capite ſecundo deſcribitur natus in diebus Herodis Regis, & eidem formidini eſſe. A magis ex oriente venientibus quæritur recens natus Rex Iudæorum: Ipſe Dux populi Iſrael recturus populum à Michæa prædicitur, tanquam Rex ado-

ratur,& aurum ei offertur, Regem cœli se demō-strat,nouam stellam in ortu suo apparere faciens, Regem Herodem fugit Ioseph: Archelaum Regem timet:ab impio Rege masculi infantes trucidantur. Capite 3.annunciatur à Ioanne Baptista regnum cœlorum,similiter & à Christo cap.4. quæ à Luca sunt prætermissa. Cum imperio dicit Christus diabolo,vade Sathana, accedunt ad eum Angeli,eiq; tanquam Regi suo ministrant. Cap.5. describit latißimè beatitudines,quibus ad regnū peruenitur, in prima & vltima beatitudine nomen etiam regni cœlorum exprimens,atq; in hoc capite,ac duobus sequentibus latius cæteris præcepta legislatoris Christi prosequitur, dicens eum cum authoritate dixisse,Ego autem dico vobis:& dum per Hierosolymam peierare prohibet, magni Regis meminit, multaq; de præmijs ac pœnis disputat. Regis enim est præmium retribuere,ac punire.Cap.9.exigit à cœcis vt confiteantur quod possit eos sanare,à quibus dicitur inuocatus tanquam filius Dauid. Libentißimè autem Matthæus toto paßsim libro suo, inducit mentionem extremi iudicij,& pœnarum inferni, gaudij cœlestis & eiectionis Iudæorum, quæ omnià ad regiam Christi potestatem pertinent, vt supra cap.4.& tribus sequentibus.Rursus cap.8. Dico,inquit vobis,quod multi ab oriente & occidente venient &c.Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Cap.10. Tolerabilius erit terræ Sodomorum &c.Et ibidem: Qui perseuerauerit in finem saluus erit: Et rursum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam:& infra,mercedem Prophetæ accipiet. Cap. 11. Tyro & Sydoni remißsius erit in die iudicij &c. Cap.12. Reddent de eo rationem in die iudicij. Viri Niniuitæ surgent in iudicio &c.Et cap.13.insignes duas

parabolas proponit de Zizanijs,& Sagena missa in mare,ad extremum pertinẽtes iudicium: vbi meminit separationis iustorum ab impijs,bis meminit camini ignis,& fletus & stridoris dentium,vbi etiam ponit præmium iustorum. Tunc,inquit,iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum &c. Adducit ad declarationem præmij duas parabolas de thesauro abscondito in agro,& de pretiosa Margarita. Rursum cap.18. Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem & claudum &c. vbi etiam adfert insignem parabolam hominis Regis qui ponit rationem cum seruis,& seruum immisericordẽ tradit tortoribus,&c. Et cap. 19. Illustre præmiũ habet eorum,qui sequuntur Christum,quod sedebũt in die iudicij tanquam iudices: Cap.21. Solus parabolam illam narrat de duobus filijs, qua Iudæorum reiectio significatur. Et in sequenti parabola solus habet auferendum ab ijs regnum Dei, &c.

Cap. 22. Solus iterum recitat parabolam ad excidium Iudæorum pertinentem, vbi rursus commemorat pœnas inferni,ligatis(inquit)manibus & pedibus &c. ponitq; hanc parabolam sub nomine Regis. Cap.23. Grauissimas habet comminationes, identidem inculcans. Vę vobis,& concluditur caput reiectione Iudærum. Cap.24. Rursus inculcatur illud, Qui perseuerauerit vsque in finem &c.& toto illo capite nihil aliud quam Iudaicum excidium,& futurum iudicium pronuntiat. Cap.25. duæ sunt insignes parabolæ ad declarandum terrorem extremi iudicij & præmia iustorum, concluditurq; caput diserta ipsius iudicij, æterni in æterno igne supplicij, & vitæ æternæ descriptione: vbi & Iudex Regis nomine appellatur. Tunc dicet Rex &c. Cap. 27. Solus ponit horribilẽ reprobationem Iudæorũ, & in sui condemnatione clamasse Iudæos, Sãguis eius super nos. Narrat etiam luben-

Iubenter Matthæus illa miracula Christi, quæ facta sunt pluribus, & sæpissimè vna narratione multa miracula conglomerat, Regiũ enim est multis benefacere, & Rempub. saluare. Sicut cap. 4. circuibat Iesus totã Galilæã, sanans omnẽ languorem, & omnẽ infirmitatẽ in populo &c. & obtulerũt ei oẽs male habentes, & c. 8. obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & oẽs male habentes curauit: Et eodẽ cap. narrat, duos dęmoniacos curatos à legione dęmoniorũ: Cũ Marcus & Lucas pręcipuũ dęmoniacum, tantum ponant. Et ca. 9. Solus ponit duos cœcos illuminatos à Christo, & subdit, circuibat Iesus omnes ciuitates & castella &c. curans omnem languorẽ &c. Videns turbas misertus est eis, quia erant vexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem. Et cap. 12. sequuti sunt eum multi, & curauit eos omnes, vbi allegatur prophetia Esaię. Et dicitur Christus nuntiaturus gentibus iudiciũ, & gentes in nomine eius speraturas, & quod eijciet ad victoriam iudicium, designaturq; clemẽtia Regis dum dicitur, arundinem quassatã non confringet, sicut & capite superiori vocat ad se omnes laborantes, & oneratos, promittens requiem omnibus volentibus iugum eius tollere, hoc enim planè regium est omnes confugientes ad se refocillare. Capite 14. obtulerunt ei omnes male habentes, & quicunq; tetigerunt fimbriã vestimẽti eius &c. Vbi etiã ante narrauit, quod Christus aduerso vẽto laborantibus subuenit tribuens etiam Petro, vt ambulare posset super mare. Et cap. 15. accesserunt, inquit, ad eum turbæ multæ, & curauit eos ibi, & capite 20. Dicit duos cœcos illuminatos à Christo, cum alij vnum tantum ponant. Capite 21. Dicit in templo cæcos & claudos sanatos ab eo. Similiter cap. 28. Dicit Christum multis mulieribus apparuisse: cum alij Euangelistæ Marcus, & Ioannes nõ memi-

meminerint nisi apparitionis factæ Magdalenæ: Inculcat etiam Matthæus apparitionem Christi in Galilæa, prætermissa apparitione facta in Hierusalem, quia apparitio in Galilæa fuit magis frequens. Capite 16. & 18. Solus Matthæus ponit Petro & alijs Apostolis, datam esse potestatem ligandi & soluendi: Quæ potestas planè regia est, quam Ioannes post resurrectionem ponit quia planè diuina est hæc potestas. Promittitque Petro claues regni cœlorum, id est, regimen Ecclesiæ sicut Ioannes dicit Petro datam esse potestatem regendi, quia regere populum christianum in his quę ad religionem spectant, diuinum & regiũ est. Promittit insuper quod portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam: Regis enim est omnes aduersarios populi sui debellare. Cap. 17. Ostendit Christus se esse filium Regis Regum. Ideoq; se longè magis debere esse exemptum à censu soluendo, quàm sunt filij Regum terræ. Capite 20. Ponit præmia operariorum quibus pro beneplacito suo dat paterfamilias æquale stipendium quamuis inæqualiter laborauerint: Regium enim est hoc, vel illud pro placito suo dare. Solus illud bis habet 8. scilicet & 22. cap. Multi sunt vocati, pauci electi ad declarandam Christi maiestatem. Magnę enim potestatis est vocare & pro tuo arbitratu quos velis eligere: Cap. 21. Recenset prophetiam de Rege mãsueto, quę extat etiam apud Ioannem. Cap. 26. Solus refert Christo adesse posse plusquam 12. legiones angelorum. Ponitur ibi etiam vltio eximentium, & percutientium gladio. Cap. 27. Ponit præ cæteris Euangelistis Christo arundinem datam esse in dextera tanquam sceptrum regale. Solus etiã ponit terram motã, sepulchra aperta, petras scissas, & munitionẽ publicę potestatis circa sepulchrum. Ipse solus dicit cum Ioanne Christum emisisse

vel

vel tradidisse spiritum: quod planè significat diuinam potestatem & regiam, cum alij Euangelistę Marcus & Lucas, simpliciter dicant Christum expirasse &c. Cap. 28. Solus ponit terribilem terręmotum, aspectu angeli custodes turbatos, ac mentientes, & corruptos à populi rectoribus, & in fine regnum Christi quasi describens, data est mihi (inquit) omnis potestas &c. Et sicut in principio euãgelij sui dixit Christum vocatum Emanuelem, quod nobiscũ factus sit Deus assumptione humanę naturæ: Ita in fine Euangelij sui dicit Christum promisisse quod nobiscum erit, tanquam Rex pius & potens vsque ad consummationem sæculi.

Ideo autem Matthæus non perducit historiam vsque ad Christi ascensionem, sicut neque Ioannes quia regnum Christi cœlo non concluditur sed ęquè in terris regnat, & in cœlis. Hactenus explicauimus quòd à Matthęo Christus describatur, vt Rex noster, liberator, & protector: eoq́ rectè illi Leonis tribuatur effigies. Superest quartũ animal, homo videlicet, Marco nimirum asignandũ: Nõ quasi Matthæus & Lucas non describãt Christum vt hominem: sed cum id hi tres ex æquo faciant, & Matthæus, quidem ac Lucas aliquid eminentię in humana natura Christo attribuant, regnum videlicet & sacerdotium, nihil autem peculiare Marcus præ Matthæo & Luca, hinc factum est vt homo cesserit Marco, tametsi tribus omnibus commune animal: Solet enim species, vbi proprium ei deest, generis nomẽ accipere. Quia autẽ Christus secundũ humanã naturã, & rex est, & sacerdos: hinc appositè Marcus collocatur inter Matthęũ & Lucã & quãuis plurima habeat cũ solo Matthæo, multa tamẽ cũ solo etiã Luca, docens Christum hominẽ esse simul & Regem, & sacerdotem: neque tamen regnum eius peculiariter commendans, vt mattheus,

thæus, neque ſacerdotium vt Lucas. Quod verò cum Matthæo plurima de Chriſti regno dicat, ſatis eſt manifeſtum: declaremus ergo quid cũ ſolo Luca deſcribat. Et imprimis quidem quod habet cap. 1. de homine dæmoniaco in ſynagoga curato, & de eius doctrinæ admiratione, quæ haud dubiæ eſt ſacerdotis: & de euangelizãdo alijs ciuitatibus. Toto cap. 5. Lucæ quam Matthæo ſimilior eſt. Ca. 9. refert cum ſolo Luca, quod prohibuerit cuidam Ioannes ne faceret miracula. Cap. 10. In illuminatione cœci magis ad Lucã accedit, quam ad Matthæum. Cap. 12. Refert hiſtoriam viduæ quadrantẽ in templo offerentis. Cap. 14. Cum Luca ponit hominem portantem lagœnam aquæ, Chriſtumq́ à miniſtris Iudæorum velatum. Denique cap. vltimo cum Luca recenſet apparuiſſe Chriſtum poſt reſurrectionem, duobus diſcipulis euntibus in Emaus, ac deinde in cœlũ aſcendiſſe. Ideo autẽ hiſtoriã ſuã ad Chriſti aſcenſionẽ vſque perducit quod Chriſtum ſimpliciter deſcribat ſecundum humanam naturam, ſecundum quam exiguo loco in cœlo circunſcribitur. Vt ergo nobis vbi ſit Chriſtus ſecundum humanam naturam, dicit eum corporaliter in cœlo eſſe in ſumma fœlicitate, & gloria. Quemadmodum autem euangelium ſuum exorſus eſt à Ioannis prædicatione, quia cœpit Chriſtus in Iudæa innoteſcere: ita & claudit illud apoſtolorum prædicatione & miraculis, quibus vniuerſo orbi paulatim inclaruit. Quod enim Ioannes Iudęis, hoc gentibus fuerunt Apoſtoli. Atque hactenus quidem de animalibus, quod cui tribuendũ ſit. Pulchrè autem apud Ezechielem quodlibet quatuor animaliũ, quatuor habet facies, quia quilibet euangeliſtarum, quatuor hæc ſcribit de Chriſto, quod ſit Deus, homo, rex, & ſacerdos, quamuis ſinguli in vno reliquo eorum declarando magis ver-

verſentur. Eleganter item ab Ezechiele, & Ioanne, dicuntur omnia in iſtis animalibus plena oculis ante & retro, intus & extra: quia nihil eſt in euãgelijs quod non luceat & ſplendore ſuo illuminet mundum, vt etiam quæ parua putantur & vilia plena ſint intelligentia & ſpiritus ſancti fulgeant maieſtate. Per oculos enim deſignatur illuſtratio ſpiritus ſancti ſpiritualis intelligentiæ, ſicut patet Zachariæ 3. & 4. Deſcribuntur etiam hæc animalia alata eſſe, & pennata, nec ceſſare à laude Trinitatis, neq; reuerti vnquam dum ambulant: quia per totũ orbem volitant, & omnes inceſſanter ad cõfeſsionem & laudem excitant Trinitatis, ſequenteſq; impetum ſpiritus ſancti, ſemper ad futura faciunt feſtinare, ne ad omiſſa ſemel temporalia reuertamur. Sub quatuor iſtis animalibus dicitur eſſe manus hominis, quia gratia Chriſti incarnati ſubleuat euangeliſtas, vt per totum orbem diſcurrant. Planta quoq; pedis eorũ, dicitur eſſe quaſi planta pedis vituli quia oĩa eorũ in ſacerdotio & ſacrificio paſſionis Chriſti fundantur. Pulchrè etiam aquila inter quatuor ſupremo loco ponitur: quia Chriſti diuinitas ſuper omnia ſemper eminet, quæ ad humanam eius pertinent naturam. Leo & homo dexteras tenent, quia Chriſtus in gloria ſua ſemper homo erit, ſemperq; regnabit: Bos autem in ſiniſtris conſtituitur quia per miſeriam ſuam, quam in cruce, dum ſacerdotem ageret ſuſtinuit, nos à peccatis expiauit & poſtquam aduenerit futurum ſeculum, & ſiniſtra mortalis vitæ tranſierit, neminem amplius per ſacerdotium ſuum ad pœnitentiam vocabit, nec à peccatis ſuis expiabit. Hæc de ſanctiſsima quatuor animalium viſione dixiſſe ſufficiat. Nunc Matthęum loquentem audiamus.



COMMENTARIVS IN EVANGELIVM SECVNDVM MATTHAEVM, AVTHORE D. Ioanne Hessélio S. Theologiæ Professore.

IN CAPVT PRIMVM.



IBER *generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham* Hebręi frequẽter libros quos scribũt ab eo nominant, quod in prĩcipio tractatur: vt visio Esaiæ filij Amos. *Esaiæ* 1. Hunc morem Matthæus Iudæis scribens lituat vocans euangelium suum librum generationis, cum tamen primo capite tantum, agat de generatione Christi. *Christus* nomen græcum est quod Hebraicè Messias dicitur, latinè autem vnctus: nomen conueniens filio Dei secũdum humanam naturam, inquantum fuit vnctus à spiritu sancto præ oĩbus hominibus, vt esset Rex omniũ *Psal.* 44 electorũ Dei & sacerdos, per quẽ omnes electi expiarẽtur. Nã hæc duo hominũ genera Reges & Sacerdotes in veteri lege solenniter vngebantur. Ab *Leuit.* 8. hoc nomine appellamur Christiani, quasi dicas *3. Reg.* 19 vncti-

vnctićij, id eſt, aliqua parte vnctionis illius qui plenè fuit vnctus ſeu delibutus ſpiritu ſancto, cōſortes. *Filij Dauid.* id eſt, Ex progenie & poſteritate Dauid, ſecundū quod ei fuit promiſſum: de fructu ventris tui ponā ſuper ſedē tuā: de qua promiſsione Iudæi omnes ſatis erant edocti. *Filij Abraham*, id eſt. Qui Chriſtus etiā filius eſt Abrahæ, cui etiā eſt promiſſus, dum dictum eſt ei: In ſemine tuo benedicētur omnes gentes ſ. benedicendæ. Non rectè quidam hoc ad Dauidem referunt vt is Abrahæ filius hic dicatur: Id enim nihil ad rem præſentem facit, nec quicquam habet energiæ, vt prius illud, quo Chriſtus etiam Abrahæ promiſſus inſinuatur.

Abraham genuit Iſaac. Mirantur interdum quidam hanc Chriſti genealogiam in miſsis quibuſdā Beatæ Virginis euangelij loco recitari: propterea quod aliud nihil quam diuerſa nomina habeat, nec admodum ad pietatem excitare videatur. Sed ſi cogitemus quam ardens fuerit horum & qui eis coætanei fuerunt aduentus Chriſti deſiderium, facilè intelligemus non ſine fructu pietatis, & recitari & audiri poſſe. *Iudam & fratres eius:* Quæritur quare meminerit fratrum Iudæ, cum & Iſaac fratrem habuerit Iſmaelem & Iacob Eſau, quorum non meminit. Reſpondeo ideo id factum ab eo eſſe, quod poſteri 12. Patriarcharum, quorū non meminit participes etiam fuerint promiſsionis Chriſti, et de Dei populo, non item Iſmael et Eſau. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Horū meminit euangeliſta ob ſingulare myſteriū, quod
Geneſ. 38. in eorum partu fuit ſignificatum, ſcilicet Iudæorū et gentium. Iudæi per Zaram intelliguntur, qui vt ille, ad ſeruiendum Deo manū protulerunt priores, ſed coccinum ligatum in manu habuerunt, id eſt, ſanguinem pretioſum Chriſti, ſicq; retraxerunt ſe à ſeruitute Dei et nondum nati ſunt, ſed in fine tandem

tandem sæculorum ad fidem nascẽtur. Sed Phares, populus gentilis prior egressus est quia doctrinę euangelicæ se prior subiecit.

Phares autem genuit Esron. Hieronymus notandũ ait in Genealogia saluatoris nullam assumi sanctarum mulierum, sed tantum eas quas Scriptura reprehendit, vt qui propter peccatores saluandos venerat, de peccatoribus nascens omnia peccata deleret, vnde & in consequentibus Ruth Moabitis ponitur & Bethsabea vxor Vriæ, cùm dicitur ex ea quæ fuit Vriæ. *Aram.* Fuit hic in AEgypto natus, vt & Aminadab pater Elisabeth vxoris Aaron Naasson item & Salmon, vnus inter principes populi Israel. *Booz de Raab* Hæc fuit meretrix illa quæ exploratores populi Israël hospitio suscepit & abscondit, de qua legitur Iosue 2. Eadẽ postmodum conuersa est ad Deum Israël & cum parẽtela sua populo Iudæorum coniuncta: vt clarũ est ex 11. cap. epistolæ ad Hæbræos vbi sic dicitur, fide Raab meretrix non perijt cum incredulis excipiẽs exploratores cum pace. Hæc itaque Raab populum repræsentat gentilium qui prius cultui idolorũ deditus, velut meretrix quædam fuit, vtq; ad illam, Iosue exploratores suos, ita ad hunc Christus Apostolos suos misit: funiculus autem coccineus in fenestra ligatus sanguinem Christi in frõtibus significat. Putant multi eandem hanc esse de qua loquitur Dauid, cùm ait: Memor ero Raab, & Babylonis scientium me. Verùm Hieronymus aliter sentit, dicens illã apud Dauidẽ interpretata superbiã, qua significatur AEgyptus, seu populus AEgyptiacus: eam verò cuius hic fit mentio, interpretari latitudinem. *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Ista conuersa fuit à gentilitate ad verum Deũ sanctissimeq; vixit, & coniuncta fuit Booz seni. Nominatur autem hæc ab Euangelista, quia similiter repręsentat

Iosue. 6 *Psal. 86*

C gentí-

gentilem populum, qui relictis idolis ad veri Dei cultum conuersus est. *Ioram autem genuit Oziam, Ozias autē genuit Ioatham* Omittuntur hic ab Euágelista Ochozias, Ioas, & Amasias: neq; enim Ioatham proximè ab Ozia genitus fuit, sed ab Amasia. Idq; propterea, quia propositum Matthæi erat cōtexere hanc genealogiam per tres thesseradecades: hoc est per ter quatuordecim generationes, videlicet ab Abraham vsque ad Dauid, à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, & à transmigratione Babylonis vsque ad aduentum Christi. Deinde etiam in detestationem sceleris Ioram, qui filiam impijssimæ Iezabelis in vxorem accepit, cuius & impietatem egregiè est imitatus. Præ cæteris autem impijs regibus qui hic recensentur, hi tres prætermissi sunt, quod nō ita perpetua, & pertinax aliorū fuerit, atq; horū impietas: nec cum domo Iezabelis fuerint coniuncti. Nam in primis Ioas
2. Par. 24. Zachariam sacerdotem Domini inter templum et
2. Para. 22 altare occidit: Ochozias quoq; secutus est domum
2. Par. 25 Achab, Amasias autē postmodum etiam declinauit ad idololatriam, & prophetiam Dei audire noluit. *Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius.* Meminit hic fratrum Iechoniæ, tum quod pares fuerint in impietate, tum quod omnes post patrem Iosiam regnârint. Fuêre autem Iosiæ tres filij, primus Ioacaz, Iohanan dictus quem vbi tres
1. Par. 3 menses regnasset Nechao rex AEgypti captum abduxit in AEgyptum. Secundus Eliachim quem rex Neoach fratri substituit, imposuítque ei nomen Ioacim, qui in secunda hic thesseradecade Iechonias dicitur. Fuit ergo trinanius. Hic filium habuit Ioacim, qui in proxima thesseradecade (quo modo & 1. Paral. 3. & Ieremiæ 22.) Iechonias appellatur. Quem cum patri successisset, Nabuchodonosor vna cum matre & seruis in Babylonem capti-

captiuum abduxit, poſtea autem Euilmerodach è carcere eductum regaliter ſecum habuit. Tertius Ioſiæ filius fuit Mathanias, quem Nabuchodonoſor fratris filio ſubſtituit, impoſuítque ei nomen Zedechiæ, quem tandem ob rebellionem ex fuga captum erutis oculis abduxit in Babylonem, ſubſtituto ei Godolia, quem aliquanto poſt Hiſmael obtruncauit. *In tranſmigratione Babylonis*, id eſt, circa tempus quo populus Iudaicus tranſmigrauit è Iudæa in Babylonem. *Et poſt tranſmigrationem*, id eſt, poſtquam migrauit in Babylonem. *Iechonias*, diuerſus eſt hic à ſuperiore, filius nimirum eius quem & Ioachim appellatum eſſe diximus, *Genuit Salathiel.* in captiuitate: atque ita eſſe intelligendum annotat Epiphanius in libro de Hæreſibus. *Zorobabel genuit Abiud.* Poſt Zorobabel nihil de reliquis in aliqua Scriptura canonica reperitur: ſed dicitur Euangeliſta horum genealogiam habuiſſe, vel ex reuelatione ſpiritus ſancti, vel certa traditione. Multi ſiquidem tunc temporis Dauidis progeniē diligenter deſcribebāt ob factam illi diuinam de Meſsia promiſsionem.
Iacob autem genuit Ioſeph uirum Mariæ. Conciliandus hic eſt Matthæus cum Luca, qui Ioſeph ait filium Heli fuiſſe. Omiſsis igitur varijs ſententijs, eā amplectemur quam Auguſt. ſub finem vitę ſuæ cæteris omnibus prætulit: Iacob videlicet & Heli fratres fuiſſe: defuncto aut ſine liberis Heli, Iacob iuxta legis preceptū vxorē eius accepiſſe, vt ex ea fratri ſuo prolem ſuſcitaret, genuiſſeq; hunc Ioſeph, atque ita fuiſſe eum naturalem quidem filium Iacob, ſed ex præcepto legis adoptatum, ac ſuſcitatum ipſi Heli. Sic ille vtrūque Euangeliſtam conciliauit. Pro cūius rei, ac totius capitis clariore intelligentia, conſule Damaſcenum lib. 4. ca. 15. de Orthodoxa fide, vbi genealogiam Chriſti,

Lib. 2. Retr. cap. 7
Deut. 25.

& Deiparæ Virginis pertractat. Quærat fortaſſe quiſpiam quō ex hac genealogia oſtendatur Chriſtus ex tribu Iuda, atque ideo ex Dauidis progenie ortum fuiſſe, cum hic non Mariæ ex qua natus eſt Chriſtus, ſed Ioſeph tantum genealogia texatur. Reſpondeo non eſſe conſuetudinis Iudæorum, nec ſcripturæ ſacræ genealogias fœminarū aut per fœminas texere, Lex autem erat apud Iudęos, ne quis aliam duceret vxorem, aut ne qua alteri nuberet, niſi de tribu et cognatione ſua. Præſupponit autem Euangeliſta, quod apud Iudæos notiſsimum erat, matrimonium iſtud inter tam ſanctos, & religioſos, legitimè fuiſſe contractū. Quare oſtenſo quod Ioſeph ſit de domo Dauid, certiſsimè ſequitur, Mariam quoque vxorem eius de eadem fuiſſe, nā nō ſolum iungi debebat eiuſdē ſecum tribus viro (nā alioqui ex ea genealogia nihil aliud ſequeretur quā Chriſtum eſſe ex tribu Iuda, nō autem ex Dauidis familia) ſed de genere, & cognatione ſua, vt liquet ex vltimo capite Numerorum, atque omnino ex proxima, vt nos docet liber Ruth, ne videlicet poſſeſsiones tribuum permiſcerentur. Sed vnus hic & alter obſtat ſcrupulus. Nam in primis Elizabeth Zachariæ vxor, quam Maria cognatam habuit, fuit vt ait Lucas ex filiabus Aaron, eoq; de tribu Leui, vnde videri queat de eadem quoque tribu Mariam fuiſſe, licitamq; tunc tēporis fuiſſe tribuum permixtionem. Reſpondeo. Elizabet patrem, auum, aut proauū habuiſſe ſacerdotalis generis, qui vxorem acceperit de tribū Iuda, ex cognatione Mariæ quo factum vt ex vtraque tribu oriēda eſſet, & ex altera tantum parte Mariæ cognata. Siquidem lege illa quæ eſt Numerorum vltimo non tenebantur ſacerdotes, quod nulla eis eſſet hęreditas, quæ accepta ex diuerſa tribu vxore, cōfundi poſſet, ſic Ioiada Pōtifex & Aaronici haud dubiè generis,

Num. ult.

Luc. 1.

generis, vxorem habuit Iosabeth filiã regis Iorã, 2. Paral. 22
sororem Ochozię regis, vtiq; ex progenie Dauid.
Similiter Aaron vir de tribu Leui vxorem accepit Exod. 6.
Elizabeth filiam Aminadab de tribu Iuda: sed id factum ante legem. Sunt qui putent Elizabeth matrem Ioannis Baptistæ ex genere etiam paterno de tribu Aaron fuisse, sed ex materno ex tribu Iuda. Alter scrupulus est de Iacobo fratre Domini, filio videlicet sororis Mariæ, qui de tribu sacerdotali fuisse videtur. Sed eum facilè eximemus. Mater enim Iacobi, quæ soror erat B. Mariæ, & proprio nomine Maria Cleophæ dicebatur, viro nupsit generis sacerdotalis. Vnde ex patre tribus quoque fuit Leuiticæ: quanquam quod in eius vita ex Hegesippo Hieron. refert soli illi fuisse licitum ingredi in sancta sanctorum non de ritu veteris legis intelligendum, quasi summus fuerit sacerdos, sed de missæ celebratione, quam is cùm Episcopus Hierosolymitanus ab Apostolis constitutus esset solus illic solemniter celebrare consueuerit: nam alioqui norat Iacobus eum iam euacuatũ, qui venalis quoque esse iam dudum cœperat, nec nisi annuus tunc tẽporis erat. Quin & quãdo occisus fuit Pontifex ibidẽ nominatur Anani quidã Aniani filius. Reijciẽdũ est ergo quod eũ quidam legalem volunt sacerdotem, atque adeo summum pontificem fuisse. Sunt qui putent aliquem ex Mariæ progenitoribus contra legem cum aliqua ex tribu Leui contraxisse matrimoniũ, atque ita ex vtraque tribu esse oriundam: eoq; Christum & regalis & sacerdotalis pariter generis fuisse. Sed non est eorum recipiẽda sententia. Siquidem pronuntiat Apostolus Christum Heb. 7.
non ex Leui, sed ex Iuda ortum esse. Vnde & colligit sacerdotij translationem de tribu Leui ad tribũ Iuda, quæ nulla est consequentia, si Maria & Christus ex vtraque fuerit tribu. Ad Augustinum autẽ

qui alicubi in hanc ſententiam deſcēdere, videtur. Libro 2. de conſe. Euangeliſt. cap. 2. & quæſt. 47. in lib Iudic. Quid reſpondendum ſit, vide Librum 83. Quæſtion. 7. Quæſt. 61.

Cæterùm in præcedentibus, quatuor occurrunt concionatoribus obſeruanda. Primo quod Chriſtus fuerit patribus promiſſus, in primis apertis verbis, vt quando dictum eſt, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Item, Non auferetur ſceptrum de Iuda &c. Et de fructu ventris tui pōnā ſuper ſedem tuā. Secundo hiſtorijs, exempli gratia, Noe, Ioſue, Dauidis, ſerpentis aenæi. Tertio cæremonijs, vt agno paſchali, hirco, agno quotidie immolato, & ſimilibus. Explicabunt deinde quam fuerit Chriſtus, patribus deſideratus, quemadmodum & ipſe ait: Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre &c. Item: Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Item: Rorate Cœli deſuper. Vbi per Antitheſin opponetur tepor, & frigus noſtrum, cum tamen aperta iam ſint & longè clariora myſteria omnia, & pateat fons miſericordiæ Dei. Addetur negligentiæ huius cauſa, quia videlicet intenti ferè ſumus omnes ad ea quę mūdi, & carnis ſunt: vnus ad lucra, alter ad voluptates, tertius ad honores aucupandos. Tertio quod Chriſtus inter maiores ſuos habuerit non tantum bonos & electos, ſed malos quoque & reprobos: vnde in elligi detur nihil profuturum impijs hominibus, quod bonis ſanctiſque parentibus orti ſunt, quod filios & nepotes habeant religioſos, & à Deo electos, quod cum pijs conuerſentur, frequentes ſint in templo, ſæpe verbum Dei & miſſam audiant, Sacramenta ſuſcipiant: niſi malam vitam corrigere ſtuduerint. Quarto quod virtutes Patriarcharum omnium in beata virgine longè quam in illis fuerint excellentiores,

Genes. 22
Genes. 49
Psal. 131
Luc. 10.
Psal. 48
Esa. 45

res, vt exempli gratia: fides Abrahæ, Dauidis mansuetudo, humilitas & charitas etiam erga inimicos, sapientia Salomonis, Spes Ezechiæ, Iosaphat erga Dei prophetas reuerentia, deuotio & pietas Iosiæ, Zorobabelis in instauratione templi Dei zelus & ardor. *Qui uocatur christus* hoc nomine celebratur quod sit Christus, quod sit verus ille CHRISTVS & Mesias Iudæis promissus.

Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad Dauid, generationes quatuordecim: & a Dauid usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim: & a transmigratione Babylonis usque ad CHRISTVM generationes quatuordecim. Tres hæ thesseradecades triplex significant Iudaici populi regimen, & gubernationem.

Primum enim sub Iudicibus fuêre, vt Iosue, & Samuele: Secundo sub Regibus Dauide, & Salomone, Tertio sub Sacerdotibus, de quo habes libro primo Machabæorum capite secundo & sequentibus. Quod ideo factum est ab Euangelista, ad significandum noui gubernatoris Christi aduentum. Cùm enim hac triplici Reipublicæ commutata forma nihilo facti essent Iudæi meliores, omnino necesse erat nouam exoriri regiminis formam, qua ab hâc seruitute peccati (quæ per captiuitatem Babylonycam significata fuit) liberarentur: id quod soli Christo reseruatum esse omnis prophetia docebat, qui simul & Iudex, & Rex, & Sacerdos esset.

Sed quærat hic quispiam, cur Lucas generationem CHRISTI describens, multo plures ponat quam Matthæus? Ad quod respondeo, ipsos non eosdem, sed diuersos homines comprehendere: & sic non mirum est eos in numero discrepare, quandoquidem vnus homo diutius *Luc. 3.*

altero viuat,& vnus ferius altero generare incipiat. Quod verò Matthæus ab Abraham deducit Christi generationem,& Lucas vſque ad Adam aſcendendo,fit quia Matthæus Iudæis ſcribebat, vnde æquum erat à ſanctiſsimo eorum patriarcha(cui peculiariter Chriſtus promiſſus erat)exordiri,Lucas verò gentibus ſcribebat, quocirca decebat, vt generationem Chriſti ad primum parentem deduceret,per quem vniuerſum genus humanũ in hãc incidit neceſsitatem,vt opus habuerit Saluatore. Poteſt & alia reddi ratio,quia videlicet Matthæus oſtendit Chriſtum regem;quare bene ab eo incœpit,ex cuius promiſsi ſunt reges poſteritate orituri,Lucas autem docet eum ſacerdotẽ: proinde deducit vſque ad Adam, per quem in eam genus humanum infirmitatem deuenit, vt ſacerdote pro ſe

Epiſt ad Fabiolam tom 3.de 4.mãſionibus. ſacrificium offerente eguerit. Harum generationũ myſticum ſenſum explicat Hieronymus.

Chriſti autem generatio ſic erat. Lectorem inſtruit, ne ex eo quod Chriſtum de Maria vxore Ioſeph natum dixit, arbitretur eum cęterorum infantum more genitum eſſe,quaſi dicat: Cognoſce,quod generatio qua Chriſtus genitus eſt hoc modo contigerit. *Cum eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph,* id eſt, matrimonio iuncta ipſi Ioſeph, per verba de præſenti. Quare Chriſtus ex virgine deſponſata naſci voluerit, aperit Hieronymus in hunc locum

In 1. cap. Lucæ. Par.3.quæ. 29.art.1 ſcribens, item Ambroſius in Lucam, & Thomas de Aquino. Vocat autem Matthęus eam deſponſatam, cum tamen iam inſtaret tempus partus eius, non quaſi matrimonium per verba de pręſenti nõ contraxiſſet, cùm hoc Lucas clarè exprimat dicẽs: Aſcendit Ioſeph cum Maria deſponſata ſibi vxo-

Lib.1.de nup.& concup.cap.11. re prægnante,& Auguſtin. ad Valerium comitem ſcribens,ſed ad diſcretionem aliarum coniugum, quæ carnalem copulam erant expertæ. In hoc autẽ

omnes

omnes doctores conueniunt, quod B. Maria vouerit virginitatem: verum quo tẽpore, id factum ab ea sit non vna est oĩm sẽtẽtia. Thomas enim, & Hugo de S. Victore asserunt eam vouisse, postquã esset Iosepho desponsata, Augustinus verò dicit eã Deo vouisse virginitatem, antequam ad eam mitteretur Gabriel angelus. Nec tamen in hoc peccauit quod post votum emissum viro nupserit, confidebat enim, & diuinitus sciebat, quod ita Deus suum matrimonium dirigeret, vt virgo permaneret: fieretq́ simul vxor, & mater. Nec quisquam ob id in admirationem trahi debet, cum simili quid B. Cæciliæ contigisse legamus. *Antequam conuenirent, inuenta est in utero habens de spiritu sancto.* De virgin. cap. 4.

Priusquam carnaliter commiscerentur, deprehensa est à Iosepho liberius eam tanquam vxorẽ considerante, esse grauida. Erat autem hoc de spiritu sancto, cui singulariter incarnatio Saluatoris nostri tribuitur. Quamuis enim eam tota trinitas vna operatione operata sit, nihilq́ vna persona trinitatis agat, quod non simul omnes tres personæ: propter nos tamen aliqua opera singulis personis aptisimè tribuuntur, vt hoc modo in aliqualem trinitatis cognitionem ducamur. Siquidem dum creatio creaturarum patri tribuitur, aliquo modo per hoc innotescit nobis Deus pater, dum filio, quod sit incarnatus, passus, & resuscitatus, innotescit nobis Deus filius, dum verò spiritui sancto tribuũtur oĩa dona, omnesq́ gratiæ quas à Deo recipimus, innotescit nobis Deus spiritus sanctus. Quoniam igitur inter omnes gratias, & dona quę Deus nobis præstitit maximum est quod pro nobis Dei filius sit incarnatus, tribuitur incarnatio spiritui sancto, cùm tamen eam tota trinitas operata sit. Quomodo verò spiritus sanctus nostram iustificationem, & dona quæ à Deo consequimur operetur, ex

Enchi.c.35. 36.&c. seq. & lib. 1. de praedestina. sanct.c.15. & lib. 2. de bono perse. ue.c.ult.

tur, ex Augustino liquet.

Ioseph autem uir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, uoluit occulte dimittere eam Quia vir erat iustus non audebat cum Beata Maria, quam adulteram suspicabatur permanere, ne adulterium fouere videretur: noluit etiam eam infamare ne crimen occultum proderet. •Quia tamen non facilè sibi persuadere poterat, quod adulterata esset, nec quomodo grauida esset sine adulterio valebat intelligere, voluit occultum cum ea diuortium facere: occultum quidem, ne eam traduceret, diuortium verò, ne eam in fornicatione (de qua valde male suspicabatur) foueret: voluit (inquam) hoc, sperans Deum cum tempore in hoc negocio sibi subuenturum.

Haec autem eo cogitante. tacitus secum omnia perpendente, vteri videlicet Virginis suae tumorem, & eius vitae innocentiam, atque puritatem, quo etiam pacto hoc in negotio citra Dei offensam se gereret, & diuortium prudenter occultaret: Haec (inquam) iterum atque iterum animo voluente, *Ecce Angelus.* Quando ab omnibus exterioribus motibus & passionibus quiescebat, *Apparuit ei in somnis.* Ita clarè Angelum Domini esse cognouit, vt nullatenus visionem somnium reputaret, sed Dei reuelationem. Quis autem Angelus ei apparuerit, non habetur, sed piè Gabriel angelus fuisse creditur: cùm is quicquid ad natiuitatem Saluatoris pertinet nunciauerit, qui etiam nomine proprio expressus à Luca ad beatam Virginem missus describitur: fuit idem ad Zachariam patrem Ioannis Baptistae missus, & ad Danielem, vt eum de aduentu, & tempore aduentus Mesiae instrueret, dicens: *Ioseph fili David, noli timere accipere coniugem tuam.* Nolebat Deus Mariam vllius peccati suspicioni apud

Luc.1. Danie.9

Iosephum

Iosephum subiacere, quapropter Angelum mittit qui ei omnem mali suspicionem adimat dicentem: Recordare ô Ioseph te de stirpe Dauid natum, similiter & Mariam coniugem tuam, & Dauid esse promissum, quod ex eius progenie nasceretur Christus, quem Scriptura ait ex virgine nasciturum: noli ergo timore ac perturbatione adeo exagitari, non eam adulteram suspiceris, aut de eius dimisione mediteris, sed audacter cum ea conuersari, ac cohabitare minimè verearis. *Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est.* Proles enim quæ in ea concepta est, & perfecta, non est ex aliquo adultero nata, sed ex authore spiritu sancto, qui ineffabili bonitate sua hoc dedit proli huic secundũ humanã naturã vt Deus esset, idq; sine omni opere bono præuio aut merito: quod eximiũ opus fecit pro genere humano. Nullo tamen modo existimandũ est spiritũ sanctũ patrem Christi fuisse, etsi Christus de eo natus & spiritussanctus eius author esse dicatur, quod eleganter prosequitur in Enchiridio Aug. & D. Thomas. Dicitur autem in ea nata proles, quòd statim à suæ conceptionis exordio perfectà fuit in corpore, & anima, ita quod in momento habuerit corpus perfectè formatũ, animam rationalẽ, & diuinitatẽ cõiunctã. Sic Basilius, Fulgentius, Leo papa in epist. ad Iulianum episcopum Coensem. Item de natali Domini. *Ipse enim saluum faciet populum suũ à peccatis eorum.* Ideo dico tibi vt eum appelles Iesum, quod interpretatur (Saluator.) Iste enim filius Mariæ habebit quendã populũ, nõ alienũ, sicut habuerũt principes veteris testamenti, sed optimo iure suũ, cuius ipse (licet iã per peccata sua à Deo separatus, & ideo miser, & infirmus factus) Dñs erit, quẽq; à peccatis suis saluũ faciet, tũ ignoscẽdo tum ne vitia ex peccatis relicta, ad illa denuo pertrahant adiuuãdo, & tandẽ omnes tã animi quàm corporis cor-

Cap. 17. & sequent. Tho. par. 3. quæst. 32. Basil. serm. de humana christ. gene. Fulg. lib. de fide ad Pet. cap. 18. Leo epist. 8 & ser. 8. de nat. Domin.

existimauit. Dicebat enim impoßibile esse tantam molem imuiolabili manente vtero, elabi inde posse: vt clarum est ex August. de Hæresibus, & nuptijs & concupis. & contra Iulianum. Similiter ex Ambrosio in epistola quæ est multorum episcoporum ad Syricium papam. Respondeo cum Scriptura, quod virgo manens virgo conceperit: & cum symbolo Apostolorum (natum ex Maria virgine) quod in partu virgo permanserit. Quod autem Iouinianus cauillatur tãtam molem, sine claustri virginalis violatione, vterum egredi non posse, nõ aduertit Christum ianuis clausis ad Apostolos intrasse & super aquas ambulasse, nec tamen esse submersum. Sed obijcitur, apud Lucam habetur: Omne masculinum adaperiens vuluam, quod etiam de Christo intelligitur: verum si vterum aperuit, integer non mansit. Respond. Aperire vuluã, nihil esse aliud, quàm ex vtero prodire, & nasci: sicut Aug. pulchrè docet contra Cœlestinum, & Pelagiũ. Itẽ lib. 3. de ciuitate Dei ca. 14. ostendit vteri apertionem virginitati minimè repugnare. Quæritur tertio, an B. Maria post partum manserit virgo, nec postea saltem cognouerit virum? Respond. Certa fide tenendum esse, semper eam etiam post partum virginem mansisse & si huius rei nulla scriptura apertè meminerit: vt docet Augustinus lib. de Heresibus, Epiphanius, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, & Hilarius.

Hæres. 81. lib. 1. cap. 5. Lib. 1. ca. 1. Li. 1. epi. 81

Cap. 2.

Lib. 2. de pec. origin. cap. 35.

Hæres. 84. Epiphan. in hære. Anti. Hier. cont. Heluі. Ambro. epi. epist 79. et Lib. de inst. uirg. cap. 5. 6. & 7. Chrysost. in commẽ. Hila. in 2. cap. Matth.

IN CAPVT SECVNDVM.

CVM *ergo natus esset Iesus in Beth-lehem Iudæ,* Beth-lehem Iudæ, oppidulũ est in quo Dauid natus fuit: quod alio nomine Ephrata nuncupatur.

In diebus Herodis regis, meminit hic Euangelista Hero-

Herodis tum quia Iudæis ſcribebat, quorum tunc Herodes rex erat, tum etiam quia diebus Herodis regis impleta eſt prophetia Iacob, Non auferetur ſceptrum &c. Et addidit(*regis*) ad diſtinctionẽ Herodis tetrarchæ, qui Ioannem occidi iuſsit. *Ecce magi.* Iſti magi philoſophi ſunt chaldęorũ, qui (vt refert Hierony.) de aſtris, cõſtellationibus, aliiſq; rebus philoſophãtur. Vtrum autẽ hi tres Magi reges fuerint incertum eſt: conſtat tamen tum ex turbatione Herodis regis, & Hieroſolymæ, tum ex ipſorum theſauris, eos admodum diuites, & nobiles fuiſſe: videnturq́ tales reges fuiſſe, quales amici Iob, apud Tobiam fuiſſe deſcribuntur. Videntur etiam iſti præfigurati fuiſſe per Principes à Chaldæis miſſos, vt Ezechiam interrogarent de portẽto quod in ſole acciderat. Quot autem fuerint numero non tradit ſcriptura: Leo tamen papa tres fuiſſe aſſerit: qui his nominibus Iaſpar Melchior, Baltazar, vulgo nuncupantur. *Ab oriente uenerunt Hieroſolymam.* Tanquam ad regiam ciuitatem, vt ibi inuenirent quem quærebant: *Dicentes* præpotentibus, & nobilibus Hieroſolymitanis, quos natum regem noſſe æſtimabant, *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Dicite nobis vbi puer ille ſit, qui nũc recens natus eſt, quique non hominum creatione, ſed ipſa natiuitate Rex Iudæorum natus eſt.

Geneſ. ult.

In cap. 2. Dan.

Lib. 2. Par. ca. 32.

Sermo. 1. de Epiphan.

Notanda eſt hic magna Magorum fides, qui alienigenæ Herodis regis crudelitatem & ferocitatem non verentes, alium regem confiteri præter Herodem auſi fuẽre. Chriſtus rex Iudæorum dictus eſt, quia illis ſpecialiter promiſſus, ab illis expectatus, & præſignatus, & ad eos tandem ſpecialiter miſſus: alioqui & noſter, id eſt, gentilium rex eſt. *Vidimus enim ſtellam eius in oriente.* Ipſius natiuitatis indicem, ideóque eum quærimus. Quæritur an ſtella hæc fuerit Chriſto fatum, & an aliquis

quis hominum sub fato alicuius stellæ nascatur? Respondeo nullo pacto hoc fieri: eosque grauissimè peccare, qui ex constellationibus futura prędicere nituntur.

Pro huius quęstionis intelligentia diligenter legatur Augustinus contra Faustum, & de doctrina Christiana, iterum de Ciuitate Dei. Rursum lib. de Genesi ad literam: & in Hæresi Priscillanistarū, item Gregorius in Hom. Epiphaniæ. His enim locis demonstrant qnam grauiter delinquāt, qui stellas obseruant, vel astrologos consulunt. *Et uenimus adorare eum.* Insignem protestantur fidem, quod neque propter iram populi, nec propter regis tyrānidem, omittūt huius paruuli regis confeßionē. *cap. 5. to 6 lib. 2. de do. christ c. 20. 21. 22. 23 24. Li. 5. de ciuit. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6 7. Lib. 2. de Genes. c. 17*

Audiens autem Herodes rex cùm de aduentu Magorum intellexisset, & quod nouum & naturalem Iudæorū regem quærerent, itē quod indicio stellæ eum natum esse magi didicissent, quodq; eū adoraturi ex oriente venissent. *Turbatus est,* metuens regni sui in alium translationem. *Et omnis Hierosolyma cum eo,* præcipui ciues: tum quia metuebant ne Herodes rursum turbaret Iudæam, & seditionē suscitaret. *Et congregans omnes Principes sacerdotum, & scribas populi.* (Scriba) duplicem admittit significationem. Primò enim significat, qui literas & actiones publicas scribit, & nusquam in nouo testamēto sic vsurpatum reperitur, præterquam in actis: *Act. 19* vbi sic habetur, Et cùm sedasset scriba turbas dixit: viri Ephesi, &c. In veteri autem testamento sic acceptum sæpius inuenitur: vt in libro Hester, vocatique sunt Scribæ regis mense primo. *Cap. 3* Secundo verò theologicæ eruditionis professorem denotat, quem Lucas iurisperitum nominat. Hoc modo ergo hic vsurpatur, vt scribæ sint iurisperiti: qui nō solum ex sacerdotibus, vel ex tribu sacerdotali verumetiam ex alijs tribubus constituebantur: *1. Par. 22.*

Quando

Quando autem cœperint esse, incertum est: probabile tamē est, quod post reditum de captiuitate Babylonica. *Sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.* Qui Iudæis ex lege & prophetis erat promissus, quē Herodes temporaliter regnaturum suspicabatur, si modo veræ sint Iudæorum Prophetiæ.

Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. O Bethlehem quæ es in terra fortis tribus Iudæ, non es infima inter principales illius tribus ciuitates, sed maxima. Per figuram autem quæ apud Rhetores (Liptote) vocatur minus dicens, plus intellexit. *Ex te enim exibit Dux.* Eximius & tantus in te nascetur, vt te minimam ciuitatem, sua natiuitate inter omnes faciat nobilissimam. *Qui regat populum meum Israel.* Qui tanquam rex verus populum à me electum regat, id est, veros Iudæos & Israhelitas tam secundum spiritum, quam secundum carnem. Reget (inquam) eo modo quo pastor suum gregem, pascēdo scilicet eos quos reget. Hoc Christus postea de se testatus est, vbi
Ioan. 10. proprietates omnes veri pastoris merito sibi ascribit. *Tunc Herodes clam uocatis magis.* Habita responsione scribarum Herodes, cùm magis negotiū clam discussit, extra cœtum Iudæorum, metuens ne à se auerterentur & Regi suo recens nato adhærerent. *Diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis.* Exactè perquisiuit tempus stellæ, quādo scilicet eis apparuerit, vt sic puerum posset dignoscere, & occidere. *Et mittens eos in Bethlehem, dixit. Ite & interrogate diligenter de puero.* Misit Herodes Magos, vt exactè puerum quærerent: nec ipse cum illis iuit, quoniam primò non existimabat rem sic sese habere, sed phantasma esse putabat, præsertim cùm sciret in Beth-lehem nullam esse nobilitatem.

Vsque dum ueniens staret supra ubi erat puer. Specialiter

ter per descensum suum locum natiuitatis Christi commonstrando. *Inuenerunt puerum*, diu quæsitũ & per spiritussancti reuelationem cognouerunt, quod idem ille esset, qui prius per stellam designatus fuerat. *Et procidentes adorauerunt eum*, tanquam verum & vnum Deum. *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum thus & myrrham.* Postquam in terram prostrati puerum adorauerunt, sarcinas suas in quibus thesauri reconditi erant dissoluerũt, & puero reuerentiæ & honoris munera obtulerunt, quibus protestabantur quam magnificè de eo, tametsi secundum speciem vili & abiecto sentirent. Singuli autem ei hæc tria obtulerunt, aurũ, thus, & myrrham: aurum quod inter metalla est pretiosissimum, & quod subditi regi suo pendunt. Thus quod incensum suauissimi odoris est, quódque Deo, tanquam vero Deo, ac sacerdoti summo offerri solet, in signum, quod quandoque igne charitatis accensus, seipsum oblaturus esset Deo patri in odorem suauitatis, & seipsum consumpturus in ipsa oblatione. Myrrham tertio, quæ siccitate sua à corruptione corpora conseruat: qua etiam Iudæi mortuorum cadauera condire cõsueuerunt, Christo tanquam homini quandoque morituro (qui tamen in sepulchro non computresceret) obtulére. Mysticam huius rei expositionem habet Gregorius in sermone de Epiphania.

Et responso accepto, id est, oraculo, pro quo Deum saltem implicite rogauerunt, dum pro fœlici profectione eum deprecarentur.

Qui cum recessissent, à puero scilicet & B. Maria. *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens, Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Hic expendendum occurrit quare angelus nõ ante aliquot dies quam fugere debebat Ioseph indicauerit, & quare ipse demum nocte qua fugere debe-

bat illi iudicârit. Deinde quare domum, & omnia relinquere debebat, nec de suis rebus propter acceleratam fugam disponere, nec secum multum conferre valebat? Insuper quare Herodes totum regnum suum fuit scrutatus. Rursum quare nō fuit prædicta itineris longitudo, quæ fuit à Bethlehem vsq; ad AEgyptū? Deniq; quare in terra aliena, inter gentiles cum cōiuge sua peregrinus, esse debuit, & proprio labore ibidē victū quæritare. Postremo cur temporis longitudo futuræ in AEgypto peregrinationis non fuit reuelata. Ad hæc dicendū est, oīa Dei ordinatione accidisse, vt semper, & in omnibus à diuina prouidentia penderent: & vt nobis omnibus in exemplum, & consolationem forent. *Occidit omnes pueros*, masculos. *A bimatu & infra &c.* à pueris duorum annorum vsque ad minores, *secūdum tempus quod exquisierat a Magis.* Variè hoc interpretes accipiūt, facillima interpretatio est, quod occiderit oēs pueros bimos, & minores bimis: nō tamē quoslibet, sed eos duntaxat, qui circa tēpus quo apparuerat stella nati erant, vt quemadmodū locū in quo occiderentur pueri vltra locum natiuitatis Christi, ita & tēpus extēdit, vt pueros etiā Christo seniores occideret: & hoc maioris securitatis causa, metuebat enim ne Christus maior seu maioris quantitatis appareret, quam pro ætate sua esset.

Vox in rama audita est. Vox in excelso audita est, quia longè latèque dispersa: vel quia exaudita est, vox matrum plangentium à Deo in cœlo vt vindicaret mortem infantium in Herode & tota eius posteritate. Lamentatio muliercularum Bethlehemitarum mysticè significat lamentationem Ecclesiæ super animabus inæternum pereuntibus: ideoque vt hoc in festo Innocentium repræsentetur cessant oīa cantica lætitiæ, vt, Gloria in excelsis Deo, & Alleluya. *Rachel plorans filios.* Per Rachel, mulieres,

res Bethlehemitides intelliguntur, & quæ in finibus Bethlehem morantur: quæ quidem sub illo nomine exprimuntur, quia Rachel in Bethlehem sepulta est: vel mulieres de posteritate Rachelis, videlicet de tribu Beniamin, quia quamuis Bethlehem ad tribum Iuda pertineret, vicina tamen erat tribui Beniamin, & in omnibus adiacentibus locis occisi sunt infantes, quos mœrore ac luctu incurabili, omniq; consolationis spe adempta planxerũt.

Defuncto autem Herode Herodes (dictus) magnus, sub quo & Christus natus est, octo filios habuit, quorũ tres ante mortem suã occidit, Archelaũ qui annos nouem regnauit, saltem tãquam tetrarcha, qui postea Lugdunũ in exilium missus est: reliquit quoq; filium nomine Antipam, cognomine Herodẽ, qui Ioan. Baptistam occidit, & Christo saluatori veste alba in passione illusit: quiq; à Caro. Cęsare cũ Herodiade adultera Viennam Galliæ in exilium missus, in Hispanias fugit, vbi mœrore interijt. Philippum quoque Traconitidis & Iturię regionis tetrarcham reliquit. Item Lisaniam, Abilinæ tetrarcham, & Antipatrum etiam tetrarcham. nam Archelao defuncto, Tyberius ad imminuẽdã iudaici regni potentiam misit in iudæam pręsides seu procuratores & singulis quatuor filijs Herodis dedit tetrarchias, quamuis Antipas & Philippus etiã tetrarchę fuerint regnãte Archelao. Aristobulus vero à patre Herode magno occisus, reliquit filiũ Agrippam nomine, de quo in Actis. De his prolixior extat apud Historiographos tractatus, præsertim apud Iosephum, de antiquit. cap. 25. & 26.

Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui vitam corporalem auferre nitebantur, iam tanta paruulorum cæde facta, mortui sunt. Non est dubitandum quin paruuli isti pro Christo occisi, in cœlis, martyrio sint coronati, quum hoc tanta,

totóq; patrum authoritate confirmetur. Hoc enim docent Origenes, in Matthæum, Cyprianus, lib. 4. epist. 6. Irenæus, lib. 3. contra hæref. cap. 8. Hilarius, in Matth. Leo, Augustinus, Fulgentius in Sermonibus de Innocentibus, siue de Epiphania, Prudētius, Hymno de Epiphan. Bernardus, super cantica. Hom. 66. & serm. de innocent. Quod autem etiam paruuli non baptizati, si pro Christo occidātur sint martyres docet Augustin. de ciuitate Dei, lib. 13. cap. 7. & de expositione symboli, lib. 3. cap. 4. Item Fulgentius lib. de fide ad Petrū cap. 3. & 39.

IN CAPVT TERTIVM.

IN *diebus illis* in illo tempore quo Iesus habitabat in Nazareth: vel in certo quodam tēpore Christi. *venit*, de occulto loco deserti, in quo hactenus latuerat manifestans seipsum in publicis eiusdem deserti locis, *Ioannes Baptista.* Baptista appellatus, id est, lotor, ab officio admodum nouo. *Prædicans in deserto Iudææ*, vbi non perstrepebat insolens populus, nec infideles eius prædicationem deridebant, nec illi qui Dei cultum negligebāt venire dignabātur. Iudæa, hic specialiter dicitur duarum tribuum. *Pœnitentiam agite*, pœniteat vos malè actæ vitæ, veterem Deo displicentem vitæ tramitem, in nouum Deo acceptabilem commutate & Deum propter peccata iratum, per pœnitentiam quam prædico omnino placare studete. Hæc autē pœnitētia, sicut omnis vera, tria complectitur, dolorem, nouam vitam, & studium placandi Deum. Quod autem dolor in qualibet vera pœnitentia includatur, ex Augustino probatur. Quod etiam noua vita comprehendatur, patet ex Luca, vbi Ioannes particulariter exponit generalem hanc suā prędicationem. Quod denique studium placandi Deū requi-

Hom. 5 Inter. 50 cap. 3

requiratur patet ex prophetis, qui quandocunque homines hortati sunt ad pœnitentiam, intellexerũt de pœnitentia cum studio placandi Deum per dolores: Vnde apud Ioëlem: Nunc ergo reuertimini ad me in toto &c. Item leguntur Niniuitæ cõuersi esse à via sua mala, ieiunasse, induisse se saccis, & cinere, hac intentione vt placaretur Deus peccatis offensus. Deinde ipse Saluator pronuntiat, quod Sidonij in cinere & cilicio pęnitentiã egissent, vbi nullo pacto sufficit exponere, resipuissent, vel nouã vitam inchoassent, quemadmodum perperã Lutherus fecit, quem doctè D. Io. Roffensis, anglus, nostri temporis martyr Episcopus confutauit. Cap.2. Arti.7

Appropinquabit enim regnum cœlorum. Ideo nunc pœnitentia est assumenda, quoniam imminet tempus quo regnum cœleste ijs, qui pœnitentiam egerint tribuetur: ij autem qui hanc reiecerint, illo regno exclusi in ęternum damnationis supplicium detrudentur. *Hic est enim* &c. August. de consensu Euangelistarum dubitat vtrum hæc verba sint Ioannis Baptistæ, an potius Matthæi, potest tamen verisimiliter dici quod sint verba Christi. Lib.2. c.12

Vox clamantis in deserto, Tãtæ gratiæ erit præco ille vt rectè appellari queat ipsa pręedicatio, siue vox: Et hic quasi surdis in spiritualibus clamabit, & cũ quadam indignatione, & feruore (his enim de causis solent clamare homines) in corporali deserto hac voce vociferabitur. *Parate uiam Domini.* Pœnitentiam agite, corda vestra per puritatem vitæ, & iustitiam præparantes, vt Dominus purus, & rectus in cordibus vestris, puritate & sinceritate nitentibus ambulare, cõuersari, & inhabitare valeat. Quæritur an locus iste (vox clamantis) propriè de Ioanne sit intelligendus, ita vt non de alijs præconibus excellentibus, quales fuêre Petrus, Paulus, &c. Respond. quod proprie de Ioanne vt patet ex

voce(in deserto)quam vrgent omnes Euangelistę: interim tamen quod Ioannes apud Iudæos egit, hoc Apostoli,aliiq́; boni cōcionatores in grege suo egerunt,& agunt. Desertū autem corporale in quo Ioannes agebat, mysticè populum iudaicum designat,qui desertus,& timoris Dei expers,sine cultu immundus,asper,& per iustitiæ inæqualitatē contortus erat. Vt autē hoc significari intelligeremus per desertum corporale,subitò propheta repetit iustitiam dicens. *Rectas facite semitas eius*,scilicet in solitudine rectas facite semitas Dei nostri:& perseuerans in Metaphora subijcit de vallibus, collibus montibus rectis,contortis, asperis, & planis, quæ omnia ad peccatores tanquam *ad spiritale* desertum referenda sunt.

Ipse autem Ioannes habebat uestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: Quasi dicat: Hunc vobis describam, vt cognoscatis quod non fuerit vulgaris,sed magnus verbi Dei præco, vnde etiam vox clamantis,vocari meruit. In primis vestimentum de pilis habuit contextum, vt contra mollitiem,& vestimentorum pompā prædicaret: *Esca autem eius erat locustæ, & mel syluestre*, vt ciborum luxum & gulam reprehenderet contra quæ carnis vitia hoc nostro proh dolor seculo, esset adhuc Ioannis prædicatio pernecessaria. Aduerte autem dum euangelista refert Ioannē prædicasse pœnitentiam,eū non totum sermonem Ioannis narrare,sed summam duntaxat,vt docet Aug. lib.
cap. 8. 9. & 10. de fide,& operibus,tractans quomodo Paulus prędicauit tantum Iesum,& hunc crucifixum. Notandum quoq; est quod Ioānis prædicatio Iudęis noua,& inaudita erat, quapropter ad eum vndiq; cōfluebant,prædicabat enim appropinquare regnum cœlorum:quod erat eis admodum nouum, siquidem vita æterna,resurrectio ex mortuis frequēter fuerant

fuerant eis in patribus promissa, nunquam tamen regnum cœlorum, vt August. ait contra Faustum. Locustas August. in lib. confess. intelligit nō de surculis vt quidā, sed de animalibus, vt etiā satis colligitur ex Leuit. & ex Ambrosio. Quicquid sit, cibus in deserto obuius erat, non magnam requirens ad sui præparationem, solicitudinem, nec ita delicatus erat vt gulam iritare posset. *Confitentes peccata sua.* grauiter se in Deum peccasse vitæ correctionem, & de commissis pœnitentiam profitentes.

Li.19.c.31.
Li.10.c.31.
Cap.11.
In cap.3
Luc.

Videns autē multos Pharisæorū & saducæorū uenientes ad baptismū. Pharisæus dicitur à Phares, quod significat diuisus:) Pharisæi ergo diuisi & separati dicebātur, quia haberēt vitā ab alijs distīctā & diuisam. Saducæus verò idē est quod iustus à Sadoc, quod iustum significat, Sadducæos ergo sese appellārunt quod se solos iustos dicerēt ceteros autē oēs errare. Atq; hoc quidē genus instituti totū impiū erat, ac damnanda professio, docebat enim prçter alios errores Deū non habere prouidentiam, animam hominis esse mortalem, deinde non recipiendos nisi quinque libros Moysi cæteros verò reijciendos: nullos præterea angelos, nullósque spiritus esse. Incœperunt autem Sadducæi eo ferè tempore quo secundus liber Machabæorū scribebatur, cuius acta libri primi gestis sunt anteriora, qui & videtur contra eos iam tunc suos errores seminare incipientes esse conscriptus. Recenset enim sæpe visiones, & apparitiones Angelorum: refert quomodo Iudas miserit Hierosolymam offerre sacrificium pro peccatis mortuorum videlicet contra Sadducæos, Angelos & mortuorum resurrectionem negantes. *Dixit eis, progenies uiperarum* hominum impiorū filij. Quemadmodū enim de serpētibus nascūtur serpētis, ita de viperis viperç sic de impijs parētibus plerūq; nascūtur impij filij.


Quis demonstrauit vobis fugere a uentura ira? Quis poterit efficere vt euadatis venturam iram, & iam iã ignis æterni imminẽtem vobis vindictam? quasi dicat,nullus,ob insignem videlicet vestram malitiam. *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Quoniam impij venturam iram effugere nequeũt, vobis suadeo, vt tanquam arbores frugiferæ non in deserto,sed culto horto positæ,fructum bonæ vitæ afferatis, qui deceat homines pœnitentes, hoc est, profitentes se vitæ transactæ odisse iniquitatẽ, quales modò vos esse videri vultis, dũ à me quæritis baptizari. *Et ne uelitis dicere intra uos, Patrem habemus, Abraham* Non cogitetis in cordibus vestris quod in illo confidentes citra omnem pœnitentiã saluari poteritis: Quod enim Abrahã pater vester sit secundum carnem,cui scilicet promisit Deus semen eius,& posteritatem se saluaturum, non erit vobis gloriæ sed confusionis. nam illa promissio manebit,& certissimè implebitur, & nihilominus vos si veram pœnitentiam non egeritis,indubitãter peribitis.Nolite ergo ita gloriari in carnali generatione Abrahæ. *Nam potẽs est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*,corporalibus scilicet quos videtis:vel etiam intelligi potest de Iudæis instar lapidum in malitia obduratis, quos tamen Deus Abrahæ filios secundum spiritum & imitationẽ suscitare,& efficere potest,in quibus promissio Abrahæ facta impleatur.

Ego quidem baptizo uos in aqua in pœnitentiam. Aqua vos tantummodo lauo, vt dum non modo verbis,verumetiam lotione externa ad pœnitentiam voco,ad veram,& sinceram pœnitentiam agendã inducamini. *Qui autem post me uenturus est fortior me est.* Qui posterior me tempore venturus est ad vobis prædicandum,& seipsum manifestandum, me multo potentior est: quippe qui corpora tantum ablue-

abluere possum, ille verò etiam mentes. Quod autem Christi baptisma remissionem peccatorū cōferebat, non Ioannis, docet Cyrillus in comment. super Ioannem. Item Augu. in Enchiridio, & lib. de Baptismo contra Donatistas. Et Magister Sententiarum. *Cuius non sum dignus calceamenta portare.* Tantæ hic excellentiæ est, vt ego quem tantopere admiramini, dignus non sim illi aliquod etiam vilissimum exhibere ministerium: ne quidem calceos portare, vel extrahere. *Ipse uos baptizabit in spiritu sancto, & igni* potestate propria & principali vos abluet. Si enim ad ipsum refugeritis non solū vestra corpora exteriore ablutione lauabit, veruētiam mentes per spiritum sanctum inuisibiliter purificabit, qui tanquam ignis velocissimè, peccatorū vestrorum inueteratam putredinem consumet & penitus exuret, mentesq́ue vestras in Dei amorem eriget, atque succendet. Volunt quidam non esse hunc locum de baptismo aquæ intelligendum, sed spiritussancti, quo Apostoli baptizati fuerūt in die Pēthecostes, de quo legitur in actis: Vos autē baptizabimini spiritu sancto nō post multos hos dies. Verum veteres oēs hunc locū de baptismo aquæ interpretātes sequēdos esse iudicamus: Durat enim baptismus aquæ quamdiu viuimus estq́ue ipsa baptismi spiritussancti causa, vt habet Aug. de nupt. & concupis. & contra Iulianum Pelagianum.

Li.1.ca.57 Ench.c.49 Lib.5.cont. Donat.c.9. & sequent. Magist.sen. lib.4.dist.2 p.D. Actor.1 Lib.1.ca.33 Lib.6.c.5

Cuius uentilabrum in manu sua. Cuius iudicium, in propinquo est, quo impios, qui tanquam sancti bonis commiscentur, à congregatione iustorum separabit, quemadmodum paleæ leues ventilabro à tritico secernuntur. Horumq́ue iudicium ita est propinquum, quasi iam opere compleretur: veluti propinqua est separatio palearum à tritico quando rusticus habet ventilabrum in manu sua. *Et permundabit aream suam.* Perfectè mundabit Ecclesiā suā, nul-



nullumq; amplius in ea relinquet impium. *Et congregabit triticum suum in horreum.* Bonos in regnũ cœlorum colliget. Comparantur autem boni tritico, & mali paleæ, quia quemadmodum per ventilationem paleæ, quia leuiſsimæ à tritico ſeparantur, & eijciuntur, tritico in ventilabro, quia graue eſt permanente, ita impij in ventilatione extremi iudicij, quia defectu & inopia virtutum leuiſsimi ſunt, euentilabuntur, & à bonis ſecernentur: boni verò quoniam virtutum pondere graues ſunt perſiſtent & in regnum cœlorum congregabuntur. *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Paleas impios vocat qui bonis commiſcentur ſacramentorum, & fidei communione, eandemq; ſicut paleæ radicem cum tritico habent: Ignis inextinguibilis ſignificat corpora damnandorum ſemper ſine conſumptione arſura. Putat Auguſt. quod hic ignis futurus ſit corporeus, quem & alibi docet actiuum fore vrentẽ, & penetratiuum. Argumenta autem infidelium contra huius ignis æternitatem, & perpetuam corporum combuſtionem idem diluit, Auguſtin. de Ciuitate Dei lib.21.ca.1. vſque ad c. 9. lib. de Hæreſibus ad Quodvultdeum, in hæreſi Originis, & lib. ad Oroſium. Item Hieronymus in Epiſtola ad Ioannem Ieroſolymitanum in erroribus Origenis docentis eſſe hæreticum quod ignis ille ſit æternus, & quod animæ ibi æternaliter cruciabuntur.

De ciuitate lib.21.ca.9 & 10.
In Pſal.31.
Cap.5.6. & 7.

Ioannes autem prohibebat eum dicens. Petitur hic quomodo Ioannes prohibebat Chriſtum, cùm Ioannes Euangeliſta dicat Ioannem baptiſtam non cognouiſſe Chriſtum? Verum hanc quęſtionem ſoluit Auguſt. in Ioannem, & lib. de baptiſmo contra Donat. Item de conſenſu Euangeliſtarum. Deniq; Cyrillus ſuper Ioannem.

Tract.5
Lib.5.c.13.
Lib.2.c.15.
Lib.2.c.2

Sic enim decet nos. Vt tu mihi in hoc pareas, & vt ego humi-

humilier. *Implere omnem iustitiam* efficere vt alij humilitatis meæ exemplo permoti, meo baptismo baptizentur, & vitam suam rectè instituant. *Tunc dimisit eum* cessauit à prohibendo.

At ecce aperti sunt ei cœli. Ecce nouum & admirabile signum: cœli in gratiam & fauorem Christi aperti sunt, & separati, vt ipse secundũ naturam humanam cum omnibus ab eo baptizandis eos ingrederetur. Vt autem intelligatur quod baptismus Christi ex cœlo virtutem habeat, & quod illo baptismo baptizati cœlestia intueri possunt, obseruandum quod ait Lucas, capite tertio. Apertum est cœlum ipso orante: ad designandum quod fidelibus post baptismũ oratio sit magis necessaria, & quod hoc ipsum quod per baptismum cœlũ credentibus aperitur ex virtute sit orationis Christi.

Et uidit spiritum Dei descendentem sicut columbam. Ioannes baptista quandam veram columbam oculis corporeis ex cœlis apertis super Christum descendentem conspexit, & super eum requiescentem vidit. Hæc columba designabat spiritum Dei perpetuo à Deo emanare, & perpetuo super humanam naturam Christi venire & requiescere: quam significationem Ioannes ex Dei reuelatione intellexit. Descendere autem spiritussanctus in speciem columbæ dicitur, non quasi antea non descenderit: semper enim à Deo patre ex illo tempore quo Christus homo factus est, in eum descendit: nec etiam aliqua speciali gratia ipse spiritussanctus iam in eum descendit, qua ab initio incarnationis super eum non descenderat: verum duplici de causa ita in eum nunc descendit, Primo, quia suam diuinitatem quam antea non ostenderat manifestare cupiebat. Secundo quia Christus hic figurabat Ecclesiam suam, in qua spiritussanctus per baptismum in baptizatos descendit. *Ioan.1.*

Quod

Quod autem hæc fuerit vera & corporalis colum-
cap.11 ba habet August.lib. de agone christiano:nec fuerit
tamen ipsa à Spiritu sancto in personæ vnitate as-
cap.6 sumpta tractat lib.2.de Trinitate. Cur autem hæc
columba, sicut & multa alia Spiritui sancto peculi-
ariter non autem alijs personis tribuatur, quũ ta-
cap.21. men indiuisa sint opera trinitatis idem prosequi-
tur lib.7.de trinitate.

Et ecce uox de cœlis dicens. Sonuit vox de cœlis patrem repræsentans tãquam eam efferentem, & dicentem. *Hic est filius meus dilectus*, non Ioãnes, sed super quem sedet columba: ideo enim super Christũ ea descendit, vt sciretur vocem emissam nõ ad Ioannem, sed ad Christum referri. Hic ergo est filius meus vnigenitus, & naturalis. *In quo mihi complacui*

propter quẽ magnum me iudico, vel secũdum Au
Lib.2.c.14 gust. de consensu Euangelistarum, in quo constitui placitum meũ, id est, per quem statui gerere quod mihi placet, nempe genus humanum saluare: quod Dei propositum illi contrarium est, quo olim dicebat: Pœnitet me fecisse hominem. Proponit enim iam instaurare quod prius proposuerat euertere.

IN CAPVT QVARTVM.

cap.1 TVNC statim post baptismum (inquit Marcus) à Iordane scilicet regressus, actus & instigatus est, vt iret in desertum omnino inuium, & hominibus inaccessum, vt ex Marco colligitur, qui ait eum ibi cum bestijs fuisse, id est, vbi bestiæ sine hominum infestatione liberè permanebant. *Ductus est in desertum* quod iacet inter Hierusalem, & Iericho, vbi quidam inciderat in latro-
Luc.10 nes. Non autem tractus fuit, sed spontaneè se duci permisit. *A spiritu sancto* videlicet, *ut tentaretur*. Hoc fine, vt ibi ieiunijs & orationibus intentus, ac

absq;

absq; omnī hominum consolatione remanens, inuidum diabolum confunderet, & tentādi occasionem illli præberet: vt tentatus tentationem vinceret, & tentatos confortaret, modūq; vincendi diabolum doceret: quia nemo tentationibus carere potest. Vnde Iob Militia (inquit) est vita hominis super terram. *Cap. 7* A *diabolo.* Lucifero videlicet qui in summo choro Angelorum supremum ordinē tenuit, cui tanquam principi, magna de singulis ordinibus multitudo adhæsit, quos omnes secum in perditionem pertraxit, quiq; primum hominem tentauit, & vicit: Christum autem tentauit, & victus cum confusione recessit: & ex tūc potestatem suam amisit, quam in vltimis temporibus recuperabit. *Apoc. c. 12.* Voluit Christus à diabolo tētari propter tres causas: quarū prima est vt nos in tentationibus positi in eius adiutorio cōsideremus: Alias verò duas causas assignat Aug. *De trinita. lib. 4. ca. 13.* Statim quoque post baptismū tentatus fuit, vt ostenderet diabolum tunc maximè nobis insidiari, dum nouam vitam inchoamus. Diabolus nomen principis est, pro principe dæmoniorum Lucifero positum, & sic frequenter in sacra scriptura reperitur vsurpatum, vt ibi: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. *Mat. c. 25.* Item: Et proiectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus. *Apoc. c. 12.* Vnde non temere colligitur Luciferum ipsum fuisse qui Dominum tentauit. Propriè autem diabolus accusatorem, & criminatorem significat, vt in illo loco Psalmi. Diabolus stet à dexteris eius. Quatuor autem rationes ob quas Christus in desertum ductus, vt tentaretur, & non in domo sua tentatus fuerit assignantur, quarum prima est, vt magis diabolum prouocaret. Ideoq; ad desertum, tanquam ad certaminis locum iuit: solitarij namq; magis sunt tentationibus expositi, quemadmodum

dum scriptum est. Væ soli quia cum ceciderit nō habet subleuantem se. Secunda quia nos saluaturus erat alio,& planè contrario modo (contraria enim contrarijs sunt curanda)quam primus parēs Adam agere voluit, qui in loco deliciarum & societate fuit per diabolū separatus,& eiectus. Christus verò in loco omnino ab hominibus deserto, diabolum expugnare voluit,vt sic homines ad locum deliciarum,qui est vita æterna perduceret. Tertia vt vitam eremiticam approbaret, qualis fuit postmodū Anthonij, Pauli,& sequaciū. Quarta ratio mystica est,seu potius moralis, vt videlicet nos doceret prauorum hominum contubernium,& sæculi irritamenta fugere,atque ieiuniorū, silentij,& vigiliarum deserta sectari. Quæritur an hoc in facto Christus sit imitandus, vt scilicet nos tentandi diabolo occasionem demus? Respond. in hoc nos posse Christum imitari. Cæterum aduertendum est duplicem esse tentationis occasionem, vna enim est per se ad peccatum ducens, quæ omnino est fugienda,vt si quis cum flagitiosis & impijs hominibus conuersando, præsumat pietatem & sobrietatem se posse custodire: itē impudicarum mulierum contubernio & familiaritate etiam mentis castimoniam tutam sibi fore confidat. Qui enim hoc modo diabolo tentādi occasionem præbet,peccat, siquidem pro huius tentationis à nobis auersione,Deum quotidie in Dominica nostra oratione rogamus dicentes: Et ne nos inducas in tentationem. Alia autē est,quæ ex se mala non est,nec ad peccatum ducit, nisi ex parte diaboli inuidentis:& talis tentandi occasio fuit, quam diabolo Christus dedit, & in hoc eū laudabiliter imitamur. Ratio autem quare Christus statim post baptismū ieiunauit vna est,vt nos doceret post baptismū intentos nō debere esse securos,

sed

ſed parſimoniæ & ieiunijs diſceremus aduerſus tẽtationes optima ieiunorũ eſſe munimenta. Tertia, vt eos inſtruet,qui alios docturi eſſent,& alijs prædicaturi:qui enim tale ſuſpicit munus , prius ſeipſum mũdare debet,& carnẽ ſuam caſtigare & tum demùm ad alios docendos procedere iuxta illud Apoſtoli:Caſtigo corpus meũ,& in ſeruitutẽ redigo ne fortè cũ alijs prędicauerim reprobus efficiar. 1. cor. 9.

Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Non more Iudaico , & aliorum hominum, qui poſt ſolos occaſum ieiunium ſoluebant,ſed ipſe tam noctibus quã diebus à cibo abſtinebat : ſic contemplationi Dei,precibus, & ſimilibus intẽtus vt totis quadraginta naturalibus diebus famẽ nullam ſenſerit:tãtaq; fuit illius contemplationis dulcedo & ſuauitas , vt naturam alioqui infirmã per hos quadraginta dies à morte ſeruauerit : Exactis autẽ quadraginta diebus, vt naturę humanę veritatem quam aſſumpſerat oſtenderet , & diabolus tentandi occaſionem haberet · infirmam naturam ſibi dimiſit , & grandem famem paſſus eſt: Vnde *Accedens tentator* in ſpecie humanæ naturæ, qui per prophetas,Chriſtum verum Deum,& verũ hominẽ fore ſciebat: quã ob rẽ nõ vltra quadraginta dies ieiunauit,vt diuinitatẽ ſuam diabolo celaret:ſi enim in ieiunio diutius perſeueraſſet,potuiſſet diabolus colligere eũ eſſe Chriſtũ:nunc verò quũ Moyſes in monte,& Helias in itinere, totidẽ, diebus ieiunârint nihil certi colligere hinc potuit. Diuerſa tamẽ fuit horũ,& Chriſti ſuſtẽtatio. Moyſes enim colloquio Dei eſt ſuſtentatus,Helias verò in fortitudine cibi cuiuſdã panis ſubcinericij ſemel ſumpti confortatus,at Chriſtus nõ aliena,ſed propria virtute cõſeruatus fuit. *Tunc aſſumpſit* nõ portãdo,ſed ducẽdo,quẽadmodũ Chriſtus Petrũ, Iacobũ & Ioã. aſſumpſit in mõtẽ corã eis trãsfigurãdus. Matth. 17.

Ne-

Nequaquam autem mirum videri debet quod se ab iniquitatis authore,& capite duci permisit, qui & à membris illius, Pilato videlicet & Iudæis eorumque ministris capi,& crucifigi sustinuit.

Si filius Dei es dic, iube ut lapides isti panes fiant. Hoc diabolus vtebatur argumento. Si lapides in panes transmutare potest, verè filius Dei est, sin minus, homo tantum.

Scriptum est, non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Petitus est hic locus ex Deuteron. cap. 8. vbi Moyses ad populum sic ait: Afflixit te penuria,& dedit tibi cibũ manna, quod ignorabas tu & patres tui: vt ostenderet tibi quod non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. Per *panem*, intelligit omnem illum victũ quo corpora nostra quotidie aluntur. *Verbum*, Hebraico item more pro re aliqua ponitur. Est autem hic sensus. Non solus panis & vulgares cibi isti sunt quibus homo alitur & sustentatur, sed quicquid à Deo destinatur, vt homini sit alimenti loco. Generaliter decreuit Deus panem vt cor hominis confirmet, sed non ita vt in solo pane sit hominis vita. Quod panis pascit non aliunde habet quam ex prouidentia & dispositione Dei, quæ tantæ est virtutis, vt etiamsi mortiferum cibum ad vitam ei destinet, iam non sit mortis, sed vitæ cibus. Quicquid ergo voluerit Deus homini cibum esse, eo non minus aletur quam solito cibo, siue in eius locum aliud quippiam substituat, vt manna patribus in deserto ministrauit, siue nihil, vt Moysen, Heliã & Christũ ipsum, sine vllo cibo per totos quadraginta dies conseruauit.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, Ierusalem scilicet, quæ sancta dicebatur, ob verũ religionis cultum, quo Deus in templo ibidem magnificè constructo à Iudæis colebatur. *Et statuit eũ super*

Assumpsit ...

super pinnaculum templi altum quoddam deambulacrum ex quo sacerdotes populo prædicabant: *Et dixit ei. Si filius Dei es mitte te deorsum. Scriptum est enim quia angelis suis mandauit de te ut custodiant te, &c.*
Quæritur an diabolus, intelligat sacram scripturã, & verum eius sensum cognoscat? Respond. Eum tantum de sacra Scriptura scire quantum illi à Deo permittitur. Malè autem scripturam hanc allegauit, nõ quod psalmũ qui de homine iusto scriptus est, Christo saluatori applicare voluerit, sed in hoc quod eam cõtra sensum psalmi allegauit, sine vllo tropo, qui tamẽ tropicè intelligendus est. Secũdo, quia promissiones psalmi, ad homines sui ipsius occisores, Deumq; tentantes pertinere voluit: & hoc genus allegandi scripturas perniciosissimum est. Tertio, quia ita scripturam allegauit, vt illa quæ ad verum Scripturæ intellectũ ducere poterant omiserit, id videlicet quod continuo sequitur. Quoniã in me sperauit, liberabo eum, &c. clamauit ad me, & ego exaudiam eum, &c. Quarto, quia verba quibus ipse describebatur prætermisit. Nã sequẽti versu vocatur aspis, basiliscus, Leo, & draco, quorum proprietatibus pulchrè depingitur. Psalmus autem iste promittit speranti in Domino, & ad eũ per preces cõfugienti, perpetuam ab omnibus malis angelorum protectionem; vt si saluti eius expediat, ne in lapidem quidem vsquam offendat. Vnde ex hoc loco colligi potest, quod homo Deo in timore seruiens, multos in sui custodiã habeat angelos, vt etiam patet ex Elisæo propheta, qui (cum vellet eum rex Assyriorum capere) puero suo dixit, plures nobiscum sunt quam contra nos: & per orationem Elisęi vidit puer montem plenum curruum, & equorum in circuitu Elisæi.

Psal. 90

4. Reg. c. 6

Non tentabis Dominum Deum tuum, Non quæres experimentum de Dei virtute citra necessitatem:
E quan-

Quando enim humana via periculum vitari potest,non licet eo omisso miraculosè à Deo auxilium petere. Quando ergo à Deo aliquid petimus, non iusta,ac legitima causa exigente,vtpote quando nec necessitas,nec vtilitas vrget, Deũ tẽtamus. Est istud populo diligenter inculcandum, qui frequenter hac in parte delinquit.

Et ostendit ei omnia regna mundi in temporis momento,vt ait Lucas,digito omnes terrarum partes

cap. 4. in quibus erant regna demonstrauit. *Et gloriam eorum*. Ostensione hac in ipso dominandi libidinem concitare cupiebat,atq; in auaritiam, ac terrenorũ amorem pellicere,vt hoc modo ad apertũ Dei cõtemptum pertraheret. Cõstat enim quod diabolus hic à Domino tãquam omnium regnorum mũdi Dominus,atq; dispensator (quod soli Deo cõpetit) adorari voluit adoratione latriæ,vt sic cõtemptus, & vilis Deus haberetur. Lucas addit eum dixisse:

cap. 4. Quia mihi tradita sunt,& cui volo do illa, in quo impudenter mentiebatur, nec mirum quũ ipse sit mendacij author & pater. *Hæc omnia tibi dabo.* Non addidit hic,sicuti in prioribus tentationibus, Si filius Dei es, quia quodammodo certus erat quod nõ esset Christus: Videbat enim in eo magnã simplicitatem, eumq; inniti alieno auxilio, scripturæ scilicet sacræ,vel fortasse existimabat eum hoc pacto responsurum, Adorabo ego te pessime dæmõ? tu me adorare debes,qui filius Dei sum. *Si cadens adoraueris me.* Si tanquam inferior coram superiore in terram procidas,tibi (quem dignum, & ad totius orbis obtinendũ imperium, atque moderandum conspicio idoneum)hæc omnia dabo:Tantæ enim potestatis & excellentiæ sum,vt per meipsum hæc non digner administrare, sed per mihi subditos: Pro tanto autem beneficio quod tibi impendere volo,nihil omnino peto nisi vt me (quod exiguũ

est,factuque facillimum)horum omnium largitorem agnoscas & in terram procidens adores. Ecce quanta fuit diaboli superbia. Cultum diuinum sibi vsurpare nititur,nec mirum quũ ab initio Deo similis esse cupiebat: vnde merito in infernum deturbatus est.

Vade satana. Audita hac tanta blasphemia,nõ tulit vltra Christus Sathanam, ac eius peruersitatem superbiamq; cognitam sibi esse declarans, cũ ira,& graui increpatione à se repellit, & abire iubet,tãquam omnis boni & veritatis aduersarium.

Quod autem in hac tentatione,non autẽ in duabus prioribus indignationem & vehementiã ostẽderit,admonet nos,quam patientes in priuatis esse debeamus iniurijs,in Dei autem & Sacramentorũ eius blasphemijs acres & seueri. Obseruãdum etiã est,optimam esse rationẽ superandi diabolicas machinationes,atq; tẽtationes,si cũ Christo dicamus, Vade Sathana,eas videlicet contemnendo, illisq; non immorando: Nam cum eas animo reuoluimus,quamuis nõ consentiamus,in hoc tamen diabolus gaudet,quia honorari videtur,dũ quod proponit tãti facimus,vt illud in animo nostro reuoluamus & expendamus.Huius rei exẽplũ habemus 4.lib.Reg. vbi refertur quod cũ Rapsaces obsedisset Ierusalẽ,& Deũ blasphemasset,populus ex præcepto regis tacuit,& non respondit ei verbũ:similiter facere debet quicunq; à diabolo tentatur,vt eũ prauas cogitationes suggerentẽ non audiat, nõ expendat,sed statim repudiet,atq; contemnat: qui cũ contemptum ferre non possit,cum confusione victus abibit. *Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis.* Solum patrem, filium & spiritum sanctum vnum Deum adorabis, qui omnium regnorum mundi potestatem habet, & vnicus est bonorum omnium largitor,& principalis Dominus. *cap.18.*

Et illi soli seruies, tanquam omnium regum Domino, ea scilicet seruitute quam Græci latriam vocãt. Sancti quidem venerari possunt, & orari, sed non proprie adorari: venerari inquam possunt veneratione duliæ, quæ creaturæ debetur, veneratione quoque hyperduliæ quæ B. Mariæ virgini tribui solet. *Reliquit eum diabolus*, consummata omni tentatione cõfusus abijt, & ab eo tentando non quidem perpetuo, sed ad tempus (vt refert Lucas) cessauit:
Luc.4. Nã & postea varijs armis, & machinationibus instructus, ad tentandum Christum prodijt, & præcipuè in eius passione, in qua nec ipsam diuinitatẽ eius adhuc deprehendere potuit. *Et ecce angeli accesserunt & ministrabant ei*. Veluti serui ad Dominũ suũ Iesum Christum in humana specie accesserunt, & in victualibus, cibo, potu alijsque necessarijs ministrãrunt. Hic quæritur cur non potius sit ciuitatem ingressus, aut amicorum suorum potius ministerio, quam angelorum vsus fuerit? Respon. Id propterea factum, vt nobis significaretur, quod quoties diabolum vincimus & eius tentationem superamus, mox ad nos Angeli accurrant, victoriam nobis gratulantes, & necessaria subministrãtes. Quæritur etiam vtrum istæ tentationes fuerint continuæ? Et apparet quod sic, nam in primis Euangelista dicit in secunda tentatione, Tunc assumpsit eum diabolus, absoluta scilicet responsione. Ad hæc Angeli, non ante peractam tentationem ad Christum accesserunt: vnde si inter has tentationes magna mora fuisset, prius accessissent, quandoquidem Christus ante primam tentationẽ valde esurierit, ciboq́ue indiguerit. Denique quia post tertiam tentationem dicitur, Tunc reliquit eũ diabolus, quasi diceretur, primo accessu vsque ad consummationem harum tentationum eum non
cap.4. reliquit. Quæritur rursum cum Lucas secundam tenta-

tentationem ponat, quàm hic Matthæus tertiam, quomodo inter se concordent? Respond. Matthæus verum seruauit historiæ ordinem, non autem Lucas. Secundo dicit, iterum assumpsit eum, ergo prius eum assumpserat, ideo assumptio in sanctam ciuitatem secunda tentatio est. Tertio Christus iubet Sathanam in tertia tentatione abire, ergo tunc abijt. Quarto idem ex hac ratione cognosci potest, diabolus enim pedetentim à peccatis minoribus ad maiora progreditur, ergo de ipsius adoratione tertia tentatio fuit, quod nimirum est maximum & grauissimũ scelus. Cæterum Lucas vt omittam quod in quibusdam codicibus idem cum Matth. reperiatur ordo, quoniam nullã temporis dat significationem, vera refert, sed non habita ordinis ratione. Matthæus verò vt tempora annotauit, ita & ordinem seruauit. Diligenter quoque obseruandum est quod Christus per sacrã scripturam semper diabolo responderit, vt discamus & nos semper ad scripturas sacras, & Dei verbum respicere, eorumq́ præsidijs tentationes diaboli superare, ad quod & Paulus admonet, inquiens, Accipite armaturam Dei, in omnibus sumentes scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Scripturas autem omnes quibus diabolo respondit ex Deuteronomio sumpsit, quia secutus est communem Iudæorum Deum reuerẽtium morem, qui præ cæteris hunc potissimum librum legebant: quod satis ex ipso libro constat, Præceptũ enim erat eis vt semper in illo libro meditarentur. Hic autem liber præ reliquis ipsis cõmendabatur, quia in illo gratia Dei, sine qua seruari lex non potest maximè prędicatur & ostenditur: quod ex Paulo patet, qui iustitiã fidei probare volens, hanc ex Deuteronomio scripturam desumpsit, Ne dixeris in corde tuo quis ascendet &c. Item

Ephes. 6.

Deut. 17. & 31. & Iosue 1.

Rom. 10

in eodem capite, prope eſt verbum tuum in ore tuo &c. Et pluribus alijs locis. Auget hanc commendationem, Deuteronomij vocabulum idem nimirum ſignificans quod lex ſecunda, qua parte legem nouam præfigurat.

Cum autē audiſſet Ieſus quod Ioannes traditus eſſet. Cũ intellexiſſet in Iudæa baptiſtã à Scribis & Phariſęis in manus Herodis tetrarchæ traditum eſſe, intellexiſſe quoque eos quod multo plures ad ipſum, quàm ad Ioannem confluerent: ideoq; magis ſibi à Chriſto metuere quam prius à Ioanne, Iudæa relicta in Galilæam ſeceſsit. Obſeruare hic oportet, quod inter tentationes Chriſti & aduentum eius in Capharnaum, intercedant omnia quę Ioannes habet Euangeliſta tertio, & quarto capite. Qui ſolus ea à cæteris omiſſa proſequitur.

Venit & habitauit in Capharnaum maritima Poſita in littore maris Galilææ, in terminis terræ duarum tribuum.

Via maris trans Iordanem Galilææ gentium, qua itur ad mare Galilææ, & qua Iordanis à mercatoribus tranſitur: quæ terra eſt Galilæa gentium, vel ad Galilæam gentium pertinet: viginti enim oppida Galilææ, à Salomone Hiram regi Tyri data ſunt.

Populus qui ſedebat in tenebris. Quaſi dicat, per hæc
3. Reg. c. 9. intelligo populum in his locis habitantem, qui ante Chriſti aduentum præ cæteris Iudææ partibus, in magnis ignorantiæ & peccatorum tenebris verſabatur: tum quia remotus erat à templo Dei quod erat Hieroſolymis, tùm quia gentilibus Tyrijs & Sidonijs impijſsimis permixtus erat.

Vidit lucem magnam. Spiritaliter & corporaliter cognouit Chriſtum Dominum, qui ſolus eſt lux ſpiritalis, & lux magna. *Et ſedentibus in regione umbræ mortis,* in denſiſsima caligine, lux orta eſt eis. Chriſtus ortus eſt eis, ſingulari ſcilicet, & ſpeciali mo-

do,

do, præ alijs Iudæorum ciuitatibus, eo quod ferè Saluator ſuam prædicationem, & miracula maximè apud iſtos fecerit: per quod myſticè ſignificabatur quod eſſet Iudæos relicturus, atq; ad duras, & excæcatas gentes tranſiturus.

Exinde cœpit Iesus prædicare, ex quo Ioannes traditus eſt, abſoluto iam tanquam nuncij, & præcurſoris officio, Chriſtus ipſe veluti Dominus principalis à Ioanne prænuntiatus, manifeſtè & continenter prædicare cœpit. Prædicauerat quidem & antea, ſed non aſsiduè & indeſinenter. *Et dicere. Pœnitentiam agite.* Iſtud ſupra expoſitum eſt, in prædicatione Ioannis. Eadem quoad doctrinam vtriuſque prædicatio eſt: in hoc tamen differunt Chriſtus & Ioannes, quod hic tantum prædicet, ille verò quod prædicat etiam præſtet. Cap.3. Ioan.1.

Vidit duos fratres, corporalibus & ſpiritualibus oculis *Simonem qui*, nomine ab ipſo Saluatore impoſito, *Petrus uocatur*, id eſt ſaxum, ſiue rupes. Mutatio nominis quæ in Scripturis, à Deo facta legitur, doni ſpiritalis alicuius gratiæ ſignificationem habet. Sic legimus Abram & Iacob nomina eſſe mutata, quorum ille Abraham iſte verò Iſraël vocatus fuit. Eſt autem Simon à Domino ſaxum, ſiue rupes vocatus, quod ſuper eum tanquam ſuper firmum fundamentum, Eccleſiam eſſet ædificaturus. Quæritur an iſta ſit prima Petri vocatio, qua à Chriſto vocatus eſt? Reſpondeo nō eſſe. Hęc enim in Galilæa facta eſt, Ioāne in carcerē miſſo: alia autem quæ prima fuit ad familiaritatem in Iudæa accidit extra Galilæam, antequam Ioannes in carcerem mitteretur. Secunda autē vocatio ea fuit de qua apud Luc. ca. 5. Hac verò tertia & vltima vocatione ad Apoſtolatum accitus fuit. *Venite poſt me* corporaliter me comitantes, mihique adhærentes atque ſpiritaliter me imitantes, & ego Geneſ.17 Geneſ.32 Matth.16 Ioan.1

tantam vobis gratiam impertiar, vt euangelij mei annuntiatione, veſtra conuerſatione, ſacramentorũ deniq; adminiſtratione, hoïes profundiſsimis peccatorũ tenebris immerſos educere inde atq; eripere poſsitis: Siquidem *faciam uos fieri piſcatores hominum,* qui ſic in peccatorũ ſordibus, vt piſces in aquis volutantur. De his piſcatoribus prænunciauit Hieremias: Ecce ego mittã piſcatores multos dicit Dominus & piſcabuntur eos.

cap. 16

Illi autem ſtatim relictis retibus, & omnibus bonis inter quæ retia, & nauicula erant præcipua, ſequuti ſunt eum.

IN CAPVT QVINTVM
Matthæi.

Videns autem Iesus turbas Hoc eſt: Cum & corporalibus & ſpiritualibus miſericordię ſuę oculis turbas vidiſſet, ratus adeſſe doctrinę ſuę explicandæ tempus, in quendam Galilææ mõtem aſcendit.

Acceſſerunt ad eum diſcipuli, vt eſſent corpore vicini, qui erant animo propinqui. *Et aperiens os ſuũ,* qui aperire ſolebat ora Prophetarum. Hac circumlocutione ſignificatur ſermo prolixior, & vox clarior quæ ab omnibus exaudiri poſsit. *Docebat eos,* diſcipulos ſuos videlicet, vna cum circumſtante turba: docebat (inquam) non tantum hæc quæ ſequuntur, recitando, ſed idem varijs modis inculcando, vt & diſcipuli, & turbæ capere poſſent.

Beati. Sermonem incipit à beatitudinibus, quia ſermo omnis inanis eſt, qui ad beatitudinem, quæ totius bonæ vitæ finis eſt, non ordinatur. Et licet omnes illam quærant, multi tamen in ea dijudicãda toto cœlo aberrant: & ideo ſaluator ne error circa illam committatur tam diligenter inculcat.

Beati

Beati ergo non in re perfecta, sed in spe iuxta illud, Spe salui facti sumus. Nec subtiliter hic de beatitudinis definitione agendum est, præstat enim nos scire modum perueniendi ad beatitudinem, quam subtilem & philosophicam eius definitionem. Scripturæ autem sacræ pronunciãtes aliquem beatum ex vnica virtute, vel duabus, intelligendæ sunt quantum est ex parte illius virtutis, modò aliunde non sit defectus. *Pauperes spiritu.* Locus hic non male à quibusdam de humilibus accipitur. Verum si ad sextum cap. Lucæ, & antithésim beatitudinibus illic oppositam respiciamus, ad inopes & diuitijs carentes potius pertinebit. Etenim primæ huic beatitudini, maledictionem opponens, Væ vobis diuitibus inquit, qui habetis consolationem vestram. Pauperes ergo spiritu sunt qui voluntate & affectu pecunijs carent, hoc est, qui nõ sunt eis affecti, nec inordinate eas prosequuntur: diuites contra spiritu sunt, qui diuitias concupiscunt, ijs tanquã magnis bonis afficiuntur, & spem fiduciamq́ suam in eis collocant. Neque enim omnes diuites miseri sunt, sed illi duntaxat qui ex diuitijs consolationẽ sibi quærunt, vt ibidem addit Lucas. Ita non omnes pauperes beati, sed illi soli (vt Christus dicit) qui spiritu, id est, corde, ac volũtate pauperes sunt. Rectè ergo adiecit *spiritu*, quia paupertas per se nos Deo non commendat, sicut nec diuitiæ per se inimicos efficiũt: sed animus ordinatus, nos ad Deũ ordinat, inordinatus verò ordinem ad Deum perturbat: Vnde animus circa diuitias inordinatè affectus, & cupiditate plenus in multa peccata erũpit, nam radix malorum omnium est cupiditas ac omnium maximè hominem à vera lectionis euangelicæ perceptione præpedit. De diuitibus spiritu habes & apud Prophetam Amos ca. 6. & Iacobum cap. 5. & in cantico B. Mariæ virginis apud Lucam cap. 1.

Rom. 8.

1. Tim. 6

cap.primo. *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Rationem reddit superioris beatitudinis ac si diceret, licet isti non afficiātur terrenis,& nullam ex illis recipiant consolationem, in rei veritate tamen admodum fœlices reputandi sunt, quia etiam nūc cū adhuc in miserijs isti versantur opprimiq́ꝫ videntur, regnū illud quo in cœlis regnatur ad eos Dei ordinatione pertinet: suntq́ꝫ tanquā reges quidā super
math. 24 omnes Dei diuitias constituti: iuxta illud. Super o-
Apoc.1. mnia bona sua constituet eos,&, fecit nos regnum seu reges & sacerdotes Deo,& patri suo. In singulis beatitudinibus ponitur pro pręmio regnum cœlorum,& vita æterna, quæ pro correspondentia virtutum variè nominatur, in duobus quidem locis expresse: Primo loco, quatenus in regno cœlorum diuitiæ considerantur. Secundo, in octaua videlicet beatitudine, quatenus in illo superioritas cōsideratur. Ipsorum autem esse dicitur regnum cœlorum, quia iuxta liberalem Dei ordinationem tam magnum eis pręmium debetur: est enim in pronomine (ipsorum) emphasis quædam.

Rom.12 *Beati mites*, lenes, qui non reddunt malū pro malo sed in bono vincunt malū. *Quia ipsi possidebunt terrā.* Licet nunc per potentiam diuitum deprimantur, nec pro terrenis rixentur, postmodū tamen hæreditario iure soli plenè & pacificè totā terrā possidebunt, tanquā ipsius Domini, cuius possessione nūquā poterunt eijci: atq; hæc beatitudo plenè expri-
Psal.36. mitur in Psalm. Noli ęmulari in malignātibus &c. Terra hic sumitur pro terra proprij nominis super quā purgatam & renouatam regnabunt sancti quāuis in cœlis existentes. Sic enim & B. Petrus intel-
2.Pet.c.3 ligit. Nouos inquit cœlos,& nouā terram expectamus, in quibus iustitia habitat. Aug. verò de serm.
Lib.1.ca.3. Dom. interpretatur de terra viuentiū, id est soliditate & stabilitate hæreditatis perpetuę vbi aīa per
Psal.141 bonum

bonũ affectũ tanquã loco suo requiescit, sicut corpus in terra. Infœlicitas autẽ, & væ quod huic beatitudini correspõdet est istud, Væ immitibus quoniã ipsi ab hæreditate exterminabuntur. Similiter potest dici in cęteris, nã singulis beatitudinibus suę possunt opponi infœlicitates, vt patet ex 6. illo supradict. ca. Luc. *Beati qui lugẽt* qui ordinatè animi sui dolorẽ gemitu, lachrymis, voce, gestu, vel aliquo externo opere prodũt: dolorẽ (inquã) quẽ cõceperũt ob propria peccata, & aliena, ob absentiã, & morã Dñi, ęternę fœlicitatis dilationẽ, ob miserias proprias, & alienas. Debẽt autẽ ordinatè dolere ita scilicet, vt per Deũ à peccatis liberentur, & deinde à miserijs iuxta illud, Cõuertimini ad me in lachrymis, fletu, & planctu. Et defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legẽ tuã. Quod etiam aliorũ peccata lugere oporteat hinc discimus, quod in scripturis luctus iste cõmendetur, vt apud Psal. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei, & in eod. Psalm. Vidi præuaricantes & tabescebã. Et apud Hiere. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontẽ lachrymarum: Zelus Dei facit me tabescere, Item apud Ezechiel. Quis dabit oculis meis aquã. Quũ autẽ in alijs beatitudinibus deficiamus, in ista nos permanere, & quodãmodo perfectos esse oportet. *Quoniã ipsi cõsolabũtur* in resurrectione post hãc vitã, quando id ob cuius defectũ lugebãt assequentur: aliquã tñ etiã in hac vita accipiũt consolationẽ. Cõtra autẽ, Væ ridentibus qnoniam lætitia eorũ vertetur in luctũ.

Ioel. 2.

Psall. 118

Hiere. 9

Ibidem.

Ezech. 9.

Luc. 6.

Esa. 22.

Sap. 2

Beati qui esuriunt, qui quemadmodum famelici cibum & sitibundi potum, ita *iustitiam quam non habẽt*, id est, perfectam diuinæ legis impletionẽ, vitiorum suorum expurgationem & peccatorum remissionem, auidè ardenterq́ desiderant. *Quoniam saturabuntur*, perfectè in futuro seculo id quod desiderãt ob-

obtinebunt,ita vt nullam passuri sint esuriem, sed iustitia omni replendi atque saturandi: ita vt penitus in eo quiescant quo saturabuntur. Esuries & spiritalis sitis eadē sunt. Iustitia autem est id à quo quis perfectè apud Deum dicitur iustus. Iustus ergo est qui pro modulo suo implet diuina mandata, & quotidie in ijs proficit. Vnde sequitur iustitiam hominum in hac vita non esse perfectam. quamuis enim vera sit,tam exigua tamen est, vt magis remißione peccatorum,quam vera virtute constet, vt ait August.de ciuit.Dei lib.19. cap.27.

Beati misericordes siue in corporalibus eleemosinis siue spiritualibus ergà proximum. *Quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Veniam pecccatorum,& alia dona. Contra autem, vę immisericordibus. Ex hoc loco hæretici quidam dicunt eum damnari non posse,qui misericors fuerit etiamsi alijs peccatis intricatus sit. Eum errorem refellit August.complurıbus in locis. Potest tamen hoc dici quod is ex parte illius virtutis quam habet damnari nō possit,at non ob peccata quæ habet,Eleemosinam largiens,peccatum immisericordiæ euadit,minusque peccat,non tamen ad vitam æternam hoc sufficere potest.

Beati mundo corde non dixit interpres(mundi corde) est enim is sermo amphibologicus, eos etiam significans qui mundo corde esse desiderant. Sensus ergo huius est:Beati qui mentem quantum fragilitas humana permittit,à criminibus,& peccatis alijs mundam habent,nec longè sunt à plena munditia cordis:quod autem deest,quotidie adipisci conantur, & de die in diem magis proficiunt,ac spiritu renouantur. *Quoniam Deum uidebunt* mente plenè mundata in futuro seculo intelligent sanctā trinitatem,id est,essentiam diuinam sicuti est,nō per aliquod ænigma vel speculum,sed facie ad faciem:

quæ

quæ non nisi à corde plenè mundo videri potest, in qua visione consistit tota hominis fœlicitas. De qua pulchrè D. August. lib. 3. de libero arbit. capite vltimo. Cæterùm quomodo simus Deum visuri an oculis etiam corporeis, tractat August. de ciuit. Dei. lib. 22. cap. 29.

Beati pacifici qui student vbique reddere omnia pacata. Isti sunt zelatores gloriæ diuinæ, qui homines cum Deo, & inter se secundum Deum pacare student, & ad veram pœnitentiam, veramq; Dei in Christum fidem inducunt, & pro delictis eorum apud Dominum intercedunt: & sic pacem veram componunt. Alia autem pax, hominum scilicet impiorum, non pax, sed conspiratio potius nominanda est, vt ait August. lib. 19. de ciuit. Dei. c. 13. *Quoniam filij Dei uocabuntur*, nomine ab ipsa re desumpto. Ab omnibus hominibus perfectè & plenè adoptiui filij vocabuntur, & pro talibus agnoscẽtur, Christi naturalis filij Dei nomen habentes. Quia enim in hac vita fuerunt ei similes in conuersatione & opere, erunt etiam similes in nomine: nam sicuti præcipuum Christi officium fuit pacificare homines cum Deo, & inter se, ita vt & pax nostra, & princeps pacis nominetur: sic etiam horum præcipuus in hoc fuit conatus. Aduertendũ diligenter est (Vocari) in Scripturis significare non tantum qualemcunque appellationem, sed eã quæ est à re ipsa desumpta, vt Propheta altissimi vocaberis, &, vocabis nomen eius Iesum. Quod autem ab omnibus cognoscentur & filij Dei vocabuntur, ex Sapiente manifestum euadit: qui refert impios in futuro sic dicturos: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. Qua verò nominis significatione filij Dei appellandi sunt, docet August. cõtra 2. Epistolas Pelagianorum lib. 3. cap. 3. Et quod videlicet erunt non filij naturales (quoniam vnicus est

Ephes. 2.
Esa 9
Luc. 1.
Matth. 1
Sap. 5

cus est Iesus Christus naturalis Dei filius) sed adoptiui, qui propter imitationem operũ Christi filij Dei, nominis etiã eius participatione donabũtur.

Beati qui persecutionem patiuntur. In corpore, fama, & externis bonis, & animo forti & patienti aduersa quæq́, propter Christũ tolerant, siue *propter iustitiã*, id est, mandatorum Dei obseruationem, quã vel ab alijs impleri cupiũt, vel ipsi eã defendũt: In quo genere martyres eminẽt, *Ipsorum est enim regnum cœlorum:* etsi in hac miseriarum valle, quodammodo miseri esse videantur, & ab alijs opprimi, nihilominus tamen veri hæredes sunt regni cœlestis, & super omnes inimicos suos, definito à patre tempore in cœlis regnaturi. Septem hæ beatitudines

Esa.11 septem donis spiritussancti, ordine retrogrado ab Esaia enumeratis respondent: vt pulchrè Aug. declarat li.1.c.9. de ser. Domini in monte, & de doctrina christiana lib.2. cap.5.

Beati estis. Hactenus Saluator noster generalia contra vulgi opinionem paradoxa posuit: nunc verò sermonem suum ad Apostolos, eorumq́ successores conuertit, inquiens. O vos Apostoli mei qui hęc alios docturi estis, *Beati estis* propter eximię virtutis occasionem, quam accipietis *cum maledixerint vobis homines* carnales, iniurijs, conuitijs, atque contumelijs vos, afficientes. *Vosque persequuti fuerint* in rebus famæ aut corporis. *Et dixerint omne malum aduersum uos.* Vobis absentibus detraxerint. Vnde patet quod præcedens maledictio de contumelia in faciem irrogata intelligi debeat, ista verò de detractione in occulto facta. *mentientes propter me.* Falsum dicentes, quia me prædicatis. Hunc locum explicat Paulus dicens: Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus

Rom.6. &c. Item Lucas capite sexto, Væ vobis cum be-

Luc.6 nedixerint vobis homines: quia cum plurimi sint

mali

mali oportebit vos illis similes esse. *Gaudete* interius *& exultate* gestu exteriori, *quia merces uestra copiosa est in cœlis.* Quia propter hæc gloriam cœlestẽ consequemini. *Sic enim* simili modo, odio videlicet, falsis nominibus, pessimisq́ criminibus *prophetas* veteris testamenti, Iudæorum impiorum scelera reprehendentes, persequuti sunt. Non igitur propter hæc contristari debetis, quia maxima fœlicitas & gloria est talibus hominibus assimilari posse. Quomodo autem prophetas persequuti sint Iudæi, videre licet ex lib. Regum de Helia, Michea Zacharia. Id quod tractat & Esaias à cap. 23. ad finẽ.

Vos estis sal terræ. Quemadmodum sal cibis saporem præbet, eosque à putredine conseruat, & tuetur, sic & vos cum successoribus vestris, insipidos & insulsos homines per doctrinam vestram, conuersationem, orationem, salire, & à vitiorum corruptione & cõtaminatione seruare debetis, vt quodãmodo diuino ori sapidi exhibeantur: nihil enim Dominus in os suum immittit, nisi sapidum fuerit: vnde tepidi ex eius ore euomi dicuntur. *Quod si sal* Apoc. 3 *euanuerit.* Quia vos sal terræ estis, maximè cauere debetis, ne persecutionis metu, salis vigorem, & acrimoniam amittatis: ne vel vita vestra, vel doctrina, labe quadam contaminetur, quia si sal insipidus fuerit, inueniri nihil potest pet quod condiatur, & sapidus reddatur. Ideoq́ qui salire debet, si à veris virtutibus, aut doctrina deuiet, non inuenietur qui eum possit conuertere, & saluare. Hæc per se intelligenda sunt, nã doctor insipidus alium, nõ autem seipsum docere potest. *Ad nihilũ ualet ultra,* id est, ad nullum vsum valet sal, nec ad fimum quidem aut sterquilinium, *nisi ut conculcetur ab hominibus* tanquam res nullius valoris & momenti quæ abijci debet: atque hæc causa est, cur sacerdotes à laicis vilipendantur. Qua de re vide 2. cap. Malach.

Vos

Vos estis lux mundi: Sic ex officio per bona opera & sanam doctrinam hominibus lucere debetis, vt per vos illustrati, peccatorum suorum tenebris eruantur. Vnde duas subiungit parabolas, quibus ad hoc Apostolos hortatur, quarum prior hæc est, *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Quemadmodum ciuitas in alto monte ædificata omnibus est conspicua, nec occultari potest, ita vos quos spiritalis cuiusdam ciuitatis meæ sanctæ Ecclesiæ super me tanquam montem ædificãdæ, prę-eminere volo ita vt conspicui sitis, nec latere possitis: ego enim semper vti mons in sublime eleuatus conspiciar, & cognoscar, siquidem gloria Christi nũquam occultari poterit. Nata autem ista Dei Ecclesia est, in die Penthecostes in Ierusalem.

Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio. Sic nec ego ideo in vobis doctrinæ, boniq; spiritus lumen accendo, vt illud timore aliquo humano abscondatis, *sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt,* in hoc mundo, vt clarè videntes vestrã bonam conuersationem in admirationem trahantur, vt sic tracti *glorificent patrem uestrum qui in cœlis est* qui tantam miseris hominibus dignatus est elargiri gratiam. In cœlis pater singulariter esse dicitur quanquam vbique sit, quia in cœlis tanquam in creatura dignissima residet, & se ibidem angelis manifestat, ostensurus etiam se quandoquè hominibus, ibique effectum suum gloriam suam manifestãdo ordinariè operatur · Deinde supremo Deo conuenientissimè suprema debetur creatura.

Nolite putare quoniam ueni soluere legem aut prophetas. Quoniam plurima noua præcepta traditurus est, præmunit auditores, vt non existimetur præcepta Moysi abolere velle. Ne putetis (inquit) quod in hunc mundum eo fine veni, vt tradita in quinque libris Moysi vel in prophetis præcepta, vel eis

con-

contradicendo, vel ea irritando euertere velim, etenim *Non ueni soluere, sed implere.* Veni omnia exhibere, quæ ibi prophetata & præsignata sunt, & opere præstare quæ ibi moralia sunt: non solum autem in meipso verumetiam in alijs, qui legē Dei propter prauitatem, & infirmitatem implere non valentes, gratia mea sic conuertentur & sanabũtur, vt eam implere queant: & si quid minus impletum fuerit per me ipsis ignoscetur. Soluere hic, siue destruere, est per doctrinam contradicere, & contrarium docere: infra autem vbi dicitur, Qui soluerit vnum de mādatis istis minimis, idē valet quod legem & mandata transgredi. Lex etiam ambiguè ponitur, quandoque pro tota Scriptura veteris testamenti: quandoque vt hoc loco & sequenti, pro quinque libris Mosi. Idem de nomine Prophetiæ, dicendum. Interdum enim generaliter totám complectitur scripturam veteris testamenti, pæter Moysen, vt hoc loco: interdũ verò specialiter vsurpatur, vt etiam contra Psalmos distinguatur, vt apud Lucam, Necesse est impleri omnia quæ dicta sunt in lege, prophetis, & Psalmis de me. Lex hic sumitur vt tam legem cæremonialem, quam moralem complectatur: nam apud Lucam vbi idem quod hic traditur, de vtraque agitur, quanquam Matthæus solum de moralibus mandatis agere videatur: qualia sunt. Non habebis Deos alienos. Honora patrem. Cæremoniæ verò sunt lotiones ante cibum, esus agni &c. Quomodo lex impleatur, tractat Augustin. contra Faustum Manichæum, impletur (inquit) lex cùm fiunt quæ ibi præcepta & prophetata sunt. Similiter lib. 19. con. eundem cap. 7. 8. 22. 23. 27. Non est autem hæc impletio, sic intelligenda quasi per additionem alicuius ad præcedentia, quomodo tritici mensura per aliquorum granorum additionē

Luc. 24.

Luc. 16

Lib. 17. c. 6

impleri dicitur. *Amen* duo significat, verè, & fiat, vt nunc asserentis, nunc optantis sit, vt patet ex Lucæ cap. 4. Quando optantis est opponitur apud Paulũ ei verbum, Absit. Apud Ioannem verò semper geminatum reperitur: in alijs euãgelistis tantũ semel positũ. *Amen* in veritate dico vobis me ad demoliendum & infringendũ legem vel prophetas non venisse, sed omnino ad implendũ. Etiã vobis hoc assero tantã esse Deo obseruationis suorum mandatorum curam, vt nec minima quidem illis contenta pereant, vel differantur, ita vt nõ omnino, & perfectè compleantur. *Vnum iota, aut unus apex.* Hyperbolicus, & figuratus sermo est. per hęc enim minima mandata, & minimę promissiones intelligũtur. *Non præteribit a lege*, id est, non peribit. Metaphora est à viatoribus sumpta vel à rebus successiuis quæ dũ transeunt, pereunt, quales sunt tẽpus & motus. *Donec transeat cælũ & terra*, vsq; ad interitũ cœli & terræ. Si propriè istud intelligatur ẽrit sermo per impossibile. Simile aliquid habemus apud Esaiã.

Esa. 51. Leuate in cœlum oculos vestros, & videte sub terra deorsum: quia cœli sicut fumus liquescẽt, & terra sicut vestimentum atteretur. Vel intelligi potest vsq; ad transmutationem sæculi, id est vsq; ad diẽ iudicij: nõ tamẽ quod tunc aliquid peribit, sed particula, vsq;, sumetur eodẽ modo quo, donec, vbi dicitur donec peperit filiũ suũ primogenitũ. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedũ tuorũ. Omnia autẽ mandata reputantur impleta, inquit Aug. Quando quicquid non fit ignoscitur.

Matth. 1. *Psal. 109* *1. Retract. cap. 9.*

Qui ergo soluerit unum de mandatis istis minimis. Cum tanta sit Domino de lege sua cura, vt ne mimimam quidem eius partẽ perire voluerit, audiãt doctores vocẽ Domini: Qui soluerit, inquit, vnũ &c. id est, qui transgressus fuerit vnũ de mandatis istis minimis, *Et sic docuerit homines* transgredi scilicet, *minimus*

uocabitur

vocabitur in regno cœlorum quantumuis hic magnus, & magno tituli honore insignitus existat, vilissimus tamen in vita futura apparebit: quia partē & locum in jnferno cū damnatis sortietur. Particula (in regno cœlorū) cū verbo(vocabitur) iungenda est. Alij hoc modo interpretantur. Minimus vocabitur in resurrectione mortuorum, quando iustis regnū cœlorū manifestabitur. Mādata minima dicuntur quæ sua generalitate pauca complectūtur, quæq; non finem, sed media præcipiunt: vt sunt nō occides, non furtum facies, Non falsum testimoniū dices. Maxima verò mandata sunt quę media nulla, sed finem immediatè præcipiunt: quale est: Diliges Deum tuū ex tòto corde tuo. Gregorius per minima mandata intelligit ea quorum transgressio non est magnum peccatum: per maxima verò, quorum violatio magnum est delictum. Docere autem peccatum quantumuis paruum, nō esse peccatum, in docente peccatum mortale est: ideoq; talis in regno cœlorū minimus vocabitur, quia diuinam legē peruertit, eiq; aduersatur. Omnes quoque damnati vocantur nouissimi & minimi regni Dei, non quod in regno aliquam hæreditatem habituri, sed quod ab eadem excludendi sint.

Qui autem fecerit opere, vel diuina suppletione, omnia legis, & Prophetarum mandata. *Et docuerit* hoc modo alios, vt sic faciant, is quasi honoratissimus in regno Dei erit, Aduertant hic & intueantur omnes Præpositi & Doctores magnum in officio suo bene se gerentiū præmium, & contra magnum malè in officio se habentium detrimentum & exitium.

Dico autem vobis ne putetis me frustra pręfatū esse de hoc quod nō venerī soluere legē, aut prophetas: itē de eo q; de legis doctoribus dixi: nō inquā existimetis me in vanū vobis docēdis fuisse occupatū

quasi totã à vestris doctoribus legẽ audieritis dico enim vobis *quia nisi abundauerit iustitia uestra plus, quã scribarum & Pharisæorum.* Nisi iustitia vestra,& vitę vestræ conuersatio,maior,exactior,& plenior quã docent,& pręstare cõtenti sunt pleriq; ex Pharisęis fuerit,*non intrabitis in regnum cœlorũ*: non enim tales ad tantam regni hæreditatem admittuntur. *Audistis* à vestris doctoribus,Scribis, & Pharisæis: *quia dictum est antiquis* patribus vestris *Non occides* vllum hominem innocentem. Peccatores siquidem & sceleratos,publica authoritate interficere licet. *Qui autem occiderit*, hominem aliquem authoritate propria, & priuata, *reus erit iudicio* obnoxius erit iudicio decernenti vtrum ipse etiam sit occidendus. Dixerunt vobis Doctores vestri,externum homicidij actum hic prohiberi, ac politicam pœnam in lege præscriptam vos docuerunt. *Ego autem* tanquã verus legis doctor perfectam eius intelligentiam habens. *Dico uobis* quos erudire,& eruditos ad prędicandum cęteris mittere cupio. *Quia omnis qui irascitur fratri suo. q.d.* Non solum externa cædens vetita est, sed sub illo præcipuo hominis nocumento quodlibet vitæ humanæ nocumentum,omnísque nocendi appetitus prohibetur. Sed nec politicæ tantum legis pœna in lege Domini præscripta & à doctoribus explicata per legis violationem iucurritur,sed æterna quoque à Deo infligenda. Dicitur autem quis irasci fratri suo, quando aduersus fratrem, hoc est, hominem quemlibet vindictam expetit.Quilibet enim homo propter vnum spiritalem patrem Deum, ac vnum carnalem Adamũ frater nuncupatur.Nam quum quis iusta ex causa irascitur,non peccat,sed peccatum destruit, non enim fratri,sed vitio irascitur.Pro ira cæterisq; animi affectibus intelligendis legendus est Augustin. lib.14.cap.7.& 8. de ciuitate Dei. *Reus erit iudicio.*

Ob-

Obnoxius erit: nō vt ab hominibus iudicetur, sed à iusto iudice Deo, cuius inflexibilis iustitia quęcunque ad iudicium suum sine misericordia adduxerit, ad gehennam cōdemnabit. Neminem enim Deus (quemadmodum homines interdum vel ex ignorantia, vel malicia faciunt) innocentem ad iudicium pertrahit. Notandum autem hic est nullū esse iudicio reum præter eum qui mortaliter irascitur: agitur enim hic de ira quæ mortale peccatū est, cuius ad Ephes. & Galath. Meminit Paulus: quod etiam ex eo patet, quia loquitur Christus hoc loco de illo, qui proximo nocere intendit: omne autem proximi nocumentum charitati aduersatur, hoc ergo spectare & intendere peccatum mortale est. Ephes. 4. Galath. 2.

Qui autem dixerit racha. Qui iram suam non cōpresserit, sed aliqua voce foris indicauerit, non aduersus vitium, sed hominem commotus, *reus erit concilio*, hic apud Deum non erit simpliciter iudicandus, & condemnandus, quomodo ille qui iratus, iram tamen compresśit: verum longè maiori supplicio afficiendus: qualiter solent illi apud homines, qui non statim ad certū supplicij genus dānantur propter nefandum crimen, sed cum certum sit quod mori debeant, iudices in tribunali cōgregantur, vt de irrogandi supplicij grauitate disquirant & decernant. Ita, inquit Saluator, punietur qui iram suam non cōtinens in externum aliquod signum passus est eam prorumpere. Nihil Dominus aliud significare vult quam peccati grauitatē. Racha, fatuum significat, estq; talis vox apud Hebræos, quales sunt apud nos irascendi & indignandi interiectiones.

Qui autem dixerit fatue: Qui aduersus fratrem cōmotus expressam contumeliam vel conuitiū protulerit: cum fatuum, insensatum, stolidum, truncū,

 asinum

asinũ, bestiam, vel aliquo simili ignominioso nomine appellando.

Reus erit gehennæ ignis. Longè grauiore pœna, quàm priores afficietur. Dicta est autem gehenna a gehennom, valle in sorte tribus Beniamin, à
Iosue.1. filijs Ennom possessa, vt videre est in libro Iosue. Eadem aut pars eius, Tophet est appellata, in qua gentes idololatræ filios suos ignibus concremantes solebant eos idolo Molech (quem verisimile est Iudæis fuisse Saturnum) deuouere & immolare. Idem sacrificandi genus imitati sunt & Iudæi
2. Para.28. ad idololatriam deficientes. Vnde legitur de Achaz, quod adoleuerit incensum in valle Benhennom, & lustrauerit filios suos in igne, iuxta ritum gentium quas interfecit Dominus in aduentu filiorum Israël. Locus hic tametsi esset amœnissimus, tamen ob crudelia & execranda hæc sacrilegia, factus est summæ abominationis, in eumq; cadauera & sordes quæque de Hierusalem iussæ sunt eijci. Quod inter Iosuæ laudes nominatim refert Scriptura. Contaminauit quoque To-
4. Reg.23 phet, inquit, quod est in valle filij Ennom, vt nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem, Molech. Id quod futurum aliquando prædixerat
Hiere.7.& 19. Hiere. AEdificauerunt inquit, excelsa Tophet, quæ est in valle filij Eunom, quæ non præcepi, nec cogitaui in corde meo. Ideo ecce dies venient dicit Dominus, & nõ dicetur amplius Tophet, & vallis filij Eunom, sed vallis interfectionis, & sepelietur
Esa.30. in Tophet, eo quod nõ sit locus. Ab hoc tã infami loco infernus in quo de impijs post hanc vitã supplicium sumitur, & Tophet & gehenna cœpit appellari: qua significatione, cũ vulgari lingua vteretur. Dominus hic eã vsurpauit: ad quorũ illic cruciatũ incredibilẽ vim exaggerãdã addit vt hic, ita
Matth.18. & alibi subinde, ignis vocabulũ, dialecto Hebræa,

pro

pro gehennæ incēdio,seu gehenna ardente. Apud Marci.9
Mar.eplicat gehēnā per ignē inextinguibilē. Porrò hoc loco nō simpliciter pro æterna dānatione accipitur,sed pro peculiari & grauissimo aliquo ei' supplicio:significatur enim hic,vt peccati,sic & pœnarū gradus,quæ cū in superioribus æternæ sint, singularis hic erit earū acerbitas intelligenda.

Hinc intelligimus quam non sit peccatorū grauitas humano æstimanda iudicio, qui hæc cū sint coram Deo grauia & mortifera, censent tamen leuia esse,nec magnoporè fugienda'. Qua de re vide Aug.lib. 2. cont. Dona.cap. 6. & lib.4.cap.19.lib.3. contra Parme.cap.1. Annotandum tamen, quod Diuus Bernardus priora duo loca, non de mortali,sed veniali peccato interpretatur, de ira videlicet ac indignatione inuolūtaria,aut volūtaria quidē,sed cuius excessus ob iustitiæ zelum vnde proficiscitur, excusationem habet. Nam alia illa ira qua quis ob iniuriam verè vel apparenter sibi illatam, firmo ac deliberato animo vindictam exposcit, aut sumere aliquando proponit, mortale peccatum est. Qua de re consulere licebit B. Thomam in secunda secundæ. Quæst.158.artic. 3. & quæst.72.artic.2. serm.29. super can.

Quærat fortè quis, quomodo non peccârit Christus contra hoc suum mandatum, vbi agens aduersus Scribas & Pharizeos, Stulti, inquit, qui fecit quod deforis est,etiam fecit quod de intus est? Luc.11.
Et iterum: Stulti & cæci quid maius est, aurum, An templum quod sanctificat aurum? Ac rursum increpans discipulos illos euntes in Emaus: O stulti & tardì corde ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ! Similiter & Apostol. Paulus, quando ad Galatas scribens: O insensati Galatæ inquit, quis vos fascinauit non obedire veritati? Et paulò pôst sic stulti estis, Mat.23. Luc.24 Galat.3.

vt cum ſpiritu cœperitis,nunc carne conſummamini? Reſpond. Licere diſciplinæ & correctionis cauſa,vt iraſci ita & conuitio aliquo proximũ ferire,vt videat peccati ſui turpitudinem, ſeq; emendet,fit enim hoc ex charitate & amore eius. Eóque cauendum hic quoque vt ne nimium ſimus acerbi,& chriſtianæ modeſtiæ limites egrediamur: Vnde tametſi non addatur in textu noſtro (temerè, vel ſine cauſa)eſt tamen ſubintelligendum.

Vide Aug. epiſt.154. ad Publicolam,& Ambroſ.lib.3. officio.c.4.

Rurſum quærat aliquis, peccet ne, qui pro ſui defenſione quempiam interfecerit. Reſpon. Alterius mortem, vt vel eam ipſe euadat, aut aliud quodcunque beneficium conſequatur, nemo licitè expetit. Neque enim fas eſt alienam mortem, tanquam eius malum,ad bonum aliquod conſequendum ordinare:niſi coram iudice, vbi nec ipſa tamen niſi ſub ratione iuſti & boni conſideratur, nõ ipſi quidem,ſed Reipub. At contra latronem ac inuaſorem, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, defendere ſe licet,in cuius ferrum aut tormentum ſi latro incurrat, ſibi imputet ſi quod inde dãnum & incommodum aut mortem etiam ſubeat,innocens enim eſt,qui gladium vibrauit,aut tormentũ diſploſit:quandoquidem non hoc agebat aut ſpectabat,vt alterum interficeret, ſed vt eum à ſe arcendo ac repellendo,ſeſe contra inuaſoris vim defenderet. Vnde ſi mors alterius conſequatur, non magis id illi imputari debet,quam ſi fur in foueam incidat,aut ex muro decidat,quam domui ſuę circumduxerit. Vnde in lege Moyſi,ſi quis nocturnũ furem effracta aut ſuffoſſa domo,interfeciſſet, non erat ſanguinis reus. Id ſi ad externa bona tuẽda licebat,multo magis licebit vbi vita periclitatur. Cæterùm qua iuſtitia nocentes & facinoroſi homines occidi poſſunt,tractat Auguſt.lib.1. de ciuitate Dei cap.20.

Exod.22.

Quæ-

Quæritur an peccari etiam posſit lædendo aut interficiendo beſtias & muta animalcula. Reſpon. Poſſe, vt quãdo id fiat cædis & crudelitatis potius delectatione, quam victus, aut honeſtæ alicuius vtilitatis gratia. Nouit iuſtus, inquit Sapiens, animas iumentorum ſuorum, impiorum autem viſcera crudelia. *Prou. 12.*

Si ergo offers munus tuum ad altare. Si in ſacrificio Deo offerendo occupatus fueris. *Et ibi recordaris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te.* iuſtam querelam, quia tu eum in aliquo læſeris, quod ſæpe ex hominum malitia & infirmitate cõtingit: facilè enim homines conuitijs & contumelijs ſe mutuo petũt: Quod ſi hoc acciderit, *Relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliare fratri tuo.* Quantum in te eſt pro iniuria commiſſa ſatisfaciendo. *Et tunc,* reconciliato fratre tuo, *ueniens offer munus tuum* ad altare, & erit Deo gratum, qui in iniquitatibus ſuis permanentium & fraternam charitatem violantiũ munera reſpuit. Vnde ei qui fratrem læſit neceſſaria eſt reconciliatio, non autem ipſi læſo, quanquã & ipſe magnum Deo offerat ſacrificium, ſi prior ad eum à quo leſus eſt, vel per ſe, vel per interceſſorem, ad pacem cum eo obtinendam accedat. Qui autem læſit, ſi læſum non placat quantum in ſe eſt in iniquitate manet, violauit enim iuſtitiam commutatiuam. Hæc enim duobus modis violatur, Primo per ablationem rerum alienarum. Secundo per inæquales, ſeu iniurioſas actiones, & paſsiones: & quamdiu quis hoc non reparat, in iniquitate manet, & ſic ad ſacrificium & munus offerendum eſt inidoneus.

Eſto conſentiens aduerſario tuo Hactenus de illo qui proximũ læſit, nunc verò ad eum qui læſus eſt deſcendit, inſtruens eum quomodò erga eum à quo læſus eſt ſe gerere debeat: vnde dicit ei, eſto cõſentiens,

tiens,id eſt,beneuolus & lubens propter Chriſtum omnium iniuriarũ obliuiſcaris, & ei ignoſcas *cito* anteqnam mors te præoccupet, & coram Chriſto iuſtiſsimo iudice appareas, *dum es in uia* in hac vita, quæ eſt via ad tribunal Chriſti, *ne forte tradat te aduerſarius iudici* Deo de tua duritie,& auſteritate cõquærendo, qua noluiſti fratri qui te læſerat ignoſcere. *Et iudex* Deus, *tradat te miniſtris* angelis tam bonis quàm malis iuſtitiæ ſuæ executoribus. *Et in carcerem mittaris*,id eſt,in infernũ *non exibis inde donec reddas nouiſsimum quadrantem*: donec minimorum tuorũ peccatorum pœnam perſoluas propter quæ Deo debitor es effectus, id eſt, nunquam exibis,quoniã nunquã totã,ne minimorũ quidẽ peccatorum, pœnã exolues. Nunquã(inquam)inde exibis prorſus liber ſcilicet,quia quilibet damnatus accepta in extremo iudicio ſentẽtia eò rediturus eſt vnde exijt,eundẽ ad modũ quo captiui è carcere ad iudiciũ
Mat.18. deducuntur,illuc poſtmodũ redituri.Simili modo intelligendũ eſt illud de ſeruo tradente ſuum debitorem in carcerem, cùm tamen ómnia prius fuiſſent ei dimiſſa.Sunt autẽ qui hunc locũ aliter intelligant,vt Dominus videlicet adhuc lædentẽ alloquatur,pręcipiatq́ ei vt à læſo,qui aduerſarius eius eſt,veniam petere acceleret, ne fortè contra eũ ad Dominum clamet : & ſic quodammodo litem ei coram iudice Chriſto intentet.

Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non mœchaberis, nec aliud docuerunt Scribæ,& Phariſæi circa materiam libidinis venereæ. *Quia omnis qui uiderit mulierem* non ſuam vxorem *ad concupiſcendum eam*, vt illius concubitu fruatur,etiãſi prius de illa nihil cogitârit, vnde(ad)dicit circumſtantiam non finis,ſed euentus) *mœchatus eſt eam in corde ſuo* iam eo ipſo quo concupiuit,cum ipſa adulterium commiſit, & ita grauiſſimè contra ſextũ Dei mandatum peccauit. Quod hic

hic de viro dicitur, etiam ad mulierem est referēdum. Notandum prætereà hic est, quod de subitanea concupiscentia, quam inuiti patimur, idem quod de ira subitanea prædiximus, sentiendum est. Semper autem adulterium est quando fidei coniugalis solutio fit. Sub adulterio etiam intelligi debet in lege Moysi omnis illicitus genitalium vsus, &c. Et omnia quæ ad talia ordinâtur vt inhonesti corporum contactus, oscula, & ipsorum concupiscentia: quod explicat Aug. super Exod. cap. 20. Et perinde est siue ex vtraque, siue ex altera tantum parte fiat violatio: sicuti furtum dicitur omnis illicita rei alienæ vsurpatio.

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te. Hic præscidit omnes in peccatis excusationes, sciebat enim humanum ingeninm ad delicta sua defendéda valde cautū, ideoq; omnes prætextus quibus peccata obtegi possunt amputat, dicens: *si* oculus tuus dexter, id est, optimus amicus, qui tibi tam charus est atq; oculus dexter tibi occasio cōcupiscentiæ est, *erue eū, & proiice abs te* nō ei parcas, tolle potiùs eius vsum quam sustineas abusum, *expedit enim tibi ut pereat unū mēbrorū tuorū* quoad vsum delectabilē, *quam totū corpus tuū* integrū, & cui nullū perijt mēbrum *mittatur in gehennā.* Tā mali quā boni in resurrectione oīa mēbra sua, integra habebunt, etiāsi hic ea nō habuerint. *Si dextera tua scandalizat te*, quocūq; modo sub prędictis duob' mēbris reliqua mēbra, hoc est quęcūq; nobis vtilia necessaria sunt, & iucūda nos scādalizāt intelligēda. Vnde Mar. etiā latius de alijs mēbris idē specificat. Hinc intelligimus mortaliter etiā peccari, quando quę ad mortale peccatum impellunt, & incitant, non euitantur, qualia in semetipso facilè quisque experitur. Math. 18 Mar. 9.

Abscinde eā, Mutilatio, queādmodū suijpsius occisio prohibita est: ideoq; erutio oculi abscissio per tropū intelli-

intelligi debent(vt prius explicatum est) vt res tūc perdi abijci, ac destrui dicatur, quando eius vsus perit: vnde Paulus: Mortificate ergo mēbra vestra quæ sunt super terram fornicationem, immunditiam, libidinē, concupiscentiam malam, & auaritiā quæ est simculahrorum seruitus.

Coloss. 3.

Dictum est autem, à Pharisæis: *Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij*, hoc est, Qui dederit vxori libellum repudij, liberè poterit eā dimittere, alias non. Hæc doctrina perniciosissima est, quia quod in lege Moysi de foro ciuili dicebatur, ita docuerunt Pharisæi quasi idem pertineret ad forum cōscientiæ: ita vt qui liberi essent in foro ciuili, liberi essent in foro conscientiæ, non intelligentes etiā esse hoc permissum ad duritiā cordis sui. Sic eo cæcitatis nostro hoc sæculo deuentum est, vt comessari, inebriari, Adolescentibus loca, & tabernas inhonestas visitare permittatur, nec improbetur. Prius Dominus, & Moyses dimissionē vxorum permiserunt propter malum vxoricidij, & propter duritiam cordis ipsorum, vt dicetur infra. Et adiunxit Dominus(det illi libellum repudij) id est, diuortij, ita vt alteri viro nubere possit, & nnnquam postea amplius priorem maritum recipere: vt non facilè ad istam ignominiosam dimissionem procederetur. Deinde etiam ad maiorem confusionem, scriba aliquis libellum repudij scribebat, qui maritum eo placabat, nec dabat, nisi extremum perciperet adesse malum. Causa autem in generali non in particulari scribebatur, nam tunc maritus eam probare debuisset, & sic inter eos perpetua lis extitisset.

Cap. 19.

Ego autem dico uobis, omnis qui dimiserit uxorem suam (excepta fornicationis causa.) Quocunque tempore, tā nouæ quam veteris legis. Ab hac sententia vnicus est casus exceptus, qui est fornicatio: hoc enim casu

casu, pro iniuria contra fidem coniugalem illata, qua mulier corpus suum quod mariti est, tradit alteri, maritus eam tuta conscientia dimittere potest. Idem sentiendum est de vxore respectu mariti fornicantis, teste Paulo. Licet mulier in veteri testamento lege viri hac, gauisa non fuisse videatur, quia lex Moysi fecit mulieres ferè seruas, idq; ob maledictionem Euæ, vt ait August. 1. Cor. 7. Quæst. 33.

Quæritur an vir posset eam proprio iudicio, nō implorando iudicis auxilium dimittere. Respon. Thoro suo eam bene priuare potest negādo ei debitum: sed eam domo sua citra Iudicis authoritatem eijcere non valet, quia illa est pœna publica, quam infligere propria authoritate nemini licet. A dicta autem exceptione etiam exceptiones sunt, vt si mulier potius passa sit adulterium quam fecit. Deinde si illa certo putauerit maritum obijsse. Itē si ignoranter alium pro viro suo cognouerit. Secundus casus est quando maritus est causa, vel occasio adulterij vxoris, eam vel prostituens, vel in illud consentiens, & quandocunque maritus est æquè culpabilis, atque vxor. Tertius est quādo post adulterium maritus eam in thoro matrimoniali cognouit: res enim tunc ob nascituram inde prolem continuationem requirit: nam sic rursum eā ex lege naturæ sibi reconciliauit. Sup. Deute.

Quæritur an vir vxorem dimittere teneatur si sit fornicata. Respon. Si ex illa dimissione emendationis spes appareat, nec aliter videatur posse emendari tenetur, alias verò non. Item quæritur an vxor taliter dimissa, & postea correcta teneatur iubente marito redire? Respond. Eam in foro conscientiæ teneri, nam marito semper manet æquè obligata: maritus autem eam redeuntem recipere non tenetur, quia non est illi obligatus.

Notandum quoquè est quod sub fornicatione

omnes

omnes aliæ libidinis species grauiores contineantur, quæ tamen non exprimuntur, quia raræ sunt, & innominabiles: qualis prolicidium, vel sumptio veneni vt procuretur sterilitas: nam hoc lōgè magis bono matrimonij aduersatur, quam fornicatio. Quæritur quoque an maritus teneatur mulieri, ad hæresim furtum, vel latrocinium, pellicere eum laboranti cohabitare, & contra? Resp. Ad tempus eam dimittere posse, sed cessante illa causa, vel malo, tenetur ad illam maritus redire. Simile est de patre volente filium suum in hæresim protrudere: quo casu tenetur filius fugere, ita tamen vt patre correcto ac emendato redeat, quia tunc à paterna obedientia exemptus nequaquam est. *Facit eam mœchari.* Ipse causa est, quantum est in se, vt vxor alteri nubat: quia autem illæ nuptię erunt adulterium, siue mœchia, causa dicitur adulterij vxoris suæ: ideoq; eam dimittendo grauissimè peccat. Dixi autem (quantum in se est) ex parte mariti dimittentis, quia contingere potest (quod rarum est) vt mulier se contineat, nihilominus tamen à peccato nō excusatur. Et quanquam talis dimissor à lege ciuili minimè punitur, iudicio tamen diuino postmodum relinquitur, puniendus. *Et qui dimissam duxerit, adulterat,* qui vxorem videlicet à marito dimissam (siue illa ob fornicationis causam sit dimissa, siue iniquè) ducit, & illi commiscetur, adulteriū cōmittit, quia habet rem cum non sua. Dixi qualitercunque dimittatur, siue ob iustam causam, siue iniustam, ne fiat melior causa fornicariæ, & pessimæ mulieris, quam bonæ, & castæ: etenim sunt quidā qui eum non peccare dicunt qui ob fornicationem dimissam ducit, atq; matrimoniū indissolubile esse asserunt (nisi ob impudicitiam soluatur) conanturq; falsum suū per Euangelistam Matthæum tueri errorē, qui ait: Dico autem vobis, quia quicunq; di-
Cap. 15. mise-

miserit vxorem suam nisi ob fornicationē, & aliā duxerit mœchatur, sed Matthæi verba perperā intelligunt. Quicūq; ergo dimittit, vel dimittitur cū modestia, & patientia se metu gehennę coërceat, & contineat, nec cum alia matrimoniū iure attentet, nā tale matrimonium nō cōiugium, sed adulteriū est nuncupandum. *Audistis quia dictum est antiquis: non periurabis*, seu peierabis, expreßè per nomē Dei, vel per creaturas, vestrorum doctorū auaritiæ seruiētes: vt per aurum templi & altaris donaria. *Reddes autem Domino iuramenta tua*, per Dei nomen, aut supradictas creaturas concepta: nam qui per alias iurasset, altare, templū, Ierosolymā, caput &c. Docebant pharisæi ad reddendū minimè obligatū. *Ego autē* qui legem Dei melius quā Scribæ & Pharisæi vestri intelligo. *Dico vobis: non iurare omnino* sic videlicet vt te non putes obligatum ad soluendū quod iuraueris, hoc est, ne per quamcunq; creaturam licitum tibi putes peierare. In hunc sensum sumitur vox iurandi Zacharię 5. & Ecclesia. 9. Quasi dicat: docuerunt vos Doctores vestri non peierare, sed obseruare iuramenta tanquam Domino debita, verum in hoc defecerunt quod vobis quę sint iuramenta verè obligantia nō explicuerunt: quinetiā vera quædā iuramēta nō obligare, planèq; nihil esse docuerūt. Horū errorē Christus reprobat infra dicēs: Væ vobis duces cœci qui dicitis, Quicūq; iurauerit per tēplū nihil est, qui aūt iurauerit in auro tēpli, debitor est &c. nō enī intellexerūt id ꝙ subiūgitur, Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in oībus quę super illud &c. Et paulo post: Qui iurat in cœlo iurat in throno dei, & in eo ꝗ sedet super thronū: nā omne iuramētū per quācūq; creaturā fiat, per Deū fit in illa creatura relucētē: imò creatura nūquā secundū se in iuramentum aßumitur, sed secundum Deum in ea relucentem, qui infallibilis veritas est,
ideoq;

ideoque cuiuſcunque iuramenti violatio periuriũ eſt & tale, quale eſt iuramenti expreſsè per Deum facti. Quod ergo dicitur, non iurare omnino, non ſolum prohibetur periurium iuramenti per Deum facti, ſed per quamcunque creaturam. De qua re vide Auguſtinum ſuper Leuiticum, & de ſermone Domini in monte. *Neque per cœlum* peierare licet, quia dum quis per cœlum iurat, non per illud ſecundum ſe ſumptum iurat, ſed quatenus in illo diuina veritas manifeſtatur, atque relucet. Manifeſtatur autem, & in eo relucet, quia ipſum eſt regalis Dei omnipotentis ſedes. *Neque per terram* quoniã qui per terram iurat per illum cuius pedum terra ſcabellum eſt, iurat. Dicitur autem cœlum Dei thronus, & terra ſcabellum pedum eius, non quaſi Deus porrectis corporaliter ſuper cœlum ad terrã vſque pedibus ſedeat, quia ſecundum humanã naturam membra habet ſicut nos in certa quantitate extenſa: At iſta ſeſsio gubernationẽ, iudiciumq́ diuinum ſignificat: & quia cœlum in mundo maximam habet pulchritudinem, & ſublimitatẽ, terra autem minimam, ideo in cœlo ſedere & terram calcare dicitur, tanquam plus in pulchro, & ſublimi operans, quam in turpi & infimo. *Neque per Ierosolymam quia eſt ciuitas magni regis*, id eſt, mea ciuitas qui in illa rex magnus ſum (de ſeipſo in tertia perſona loquitur.) Suam autem dicit ciuitatem, quia omnia ſacrificia, quæ ibi oblata ſunt, & quotidie offerebantur, item lex quæ ibi exponebatur eum præſignabant, & quia in Hieruſalem erat redemptionem generis humani cõſummaturus, & ex illa tanquam ex capite gloriam ſuam in omnes fines terræ dilataturus. *Neque per caput tuum iuraueris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.* Quanquam caput tuum vile, & in poteſtate tua videatur conſtitutum, reuera tamen non eſt tuę poteſta-

Quæſt. 1. Lib. 1. c. 31.

testatis, sed à Deo singulariter gubernatur, tu vero pro placito tuo ne minimum quidem capillum, album, vel nigrũ facere vales, sed Deus vt vult colorat. Hisce exemplis docere intendit, nichil tam vile in creaturis existere, quod sine peccato in peierando assumi possit eo quod à summis vsq; ad infima omnia diuina reguntur prouidentia atque ideo in omnibus diuina eius relucet maiestas, quicunque ergo per aliquam creaturam peierat, assumit nomen Domini in vanum. Non prohibet hic ergo Christus ne vnquam iuremus quemadmodum hæretici quidam voluerunt: qua de re vide Augst. epi. ad Hilarium, tametsi paulo aliter locum hunc ibi interpretur, videlicet ne passim, ac temerè iurando in periurium incidamus. Vt autẽ iuramentum legitimè fiat tria requiruntur, vt docet Diuus Thomas. Primo, vt verum sit quod iuratur, secundo vt iuramentum cum reuerentia diuinæ maiestatis impleatur, tertio vt grauis subsit iurandi causa, his enim omissis conditionibus iuramentũ illicitum fit: & quoniam hęc omnia raro simul adsunt, ideo raro iurare licet. Qui autem per Herculem, Iouem, & Gentilium deos iurant, longè grauius peccant, diuinum honorem idolis deferentes. *secunda secũdæ quæst. 89. art. 7 Et idem Hierem. 4. Ose. 1. Hier. epist. quæ incipit, beatitudinis &c.*

Sit sermo autem uester est est, non non, id est, rem ita esse pronũcietis sicuti in veritate est. *Quod autem his abundantius est,* id est, quicquid in assertione aliqua plus quam de re sit dicitur, *a malo est,* id est, ex diabolo originem habet, qui est mendax, & pater mẽdacij. Primum (est) & primum (non) à parte subiecti adiectiuorum locum tenent, secundum verò (est) & secundum (non) ex parte prædicati: Sic has voces vsurpat Apostolus ad Corint. Fidelis Deus quia sermo noster, qui fuit apud vos non est in illo, est, &, non, sed est in illo Est &c. id est, nihil ibi

promiſſum eſt quod nō ſit cōpletū, Dei enim promiſsio in Chriſto cōpleta fuit. Omne autē mendaciū eſt peccatū, vt patet ex Leuit. & Auguſt. contra mendaciū & Hieron. in Apolo. aduerſ. Origeniſtas Platonem ſequutos in hoc quod mendacium docuit non eſſe prohibitum. Errauerūt & in hoc Caſſianus, & Eraſmus in ſuis annotationibus.

Cap. 19.

In cap. 6. ad Hebræos

Audiſtis quia dictum eſt, oculū pro oculo, dentem pro dēte. Vulgari ſermone fertur apud vos, veſtroſq; Doctores, vnumquemq; lædentem talionis pœna debere puniri, vt ſi quis alteri oculum eruerit debere quoq; oculum eius erui, & ſimiliter in cæteris læſionibus, quaſi cuilibet liceat talem retribuere vindictā, quū lex Dei hoc tantum iudicibus, nō priuatis hominibus demandauerit. *Ego autem dico uobis*, doceo vos qualiter cū lædentibus viuendū ſit. *Non reſiſtere malo* homini ſcilicet, aut malo per hominem illato reſiſtere non licere, malū pro malo rependēdo. Cæterùm homines malos eorumq; iniurias, & conuitia, patienter ſuſtinere, & amplius ad maiora mala toleranda parati eſſe debetis. Nunquam licet ſub ratione mali expetere vindictā, hoc eſt, vt nocenti nobis etiā noceatur, quia hoc ad odiū vergit, & directè contra mandatū Dei de dilectione proximi eſt, at bene licet ſub ratione boni ad vitæ ipſius emendationē, vel à peccatis cohibitionem, vel ad aliorū qui in eius delicto ſcandalizati ſunt ędificationē, idq; ſolo iuſtitiæ zelo, & ita vt irrogata pœna, & vindicta ſcelus perpetratū neutiquā excedat: hæc autē vindicta à ſuperioribus, & iudicibus, nō à priuata aliqua perſona eſt infligēda. *Sed ſi quis percuſſerit te in dexterā maxillā tuā præbe illi & alterā.* Si ab aliquo vna ſis affectus iniuria, ſecundā ferre paratus ſis: iſtud enim tropologicè dicitur. *Dimitte ei et palliū* id eſt, adde ei plura quā petit. *Et quicūq; te angariauerit mille paſſus*, vt miniſtres ei in via. *Vade cū illo alia duo*, du-

Exod. 21.
Leuit. 24
Deut. 21.

duplo lõgius quã à te petit. Primũ exẽplũ de genere iniuriæ est, quod nequit nisi per vindictã reparari, secũdũ est, de iniurijs reparabilib⁹, tertiũ est, de mixto genere ex vtrisq; prędictis iniurijs: & ista oĩa debẽt dici esse pręcepta, nõ cõsilia, quę secundũ animi pręparationem intelligi debent. Non tamen ea propter putãdum est illicitũ esse iustè causam suam in iudicio agere, & sua repetere, quinimo interdum ad hoc obligatio esse potest, vtpote si quis hæreditatẽ sibi cõpetentem nõ repetẽdo faciat proles suas pauperes, hoc enĩ casu ad repetẽdũ obligatur. *Et uolenti mutuare a te ne auertaris.* Quicũq; cupit mutuari à te, mutua ei, hoc est, sis aĩo ad hoc paratus, & casu necessario occurrẽte idẽ quod aĩo geris opere præstes, vt si inimicus tuus sitit pota eũ, si esurit ciba eũ &c. quod etiã mãdati rationem habet sicut & sequẽtia. *Et odio habebis inimicũ tuũ,* dictũ est istud ab antiquis, id est, à Pharisæis perperã istud mandatũ (Diliges proximum tuũ sicut teipsum) intelligẽtibus quasi per proximũ nõ intelligeretur oĩs homo sed tantũ amicus: Dñs quidẽ in Exodo inimicum excludit, nusquam tñ odio haberi præcipit, verùm Pharisæi per locũ quẽ Dialectici in ipso, à contrarijs vocant, hanc construxerunt ratiocinationem: Præcipitur diligendus amicus, ergo præcipitur odio prosequẽdus inimicus. Erãt tñ quidã scribę benè prędictã legẽ intelligẽtes, vnde apud illos problema erat quisnã dicẽdus esset proximus, vt ait Lucas: Et quis est proximus meus. *Benefacite his qui oderũt uos,* nõ tantũ ijs tẽporalia bona impartiẽdo, sed Deũ orate, vt ipsis spiritalia bona, quę vos dare nõ potestis elargiatur. Istud mandatũ in extrema, imò & arcta necessitate obligat, quam boni viri sinceritas, & prudentia, ac vnctio, & donum spiritus sancti dijudicabit. A generalibus tamẽ charitatis officijs inimicũ nostrũ nũquam excludere possumus,

Aug. epi. 5

Rom. 12.

Exod. 23

Exod. 23

Luc. 10.

quanquam multis casibus amicis, & non inimicis succurrere cogamur, vtpote si amicus in carcere positus sit, eũ si valemus liberare debemus, quod charitatis officium, inimico impendere minimè tenemur. *Vt sitis filij patris uestri* vt possitis per imitationem Dei esse eius filij, qui etiamsi eum non imitemini pater vester negari esse non potest, semper namque creatione, gubernatione & religionis professione pater vester existit. *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos*, qui etiam inimicis multa beneficia præstat, vt pluuiam, terræ fœcunditatem, solis ortum, & alia innumera beneficia, pro
Hiere.5. quibus gratias persoluere debemus. Suum solem appellat quia eum creauit. Si ergo ipse bona quæ à se habet, inimicis tribuit, quantò magis vos munera quæ ab eo accepistis inimicis gratuito impendere debetis? Quare autem Dominus qui dispensator ęquissimus est inimicis, & iniquis hęc beneficia tribuit, è contra verò, pios & amicos suos inediam, multasq; miserias pati permittit, tractat Augustinus, & causam hanc adfert, ne videlicet bona hæc temporalia nimis magni æstimentur, quũ illa Deus etiam inimicis impartiatur: ne item mala ægrè à nobis tolerentur quum amicos Dei eadẽ sustinere videamus, deinde vt fides etiam locum non amittat, quæ si secus fieret euacuaretur, & experientia foret. *Si enim diligitis eos, qui uos diligunt, quã mercedem habebitis?* q.d. Nullam inde à Deo mercedem reportabitis. *Nonne & publicani hoc faciunt?* qui nullam mercedem à Deo habent: quocirca nec vos mecedem estis habituri, si hoc tãtum quod illi faciatis. Publicani sunt qui certa pecunia vectigalia publica à Principibus redimunt, alias Telonarij dicti, qui olim in primis Iudæis, mirè contempti erant & exosi, tum quod illi tanquam populus Dei semper solent libertatem prætendere, tum quod

quod eos admodum difficiles & iniquos experirentur. Et ſanè rarum eſt, vt impoſitio & exactio iſtorum vectigalium citra iniuſtitiam fiat, proinde indirectè, & mediatè iniquitatis miniſtri erant. Quod autem etiam indebita ſæpe extorquerent, intelligimus ex verbis Ioannis Baptiſtæ, qui eos admonet, vt nihil amplius, quam eis conſtitutum eſſet, facerent: id eſt, ne pluſquam eis deberetur exigerẽt. Venerabilis Beda hanc ſcripturam interpretatur de mercatoribus lucro nimis inhiantibus: & pulchrè D. Thomas in cathena ſuper cap. 2. Marci circa vocem (Publicani) & ſuper cap. 9. Matthæi, ex Gloſſa ordinaria dicit Publicanos eos vocari, qui publicis negotijs implicantur, quæ citra peccatum vix, aut nunquam tractari poſſunt. Luc. 3. Luc. cap. 5

Eſtote ergo uos perfecti in dilectione, & bonitate, malis benefacientes. *Sicut & pater ueſter cœleſtis perfectus eſt,* qui malis, & inimicis ſuis bonitatẽ ſuam impendit.

IN CAPVT SEXTVM.

Attendite ne iuſtitiam ueſtram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab illis. Tractat quomodo ſine inani gloria, & auaritia (quæ Phariſæorum ſunt vitia) opera noſtra bona exercere debeamus. Attendite, id eſt, diligenter cauete, ne hoc fine veſtra bona opera corã alijs faciatis, vt iuſti & ſancti ab eis reputemini. *Alioquin non habebitis mercedem apud patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt.* Hæc eſt grauis comminatio, nullam poſt hanc vitam expectare mercedem. Iuſtitia huius vitæ (teſte Saluatore) in tribus his, eleemoſina, oratione, & ieiunijs conſiſtit: Quemadmodum eleganter docet Auguſtin. lib. de perfect. iuſtitiæ: Ieiunare quidem vniuerſam Pſal. 42.

corporis castigationē intelligens, Eleemosina, omnem dandi vel indulgendi beneficentiam, Orationibus, omne sanctum desiderium quo in Deum ferimur, aut eius cultum.

Quum ergo facis eleemosinam. Nunc per partes explicat prædictam iustitiam. *Noli tuba canere ante te, sicut hypocrytæ faciunt in synagogis, & in uicis, ut honorificentur ab hominibus.* Hoc est, non conuoces populum ad spectandum. *Te autem faciente eleemosinam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera,* ita Deo placere studeas, vt nullo modo intentioni tuæ, humanæ laudis se commisceat appetitus, qui per sinistram significatur, sicuti per dextram studium Deo placendi intelligitur. Vel sic: Vsque adeo eleemosinam tuam volo esse occultam, vt si posibile sit illam vna manus faciat altera ignorante: vt hyperbolicè magna operis boni quoad gloriam humanam occultatio significetur. *Et pater tuus qui uidet in abscondito reddet tibi.* In occulto opera tua facias, vt in propatulo mercedem in die iudicij recipias. Non prohibet Saluator in publico, vtpote in foro, in templo, eleemosinam dari, verùm à nobis laudem humanam tantū remouet, ideoq; est tātum mandatū ex causa, quomodo docet ac præcipit orare, & eleemosinam in occulto elargiri.

Et quum oratis, non eritis sicut hypocritæ. Hypocritæ vocantur omnes simulatores, aliud quàm reuera sint præferentes. *Qui amant in synagogis, & in plateariū angulis stantes orare,* id est, in finibus platearum, vbi multæ concurrunt plateæ: alias in compitis. Dicit
Psal. 115. tamen Dauid, Vota mea Domino reddam coram omni populo eius. Et, in medio Ecclesiæ laudabo
Psal. 21. te, scilicet vt placeāt Deo. *Et clauso ostio ora patrem*
secunda secūdæ quæst. 83. art. 12 *tuum in abscondito,* duabus de causis, Primò, ne alij te videant orantem, secundo ne tua oratio varijs distractionibus interturbetur: queādmodū D. Thomas

mas

mas tractat. Quæritur an si bonum, opus quod in propatulo ad placendum soli Deo sit, semper aut frequenter inanis gloria comitetur, debeat prætermitti? Respondeo nullo modo esse prætermittendum sed dioboli suggestionibus, fortiter, & intrepidè resistendum.

Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici. Non prohibetur hic orationis prolixitas, quia Christus suo exemplo nos prolixas orationes facere docuit, ipse enim in montem exijt, & in oratione pernoctauit: verum prolixæ ethnicorum orationes vetantur, qui per eas linguam magis polire, & ornare, quã cor mundare studebant, quiq; dijs suis obsequiũ prolixis suis, & ornatis verbis præstare se existimabant, ac persuadere quod petebant, & petita ab ipsis impetrare. de quo argumento cõsule Aug. epist. 123. vbi ait aliud esse sermonẽ multum, aliud affectum diuturnum, Item lib. 5. de Trini. cap. vltimo. Nullo pacto etiam prohibetur eiusdem orationis iteratio: nam & saluator in passione sua idẽ ter repetiuit, & Daniel, tribus vicibus Deum per diẽ orabat. Fuisse autem & olim distinctas orationum horas intelligimus ex Actis Apostol. vbi Petrus & Ioannes ascendunt, ad orationem horę nonæ. Vide August. lib. 1. Retra. ca. 11. Luc. 6. Mat. 26. Dan. 6.

Scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Sentit non debere nos orare, vt Deus ex oratione nostra discat quo indigeamus, sed vt donorũ quæ Deus dare paratus est capaces fiamus: quia oratio, siue sanctum desiderium, ad gratiam Dei recipiendam cor nostrum aperit, iuxta illud: Dilata os tuum, & implebo illud, vt habet Augustinus epistola prius citata. vnde oratio facit nos vasa aperta; quæ prius eramus clausa. Psal. 80. Epist. 123 cap. 8.

Sic ergo vos orabitis, vtemini sine superfluis verbis, & persuasionibus, hac orãdi formula: sub qua

quicquid conuenienter petitur, continetur, vsque-adeo vt peccatũ foret aliud petere quam quod hic continetur. Non mãdat hic Christus vt precise his tantum verbis vtamur, sed ne quid aliud quàm hic præscribitur petamus. Quemadmodum explicat Augustinus Epistola prædicta. *Pater noster.*
Epist. 133. cap. 20. Exordium à beneuolentia, quo per Patris appellationem, gratiam & misericordiam eius erga nos prædicamus. Mirè quoque affectum nostrum in amorem Dei excitat, quod à nobis pater vocari velit. Nec quicquam magis auget impetrandi quod volumus fiduciam. Reddimur præterea hinc admodum supplices, dum beneficiorum eius reddimur memores: vehementer denique solliciti ne tam benigno & benefico patre reddamur indigni. Quanto nos multum solicitos efficit, ne tanto patre indigni simus. Latius de hac re agit Augustinus in sermone Domini in
Lib. 2. ca. 8 mon. Itẽ Cyprianus in expositione orationis Dominicæ. Plurimis autem de causis Pater noster dicitur. Primum creatione, secundo, tam prouida gubernatione: tertio, redemptione, ac regeneratione: per quam perfecta adoptio nostra facta est, secundum quam æterni eius regni hæredes sumus. Accepimus enim, vt inquit Apostolus, spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Quæritur hic an Catechumenus & peccator orationem hanc dicere possint. Respon. Quod sic, modo peccatorum suorũ pœnitentiam agant, & filij Dei esse cupiant, tales enim spe filij sunt, propter futuram peccatorum remissionem. Vnde & filius prodigus ob conuersionem cordis non veretur dicere, Pater peccaui in cœlum & coram te. Qui verò sincero corde conuerti, & pœnitere nolunt, ritè hanc orationẽ dicere nequeunt,

Rom. 8
Galat. 4.
Isa. 64. & 66.
Luc. 15.

nequeunt, vt docet Augustinus in Enchirid. Cyprianus in explicatione orationis Dominicæ. Toto isto sermone, ac oratione, pater sic exponi debet: & (Pater) dicendo, Deum patrem (teste Cypriano, & Euangelista Matthæo) alloquimur: Vnde quælibet persona omnium hominum pater est, vnico excepto homine qui simul Deus est. cap. 73. Math. 18.

Vocatur autem (Noster) non (meus) quoniam Saluator vult, quod quotiescunque pro nobis oramus, simul pro alijs ex charitate oremus, deinde vt cognoscamus omnes proximos esse fratres nostros: etenim oratio ex charitate procedens dulcis est odoris in throno Dei, nam plus mutuis agimus precibus, & alterius, quam proprijs. In hoc etiam nomine (Noster) omnium hominũ cõmunitas continetur, vel in qua nunc sunt filij adoptiui, vel sperantur futuri, non autem alij verumtamen quia de nemine quamdiu hic viuit desperandum est quilibet homo in particulari comprehendi debet, licet in genere multi excludantur. *Qui es in cœlis.* Admonet nos relictis terrenis aspirare ad cœlestia. In hac oratione tres primæ petitiones ad præsentem & æternam vitam pertinent, reliquæ verò (secundum Augustinum) ad præsentem tantum. De ordine autem septem petitionum habes apud D. Thomam, & ostendit primo loco esse petendum, quod primo loco ponitur. *Sãctificetur nomen tuum.* Sanctum sit, summè purum, & diuinitus bonũ, hoc est: Ante omnia & primo loco precamur, vt tu sanctus habearis, & ab omnibus talis esse agnoscaris. nomen enim ipsum ponitur pro re nominata. De (nomine tuo) in Deuterono. habemus cap. 28. Ench. 115. Secunda secũdæ quæst. 83. art. 9

Adueniat regnum tuum, hoc est, regnum quo tu super omnes res mundi regnas manifestetur; licet enim in veritate nunc regnes, nondum tamen regnum

gnum tuum agnoſcitur, neq; nos adhuc perfectè regni tui participes ſumus, precamur ergo vt id omnibus reueletur,& ſic eius participes oẽs fiant.

Fiat uoluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Hæc pars (ſicut in cœlo)iungi debet cum parte hac (fiat voluntas tua)non autem cum iſta(& in terra) vt huius petitionis ſenſus ſit: Oramus vt fiat quod tu vis fieri ſiue mandando,ſiue præmia retribuendo, ſeu de toto vniuerſo diſponendo, fiat(inquam) ita apud homines in terra,quemadmodum apud Angelos in cœlo. Per voluntatem Dei hoc loco,mãdata eius quæ fieri vult intelliguntur, quod patet infra. Pro ijs quæ Deus fieri vult orare poſſumus:
Cap.11. vt ſi velit nobis famem,peſtem aliáſue miſerias im mittere,pro beneplacito ſuo faciat:pro illis enĩ rogare debemus pro quibus factis gratias agimus,
Mat.11. quare Saluator patri pro voluntate rerum diſpoſitiua gratias agit:ex quo patet quod nos pro eadem orare debemus. Deinde in paſsione Dominus patrem rogauit dicens:Non mea, ſed tua fiat voluntas.Qua de re vide Auguſt. ſeu potius Proſperum ad articulos falſo impo.artic.vltimo. Dicitur autẽ Deus velle quod præcipit quia in eo ſibi placet.
Sent.lib.1 Habes hæc fusè explicata in Magiſtro ſententiarũ.
Diſtin.47. Quocirca nos in malis conſtituti & afflictionibus preſsi,Chriſti orationem, quam in paſsione ad patrem ſuum fudit,imitari debemus. Sed obijcitur. Voluntas Dei beneplaciti ſemper impletur ergo non debemus petere illius impletionem. Reſpondeo. Duabus de cauſſis nos debere petere,& orare, vt impleatur:Primo,vt illam approbemus.Secundo,vt per preces noſtras impleatur, alias non implenda imo nec futura.Semper autem Dei voluntas diſpoſitiua,ſeu beneplaciti impletur,quanquam voluntas mandans non ſemper impleatur, quam mali & impij frequenter infringunt, & violant, quan-

quando mandata eius transgrediuntur.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quo quotidie indigemus, non enim nostra desideria circa res terrenas in longum extendimus, scientes à te mandatum esse: Nolite soliciti esse de crastino. Sub pane tanquam parte principali, totum intelligit, id est, vitæ nostræ vniuersa necessaria, & ad vitam transigendam conuenientia, qualia sunt vestitus, hominum amicitia, sanitas cæteráque bona temporalia: quæ petere non debemus nisi quatenus Deo per ea seruiamus, ad eum enim finem à Deo data sunt: vnde quandocunque illa nos à Deo retrahunt continuo abijcienda sunt. Panem nostrũ quotidianũ, coëxistentẽ intelligimus, hoc est, qui nobis quotidie adesse debet. Alij legunt supersubstantialẽ, id est, oẽs alias substãtias superãtẽ. Et quia de re tẽporali hæc petitio est, doctores dãt huius petitionis mysticũ sensum: aliæ autẽ sex quũ de rebus spiritalibus sint, nullũ sensum mysticum admittunt. Huius ergo sensus mysticus est. Pater, elargire nobis tẽpore huius vitæ corpus tuũ quod omnẽ creaturã excedit, pro quo vide Aug. de verbis Domini, Serm. 27. Et Cyprianum in expositione orationis Dominicæ. Item Ambrosium de Sacramentis, ex quibus apparet antiquos quotidie communicasse. Quam rem tractat Aug. Epist. 118.

Mat. 6.

Lib. 5. c. 4.

Et dimitte nobis debita nostra, id est, peccata nostra, quæ debita vocantur, quia debitores, & reos pœnę sustinendæ nos cõstituunt. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Istud dicit, vt in oratione discamus quales esse debeamus, & qua ratione, quoue modo à Deo misericordiam, peccatorúmq; remissionem impetrare possimus, alijs nimirũ, qui in nos peccauerunt misericordiã, eleemosinãq; , vti nobis impẽdi cuperemus impendendo: si enim misericordiã cõsequi volumus, misericordiã exercere tenemur.

Duabus

Duabus autem de causis, hanc particulam huic potius petitioni quam alijs, subiungit. Primo, quia peccatorum remissio maxima est gratia, vnde decuit memorari nostram misericordiam, vbi nos maximam petimus misericordiam: licet enim remissio peccatorum nō sit maximum Dei bonum, siue donum, maximè tamen gratis datur, Quam rationem habes apud August. lib. 1. Retract. Secundo quia principale bonum est, quod in hac vita habemus: siquidem huius vitæ iustitia præcipuè, vt ait Augustinus, in remissione peccatorum consistit. Non autem aliam recensuit Eleemosynam, vt vestire nudos, pascere esurientem, sed id quod minimum est, & quoad res externas nisi humani cordis obstaret prauitas, factu facillimum. Propter prædictas autem rationes latius postea prosequitur & explicat hanc petionem. Omnes autem quotquot à mundi exordio extitêre sancti, Christo & Maria exceptis (de quibus inquit August. nullam prorsus cū de peccatis agitur habere volo quæstionem) hoc à Deo oratione sua semper petiuere: Vnde colligimus nullos à peccato immunes fuisse, quod contra Pelagianos passim asserit B. Augustinus. Vnde Apostolus Iacobus, in multis inquit, offendimus omnes, & Salomon, Non est homo, qui non peccet: item Dauid, Non intres in iudicium cū seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

cap. 25. | Lib. 19. de ciuit. Dei cap. 17. | De natura & gra. c. 36 | Iacob. 3. | Eccle. 7 | Psal. 142

Quæritur hic quorum peccatorum remissió petatur, an videlicet solorum venialiū, an etiam mortalium? Respondeo, primò & principaliter, vt Augustinus dicit, scribens in Psalmum, Beati immaculati &c; peti remissionem venialium; secundo verò mortalium, quando videlicet ea deferuntur, & vita in melius commutatur: vt liquet ex Augustini Enchiridio. Quæritur si quis nolit remittere al-

Psal. 118 serm. 3. | cap. 71.

re alteri peccata, vtrum hac oratione petere poterit à Deo sibi propria peccata remitti? Respondeo nullatenus, quoniam in hac orationis particula mendax conuinceretur, nec vllũ est ei aliud relictũ remedium quam vt ad misericordiam animũ suũ inflectat. Sed quid si is, qui iniuriam intulit remissionem petere nolit, an non licebit tunc læso hanc præcationem orare? Respon. Posse, si petenti paratus sit remittere. Circa hanc partem tres sunt errores: quorum primus est, Quod quicunque hominibus dimittit peccata, saluabitur, quãtumuis malè vixerit. De quo Augustinus lib. 1. cap. 21. de ciuitate Dei, Item in Enchiridio, & lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum, Secundus error Fabri est Stabulensis qui hinc statuere conatur, conuertendos omnes ante mortem, quotquot alijs in se cõmissa remiserint: Id quod sanè non semper verũ est, nec id Scriptura hęc docet: intelligi enim debet modo nõ sit aliunde aliquis defectus. Tertius error est eorũ qui dicunt eum qui proximo peccata remittit, iã hoc ipso suorum peccatorũ remissionẽ à Deo habere.

Et ne nos inducas in tentationem. Non sic induci nos patiaris, vt tentationi cedentes, malo ad quod tentamur cõsentiamus. Aliud est enim tẽtari, aliud in tentationem induci, id est, à malo quo tẽtamur superari. Petimus ergo hic vt Deus nos à peccatis præseruet, docemurq́; neminem sine singulari gratia Dei (quod directe contra Pelagium est) vitare posse peccata. Quum igitur semper ad tentationi resistendum, diuina opus sit gratia, erit & magna huiusce petitionis frequentandæ, Deoq́; fundendæ cura ac diligentia.

Sed libera nos a malo. Per malum, Græci diabolum intelligunt. Augustinus omnem rem malam: quomodo & Ecclesia accipit, quando post hanc orationem

Li.2.de ser. Domin.in monte c.16. In can mis.

nem, subijcit, Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris, vel iuxta Augustin. à re mala. *Amen*, hoc est, fiat: estq; quodammodo totius orationis dictæ repetitio, quia prius noster in Deum excitatur affectus.

Nolite fieri sicut hypocritæ tristes, id est, tetrici ieiuniorum ostentatione humanam laudem quæritãtes. *Exterminant enim facies suas* destruunt. *Vt appareãt hominibus ieiunantes*, vt homines, ipsos ieiunare cõspiciant. Erasmus autem legit, ne in hoc obnubiles faciem tuam ad pallorem, & tristitiam, quo vel ipso corporis habitu conspicuũ sit omnibus te ieiunare. *Quum autem iuiunas, unge caput tuum, & faciem tuã laua*, hilarem vultum præbe hominibus ieiunium tuum ostentare non cupiẽs, vt metaphora sit à Palestinis sumpta, qui capita sua in templum conuenientes, ne calor solis squalorem efficeret liquore dulci, ac distillato, & odorifero vngebant. *Et pater tuus qui uidet in abscondito reddet tibi.* Expendendũ est hic ieiunium nõ minus esse meritorium quã eleemosina, & oratio. Secundo ieiunium non esse tantũ sobriè viuere, sed corpus per cibi, & potus subtractionem affligere, Tertio, non minus diligenter aduertendum, locum hunc vnũ esse ex quibus Au-
Epist. 86. gust. rectè colligi dicit Ieiunare mandati esse diuini licet tẽpus ab Ecclesia sit statutũ, & determinatũ. Hactenus docuit Christus procul depellendã esse ambitionem, & gloriam inanem, iam verò vsq; ad finẽ capitis reprehendit auaritiã, docẽs nõ minore labore, ac diligẽtia eã esse superandã. *Nolite thesaurizare thesauros uobis in terra*: Nolite auaritiã diligere: *sed thesaurizate uobis thesauros in cœlo*, sed accumulate vobis per bona opera, & maximè pro eleemosinis opes, & diuitias, id est, bona merita in cœlo, in quo merces est incorruptibilis: Vt autem hoc fiat, cor vestrũ ad cœlestia erigite. *Vbi est enim thesaurus tuus ibi est*

ibi est & cor tuum, quapropter vobis prçcipio nõ thesaurizare in terra, sed in cœlo, quoniam plerumq; contingit, vt illuc homines omnem suam cogitationem, solicitudinem, & amorẽ dirigant, vbi thesaurum suum seu principale bonum, siue copiosas diuitias repositas habent: vt ergo cor vestrum non sit in terrenis rebus sepultũ, sed semper ad cœlestia eleuatũ, thesauros in cœlo condite, & non in terra. Quæritur an peccatũ sit, thesaurũ aliquem in terra habere reconditum, cũ præcipiatur vt in terra non thesaurizetur! Resp. Istud mandatũ de nõ thesaurizãdo esse mãdatũ ex causa illa (vbi enim est thesaurus tuus ibi est cor tuũ) quare illa causa nõ subsistẽte nequaquã peccatũ est, non enim aliud hic Christus mandat quã Psalmographus dicens, diuitiæ si affluãt, nolite cor apponere: hoc enim solũ malũ est vt Paul. pulchrè ostẽdit. Aduertẽdũ quoq; est quod nõ solũ diuitiæ thesaurus est, verumetiã vẽter gulosi, lasciui libido, superbi ambitio, & sic in oĩbus alijs vitijs. Quod autẽ illicitum non sit seruato modo thesaurizare, patet per Iob, Iacob & Abrahã, nã Abraham magnas opes congessit, qui tamen vir iustissimus fuit, Deoq; acceptissimus, qui nõ modo pro Deo amittere, & cõtẽnere diuitias paratissim' fuit, verũetiã propriũ filiũ Deo offerre minimè dubitauit: deniq; Scriptura cõmendat Ioseph quod omnẽ pecuniã Aegypti, in ęrariũ Regis cõgregauit. Ex his ergo liquet nõ omnẽ thesaurizãdi modũ à Deo esse vetitũ. *Lucerna corporis tui, est ocul' tuus*, hoc est, quẽadmodũ res se habet in oculo corporali, ita etiã se habet in oculo mẽtali: oculus autẽ corporalis lucerna corporis est, siue director, qui si san' fuerit totũ corpus illuminabit, & bene diriget, si autẽ fuerit excœcatus, totũ corpus in tenebris relinquet simili modo si ipsa mens quę totius humani operis directrix est, pura, & simplex fuerit, vnamquamq; rem

Psal. 61. *1. Cor. 6* *Genes. 47.*

rem pro sua dignitate liberans, nec ita res terrenas affectet, vt illorũ amore aliquẽ decipere velit, totã hoĩs vitã benè diriget, atq; splẽdidam reddet, si verò ipsa fuerit excœcata, & ad dolos pro terrenis acquirendis, vel conseruandis processerit, tota hominis vita mala erit, & in tenebris posita. *Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt.* Si ergo mens tua, quæ omnem vitam tanquã lucerna, vel lumen dirigere deberet sit diuitiarum cupiditate, quæ omnium malorum (vt inquit Apostolus) radix est, obtenebrata, ipsa peccata quæ tanquam tenebræ à mente dissipari debebant quã magna, & multa erunt, dum non erit lumen quod dissipet illa? Aliam Augustinus huius loci habet expositionem, qui per oculum intentionem intelligit, quæ si bona fuerit, omnia alia opera bona: si autem mala, omnia opera erunt praua.

1. Tim. 6

Aug. lib. 4. cont. Iulia. cap. 3.

Nemo potest duobus dominis seruire, contraria scilicet iubẽtibus, nã si idem iubeant pro vno Domino habendi sunt. *Aut enim unum odio habebit* primum dominum nempe diabolum, & secundum diliget, id est, Deum. *Aut unum sustinebit*, diabolum scilicet, *et alterum contemnet*, id, est, Deum. *Non potestis Deo seruire & mammonæ*, quoniam contrarij Domini sunt: aut eum necesse est Deum contẽnere, & Mammôna diligere, vel Deum diligere & hoc odio habere. Vult ergo fieri non posse vt quis obseruationi mãdatorum Dei addictus sit, & simul congerendis diuitijs inhiet, quia cupiditas diuitiarũ hominẽ impedit ne Deo seruire possit: vnde diuitias habere non prohibet, sed eis seruire: is autem diuitijs seruit qui eas in Dei honorem, suam vel proximi necessitatem, vel vtilitatem erogare non audet. Mãmona seu Mammon sermone Syriaco idem est quod Deus diuitiarum, qui deinde, per tropũ pro diuitijs ipsis ponitur.

Ideo dico uobis ne soliciti sitis animæ uestræ quid manducetis, neque corpori uestro quid induamini. Quia non potestis Deo seruire & Mammonæ, ideo studiose inculco ne animę vestrę soliciti sitis, id est ne pro vita vestra, vnde viuatis, nec pro corpore, vnde vestiamini more vulgi, anxij sitis: quia eiusmodi solicitudo àd seruitutem Mammônæ pertinet. Anima hoc loco, pro ipsa anima quatenus vitam vegetatiuam cōseruat accipitur, animæ tribuitur cibus, corpori autem, vestimentum. *Nonne anima plus est quam esca, & corpus plusquā uestimentū?* Qui præstitit id quod maius est sine vestra solcitudine, id est vitam ipsam dabit id quod minus est, cibum & vestimentum, vita enim corporalis præstat cibo & nutrimento qui ergo illam dedit hæc non negabit. *Respicite uolatilia cœli quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater uester cœlestis pascit illa.* Deus mirabili sua prouidentia vilissimis animalibus, cibum & potum, sine vlla anxietate, vel solicitudine ipsorum prouidit, quanto magis vos pascet, & ea quæ vobis sunt necessaria suppeditabit, quos pro filijs suis habet, quiq; longe cætera animalia præcellitis? Per volatilia cœli, volucres aêris intelligit, ad quas respicere debemus, vt sic ad ea quibus nulla cura impenditur oculos eleuantes, anxietatem, solicitudinemq; istam procul à nobis repellamus.

Quis autem uestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum unum? Quis vestrum anxius, & solicitus potest per suam solicitudinem seipsum vno cubito augere, si ergo hoc paruum vestra solicitudine præstare non valetis, quare anxij estis quomodo ex rebus quas apud vos non habetis alendi sitis? quasi dicat, ea solicitudo magis vobis obest, quam prodest: Simile ergo Deum vestri curā gerere, qui pro beneplacito suo staturæ vestræ ter-

minũ præſcribit. *Cõſiderate lilia agri quomodo creſcũt: nõ laborãt, neq; nent*, ſicut hoĩes, nulla adhibetur induſtria humana. *Dico autẽ uobis quoniã nec Salomõ in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.* Tamen magis decorata ſunt, & maiorem venuſtatem habent quã Salomon in omni potentia & gloria ſua. *Si enim fœnum agri quod hodie eſt*, id eſt, ſtipula ipſa, in qua creſcũt Lilia, iam lilijs decerptis exſiccatur, & igni ſtruendo apta redditur. *Et cras in clibanum mittitur*, valde igitur vile eſt, quoniam ſtatim comburitur, & in cinerem, & vilem fauillam redigitur. *Deus ſic ueſtit*, tamen Deus tam inſigniter ornat, & varietate colorat. *Quanto magis uos modicæ fidei* Vocat modicæ fidei quia is qui parum Deo fidit, & credit, parũ ab eo ſperat, & expectat.

Hæc enim omnia gentes inquirunt, in iſtis principale bonum conſiſtere putantes, nec à Deo illa, ſed per ſuam duntaxat ſolicitudinem præſtolantes. Ego autem nullo modo vos patior facta gẽtilium imitari. *Scit enim pater ueſter quia omnibus his indigetis*, non debetis igitur putare à veſtra ſolicitudine iſta dependêre, & tãtam curam veſtri gerere: Pater enim veſter optimè veſtram neceſsitatẽ pernouit, & cũ pater ſit (quod nomen Emphaſim habet) vos filios ſuos in neceſsitate minimè relinquet. *Quærite ergo primũ regnũ Dei*, in quo deus regnat. *Et iuſtitiã eius quã ipſe dat*, id eſt, bonam vitam, & peccatorum remiſſionem, per quæ ad regnum illud peruenire poſsitis: atque ita non eritis operum gentilium imitatores. *Et hæc omnia adijcientur uobis*, non ſolicitantibus vobis victus, amictus, & cætera neceſſaria tribuentur, modo regnum Dei, & eius iuſtitiam quæſieritis. Sed quærat hic quiſpiam quomodo Paulus in fame, ſiti & nuditate à Deo relictus fuit? Ad quod reſpondeo temporalia à Deo quæri non debere niſi inquantum ad ſpiritalia conferunt, atq; eate-

eatenus tantum à Deo promittuntur: quando verò sancti in bonis temporalibus deficiunt,& in hoc mundo vilescunt, in bonis spiritalibus abundãt, atq; in regno cœlorum ditescunt. *sufficit diei malitia sua*, satis affligitur homo præsentibus malis, ita vt opus non sit quod angatur futuris.

Ex prędictis diligenter obseruare debemus Deũ omnium rerum etiam minimarum scientiam, curam, gubernationem atque prouidentiam in particulari habere, vt sic à vitijs retrahamur, & consolemur in miserijs nobis aduenientibus eum cõfitentes, in omnibus suis esse æquissimum sapientissimum prouisorem ac summum gubernatorem. Sciendum etiam hic est quod nullo pacto hominis labor, & industria prohibeatur, nam (teste Paulo) qui non laborat, non manducet: verum noxia anxietas, & humani cordis inquieta solicitudo vetatur. Est autem quædam bona solicitudo, quam qui nõ habet semifatuus, otiosus, & iners est, de qua D. Thomas agit, quæ est mentis vigilantia *secunda secũdæ quæst. 47. art. 9.* ne peccetur, aut vsquam delinquatur: & est ad exequenda bona opera sedulo intenta: Tali solicitudine fuit D. Paulus detentus, dum pro Ecclesiæ Dei gubernatione quiduis attentauit & quasuis miserias subire non dubitauit. Solicitudo verò de terrenis in tantum prohibetur in quantum est superflua: atq; ista triplicis est generis, quidã enim principale bonũ in rebus terrenis, atque caducis cõstituũt. quidã etsi in ijs non ponant, principale bonũ: per eas tamẽ à principalibus abstrahũtur, & remorantur: alij verò ita superflua reseruant, vt Deo aliquo modo diffidant. Contra hos præcipuè hic agit Saluator & omnem metum inanem excutit, atque inhibet præoccupare debitum solicitudinis tẽpus, vtpote tẽpore sementis cogitare de messe, & de illa anxiari, non autem simpliciter de futuris cogitare,

nam in sua familia loculis, in quibus aliqua pro futuro recondebantur habuit, deinde Apostoli ingruente fame frumenta congregauerunt in futurũ
Act.11. vt testatur Scriptura.

IN CAPVT SEPTIMVM.

HOC capite agit contra superbos, qui alios ita contemnunt, vt se solos magnos, & bonos existiment.

Nolite iudicare quenquam scilicet tanquam malum, *ut non iudicemini*, vt non condemnemini à Deo tanquam mali, quòd proximum iudicaueritis. Mandatum istud simile est præcedenti illi, Si dimiseritis hominibus dimittetur vobis, & intelli-
secunda secũdæ quæst. 60. per omnes articul. gi debet nisi aliunde obex ponatur. Latè hoc à B. Thoma explicatur. In iudicando autem proximo vt iudicium non sit illicitum tria vitanda sunt, Primò, ne innocens, & absque crimine reus iudicetur, aut ei grauior pœna quam crimen meretur infligatur. Secũdo, ne temerariè iudicetur, ne id quod incertum est certum esse proferatur, quod maximè hoc loco vetat Saluator: atque istud maximè superborum est ex incertis ad certa iudicia procedentium. Tertio, vetatur ne iudicium vsurpetur. Iudicium autem vsurpatum dicitur, quia in non subditos exercetur. Quisquis in aliquo horum triũ errat, peccatum mortale committit, etiamsi sola voce, corde, aut mente iudicium proferat, non enim solum non oportet de proximo maledicere, verumetiam nec male de eo cogitare, vel sentire: quisquis enim de proximo male sentit, si iustã non habeat causam, infert ei iniuriam, bonam de eo existimationem reijciendo. Augustinus enim apertè
Tracta. 90. in Ioan. dicit, peccatum esse mortale in rebus huiusmodi obscuris definitiuas proferre sententias. Quanquã inquit

inquit in his rerum tenebris humanarum, hoc eſt cogitationum alienarum, & ſi ſuſpitiones vitare non poſſumus, quia homines ſumus iudicia tamē, id eſt definitas firmasq; ſententias continere debemus, nec ante tempus quicquam iudicare.

In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua mēſura menſi fueritis remetietur uobis, id eſt, propter iudicium temerarium quo proximos eſſe malos iudicaueritis, iuſtè à Deo condemnabimini, vt eadem menſura, qua eos menſi eſtis & vos metiamini: nā temeritas qua illos iudicaſtis, eadē ipſa apud Deū vos iudicat, atq; condēnat. Nō ergo Deus temerè quemquam iudicat, etſi temerè iudicauerit homo. Vnde Auguſtin. lib. 21. cap. 11. de ciuit. Dei. Qui iudicat inquit, & condemnat iniuſtè ſi condemnatur & iudicatur iuſtè in eadem menſura recipit, quamuis non hoc dedit. Iudicio enim fecit, iudicio patitur. Quamuis enim fecerit damnatione quod iniquum eſt, patietur damnatione quod iuſtum eſt.

Quid autem uides feſtucam in oculo fratris tui; & trabē in oculo tuo non uides? Quorſum magni facis minima fratris tui peccata (quæ per feſtucam deſignantur) eaq; diligentiſsimè conſideras, tua autem grauiſsima (quæ per trabem deſignantur) non aduertis, aut ſi aduertis, animaduerſa parui facis, & in tuis cum ſis tam cœcus, quomodo in alienis tām es oculatus? niſi quia ad aliena vitia conſpicienda oculos tibi aperit inuidia, & ad tua cernenda eos tibi claudit ſuperbia. *Aut quomodo dicis fratri tuo, ſine eijciam feſtucam de oculo tuo: & ecce trabs eſt in oculo tuo.* Quomodo de paruis peccatis fratrem tuum corripere tentas, quum in maiora prolapſus te non conſideras, hoc certè non zelo iuſtitiæ, vel proximi charitate admonitus facis, alioquin à te correptionem auſpicareris, ſed magno inuidiæ ſtimulo vulnera-

neratus. *Hypocryta* iustitiæ,& charitatis simulator. *Eijce primum trabē de oculo tuo, & tunc uidebis eijcere festucam de oculo fratris tui* Tum demum idoneus eris, vt de minoribus peccatis fratrē corripias, si te grauissimis exueris sceleribus.

Quæritur an in maiori peccato existēs nō potest in maiori peccato existentē corripere? Respōdeo, si is qui corripit,& in maiori peccato existit, æqualis illi sit, qui corripitur, potest corripere, si modo de suo peccato graui, pœnitentiā agat, si autē fuerit superior,& in crimine publico existat, inferiorem in minoribus peccatis existentē propter scādalū corripere nō potest. Pro hac quęst. cōsulatur Thomas, Se-
Quæst. 60. art. 3. cunda secundæ. Et in materia de corrept. fraterna.
Nolite sanctum dare canibus. Nolite infidelibus san-
Quæst. 33. art. 5. ctam Christianæ religionis prodere doctrinā, neq; apud eos de diuina sapientia sermones facere *ne ipsi forte eas conculcent pedibus suis, & conuersi dirūpant uos*. Ne vos obtrectationibus persequutionibusq; dilacerent, nō enim homines sed potius animalia bruta videntur, ita enim carnalibus dediti sunt, vbi brutorum more omnia sua eo dirigant. Vnde A-
Phil. 3. postolus eos tanquam canes esse dicit qui non sunt digni accumbere mensæ. Dat Christus præceptum istud vt Apostolos instruat, quibus istam sanctam doctrinam aperire debeant.

Sed obijciat quispiam: Paulus infidelibus hanc proposuit,& aperuit, ergo non videtur istud prohiberi hoc præcepto. Respondeo, hoc quidem Paulū fecisse, at prius corda eorum ad excipienda salubria documenta, & tam preciosas margaritas pręparasse:
Act. 4. Istud deinde præceptum tantum ex causa mandatum est, nam si contemptus periculum nō subsit sanctū dare minimè vetatur, quoniā illi qui non cōtēnunt; iā caninā aliquousq; fœditatē deposuerūt.

Sed contra: Christus Pharisæis panem vt canibus

bus porrexit. Respondeo, nullo modo eum sic porrexisse, sed illis porrexit in quorum vtilitatem dedit, cum quibus simul aderant canes, id est, Pharisæi, quod illicitum nō est, nō enim fructus & promotio filiorum impediri debet, propter malitiam impiorum.

Petitur an istud intelligatur de Sacramentis, quemadmodum de sanctis eloquijs? Respondeo, non, si primam Domini intentionem respiciatis: quia nec in præcedētibus, nec in sequentibus fit sacramentorū mentio, præterea Aug. de Adulterinis coniugijs dicit Dominū hic agere de spiritualibus doctrin. non de sacrament. tametsi generaliter loquendo etiā de his accipi potest, quo etiam ipse lib. de fide & operibus ait, sacramenta non danda, nisi verè ad Deum conuersis. *In fine libri*

Petite, & dabitur uobis. Istud subiungit, quia in præcedentibus plurima dedit mandata, quę homo suis viribus implere nequit, demonstrat igitur à quo petere debeat, & per quem prædictorum mandatorum adimpletionem obtinere queat. Hæc autem doctrina eadem est cum doctrina de fide Deum patrem per Christum inuocante & petente, quam omnibus epistolis suis Apostolus Paulus commemorat. Precibus Christus vt præceptorū suorum impletio petatur quoniam ipse dare omnino statuit, vnde dixit: dabitur vobis, id videlicet quod petitis oportuno tēpore, nō negabitur: Per hoc autē quod subiūgit, *Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis,* vult cōtinuā & feruētē esse petitionē: Idē enim omnino hæc tria significāt, nā postea sequitur. *Omnis enī qui petit accipit et qui quærit inuenit & pulsanti aperietur.* Hoc est, Quicunq; sit, siue iustus, siue peccator, qui à Deo petit, omnino, & indubitāter obtinebit, qui autē ab hominibus petunt interdū nō accipiūt, sed Deus infallibiliter petitionem exauditurus est.

Aut quis est ex uobis homo, quem si petierit filius suus panē, nunquid lapidem porriget ei? Omnis qui petit à Deo accipit, Pater autem carnalis interdum filium negligit, sed pater cœlestis nunquam in filij sui trahitur obliuionem, nec quicquam ei negat, igitur omnis qui ab eo petit indubiè accipit, alioquin non esset magis misericors erga filium quam homo, quod omnino à fide alienum esse debet: quod si nō creditis, respondete: Quis est ex vobis homo quem si petierit filius suus panem nunquid lapidem porriget ei? aut si piscem petierit nunquid serpentem porriget ei? quasi dicat nō, sed petita filio porriget. *Si ergo uos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris quanto magis pater uester qui in cœlis est dabit bona petentibus se.* Vos igitur cū mali sitis & nihilominus filijs bona datis, quanto magis pater vester, qui summè bonus est imo ipsa summa bonitas dabit filijs suis, & quāto patre carnali melior est, tāto filijs meliora dabit? Magna sanè hæc petētiū promissio, sicut magnū est, à Deo nō petentiū improperiū. Malos autē appellat Apostolos suos, tum propter concupiscentiam in quæ nati sunt, & peccata quæ quotidie cōmittunt: Priorem interpretationem habes apud
cap. 8. Hilarium in Psal. 118. quem ex eo locum citat Aug. lib. 2. contra Iulianum. Posteriorem lib. 1. contra aduersar. legis & Prophetarum. De tribus istis pa-
cap. 22. ne videlicet lapide & serpente tractat Augustinus lib. 2. quæst. Euang. & mysticè per panem intelligit charitatē, cui lapidis duritia opponitur, id est, odiū, per piscem, fidem quæ latet & inuisibilis est: quemadmodum enim piscis in aqua latet, ita fides in aqua baptismi, quæ est sacramentum fidei. Rursum sicuti piscis in medio mari tutissimè natat, sicet homo in medio huius turbulenti sæculi per fidem tutissimè conuersatur. Per serpentem verò infidelitatem intelligit propter venena fallacia quibus primos

mos parentes interemit. Non est hic prætereundũ, quod quatuor, vt oratio efficax sit & impetratoria, requirantur. Primo, vt ea petantur quæ animæ salutaria sunt, secundo, vt perseueranter, seu constãter oretur, Tertio, vt pro se, Quarto, vt pia intentione. Vnde Augustinus tractat 73.81.& 102. Et Prosper senten.252.& 362. Male inquit vsurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit. Proinde si hoc ab illo petitur, vnde homo lædatur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus.

Omnia ergo quæcunque uultis faciant uobis homines, & uos facite illis vt ego summatim omnia mandata comprehẽdam, de quibus hactenus loquutus sum, dico quod quæcunque vultis bona voluntate, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Vsqueadeo generale est istud, vt mandata, & consilia cõplectatur, nam si exigam ab aliquo mihi aliquid fieri, ex debito iustitiæ teneor idem illi præstare: similiter si ex debito charitatis quicquam exigam, debeo illi idem præstare. *Hæc est enim lex, & prophetæ,* id est, hoc mandatum de dilectione proximi. Vniuersa mãdata, quę in libris veteris testamẽti habẽtur, cõplectitur: siquidem omnia eo fine præcepta sunt, vt homo in charitate viuat. Consule Aug. de doctrina Chtistiana lib.1.cap.35. Quæritur quomodo dilectionis diuinæ mandatum hic cõtineatur? Respondeo duabus illud cõtineri rationibus, Primo, quia istud pręceptum diligendi proximum sine dilectione Dei impleri non potest. Secundo, in hoc mandato intelligitur Deus tanquam finis dilectionis proximi: quia dictum est, Quæ vultis scilicet bona voluntate, hoc est, propter Deum vobis fieri, eadem bona proximo præstate. Quæritur rursum, quare Scriptura legem & prophetas in mandato dilectionis proximi potius pendêre dicat

cat quam in mandato dilectionis diuinę? Respondeo, Scripturam interdum dicere legem, & prophetas in mandato dilectionis diuinæ pendere, sed rarius, sæpius autem in dilectione proximi, quia hæc nobis notior est, & ex illa facillimè conuinci possumus, vel nos diligere, vel non diligere Deũ; non autem ita possumus scire ex dilectione Dei, vtrum eum diligamus, vel non, atque hæc eadem ratio est cur saluator hactenus, parum aut nihil de mandatis Deum concernentibus dixerit, plurima autem de mandatis ad proximum ordinantibus. Consulatur Augustinus in expositione epistolæ ad
Cap. 5. Galatas in eum locũ Omnis enim lex in vno sermone impletur, diliges proximum tuum sicut teipsum.

Intrate per angustam portam. Istum locum etiam Lucas adfert, sed ex alia occasione, Matthæus autem
Luc. 13. ponit, quia Christus hic hortatur Apostolos suos ne preceptorum difficultate deterreãtur, vel peccãtium multitudine ad deserendum Dei mandatum illiciantur. Sensus igitur huius est, assumite modũ viuendi quem iam supra posui, quantumuis asper videatur, & difficilis, quia per istum solum patet ad vitam introitus: porta enim ita augusta est, vt nemo nisi admodum gracilis, coarctatis, cõpressis, & contritis prauis concupiscentijs intrare possit: quemadmodum qui crassus est, si per angustam portam ingredi velit, necesse est vt multum conteratur, & comprimatur: itẽ qui in arcta via ambulat quæ vtrinque est periculoso mari circundata, vel vtrinq; prærupta, necesse est vt admodum sit circũspectus, ne à via declinando, in certum incidat exitium: ita etiam perpetua secundum mandata mea viuere cupienti, necessaria item vigilantia, quia si à via mãdatorũ deflectat, mox in perditionis viã & foueam incidit. *Quia lata porta, spatiosa uia est quæ ducit*

ducit ad perditionem: Nullo igitur modo viam facilem quæratis, in qua homo tanquam in loco ſpatioſo non multum ſe obſeruare debet: nec latam portam per quam poteſt homo ſine ſui arctatione ingredi, quoniam illa via, & porta ad certam æterni ignis damnationem perducit. Ad iſtud alludit Virgilius, ſeu quicunque eſt illius carminis author de litera Pythagoræ. Vide Baſilj quæſtiones breuius explicatas, vbi has parabolas exponit. *Et multi ſunt qui intrant per eam.* Potius hîc dolor eſt aſſumēdus, quam locus exponendus. *Quam anguſta porta, & arcta uia eſt, quæ ducit ad uitam.* Sed quæ anguſta eſt cupiditati, lata eſt charitati: ſuaue eſt enim Chriſti iugum, & onus eius leue: & mandata eius grauia non ſunt. *Et pauci ſunt qui inueniunt eam,* non enim obuia eſt, ſed multum quæri debet, vnde pauci eam ingrediuntur. At viam ſpatioſam quę non quæritur, ſed paſsim manifeſtatur, & offertur plures ingrediuntur, & ſicuti plures capit, plures etiam ad perditionem perducit: contra ſicuti via illa anguſta pauciores comprehendit, ita ad ſalutis metam pauciores perducit, vt patet ex Geneſi, vbi impius Cain ſtatim ſub initium fratrem legitur interemiſſe: & aliquanto poſt vniuerſum genus humanum, exceptis octo animalibus propter iniquitatem diluuio perijſſe. Porro quanquam pauci hic eſſe dicentur, qui arctam viam inueniant & ingrediantur, atque ſaluentur: multi ſunt tamen per ſe conſiderati. Eſt ergo paucitas iſta comparatione reproborum intelligenda. Dicit tamen Auguſtinus contra Donatiſtas exceptis hæreticis & ſchiſmaticis, inter Chriſtianos paucos ſaluandos: nam fornicatorum, ebrioſorum, iniuſtorum hominum, & cæterorum, qui vitam ſuam ſecundum Dei mandata non inſtituunt, infinitus eſt numerus.

Reſ. ad int. 240. & 241

Matth. 11.

1. Ioan. 11.

Geneſ. 4.

Geneſ. 7.

Atten-

Attendite a falsis prophetis. Quia quosdam homines scio futuros qui viam mandatorum meorum peruertãt,& homines ab ea,mala doctrina sua, vel vita impediãt,moneo vos,vt cautè eiusmodi obseruetis,ne vobis noceãt:sunt enim,falsorum dogmatum falsi prædicatores,& assertores,qui haberi volunt veri Prophetæ,& sacrorum dogmatum sinceri expositores,cum tamẽ falsitatis assidui sint fautores.Propheta interdum pro futura prædicente vsurpatur,interdum verò pro cõcionatore, vel dogmatum professore : vnde qui sacrum dogma rectè explicat , Propheta verus & bonus dicitur, qui verò falsò,propheta falsus nuncupatur. *Qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium.* Venire dicuntur quia missi non sunt:verorum namq; prophetarũ est à Deo, vel vicarijs eius mitti multi falsorũ autem,spontè & vltro currere:vnde Hieremias: Ipsi currebant,& ego non mittebam eos:atque hæc vna est hæreticorum nota . In vestimentis autem ouium venire dicuntur , quia cum quibusdam operibus in specie bonis , vtpote eleemosinis , ieiunijs,orationibus& varijs alijs modis, allegationibus sacrarum literarum , quas Prophetæ & Apostoli contexuerunt,tanquam vestimenta quædam Christianorum quibus se muniãt , prodeunt. Vide de his Vincentium Lirinensem in libello suo pro Catholicę fidei antiquitate & veritate aduersus hęreseon nouitates. Maximè autem ideo cauẽdi sunt quia non apertè oppugnant, sed occultè insidiãtur, veniunt enim vestimentis ouium tecti quasi oues essent,id est,sancti & simplices Christiani,nulli nocere cupientes: quod optimè dici potest de nostri temporis hæreticis,præsertim de Anabaptistis,eorumq; ministris. *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces,* Hoc vnum in conuiuijs,itineribus, & quibuscunque locis omnibusq; suis sermonibus , & actionibus

Hiere. 23.

bus

bus ſemper agunt ac meditantur, vt gregem diſpergant,& oues aliquas à grege abſtrahant, & abſtractas per falſam doctrinam dilanient. Primo enim hæretici affectum hominis à vera fide ſeu Chriſti Eccleſia, vel Chriſti fidelibus abſtrahunt, poſtea verò eum falſę doctrinę veneno interficiũt. Quia autem lupi ab ouibus non facilè diſcernuntur, præſertim quum illarum veſtimenta aſſumãt, dabo vodis certiſsimum ſignum quo eos ab illis diſcernere poteritis. *A fructibus enim eorum cognoſcetis eos*, ſicut enim arbor mala, ab arbore bona ex fructibus dignoſcitur, ſic lupus ab oue, & falſus propheta à vero, ex proprio videlicet fructu, id eſt, ex mala doctrina, quia proprius Prophetæ fructus eſt doctrina: Si ergo propheta verus fuerit, doctrinã veram & ſinceram proferet, ſin malus falſam. Per (fructus) hoc loco vita intelligi nõ poteſt, quoniã ex vita diſcerni non poteſt falſus propheta à vero, nam interdum accidit quod Doctor bene viuens malam doctrinam depromat, quemadmodum fecit Origenes, & è diuerſo malè viuens, bonam & ſanam: vt Scribæ, & Phariſæi, quos Saluator quòd malè viuerẽt, reprehendit, eorum doctrinam à vita ſecernens: vnde Paulus non curat qua intentione doceatur Euangelium, dummodo bene doceatur. Deinde plurimæ ſcripturæ, Doctores ex doctrina, non ex operibus cognoſci docẽt, vt, Si ſurrexit in medio tui prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit &c. non audies verba prophetæ illius. Item: Si quis aliter doceat, & non acquieſcat ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecũdum pietatem eſt, doctrinę, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum. Rurſum. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit &c. quoniam intrabunt poſt diſceſsionem

Math.23. *Phil.1.* *Deut.13* *1. Tim.6* *Act.20.*

nem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi &c. Loquentes peruersa is est fructus &c. Propterea in hoc cognoscitur spiritus Dei: Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse &c. Et paulò post: Qui nouit Deum, audit vos, qui non est ex Deo, non audit vos: In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris. Consulantur venerabilis Beda in Episto: 1. Ioannis cap. 1. & Vincentius Lirinensis in libello contra hæreses. Sed iam quæstio est quonam modo cognoscetur vera, vel falsa doctrina; Verum
Deut. 13 hoc etiam tradit nobis scriptura: si enim aliqua doctrina hactenus Christianis ignota proferatur pro falsa haberi debet. Certissimè autem catholicæ ac veræ doctrinæ, notæ sunt, Christianorum vniuersitas, & antiquitas, ac plurimorum consensus, vt fusè declarat Vincentius Lirinensis. *Nunquid colligunt de spinis uuas aut de tribulis ficus.* Parabola (inquit Dominus) declaro Pseudoprophetas cognoscẽdos esse ex doctrina hactenus à fidelibus ignorata, & diuersa ab eis hactenus tradita: etenim sicuti spinæ non proferunt vuas, nec tribuli ficus, sic sincerus doctor, vt talis, non potest malam tradere doctrinam, nec malus bonam. Et sicuti arbores non facientes fructum bonum exciduntur, & comburũtur, ita omnis doctor cuius doctrina non est bona separabitur à visione Dei, & sanctorum societate, ac in ignem gehennæ mittetur. Ista eadem parabola scilicet de arbore fructus bonos non faciẽte, ab alijs Euangelistis de bona vita intelligitur, vt patet de ficu, à Christo maledicta. *Igitur ex fructibus eorũ cognoscetis eos.* Id est, ex ista parabola satis liquet quod dixi: nimirũ quod malũ doctrinæ fructũ cõmuniter malus sequatur cõuersationis fructus & qui malè docet semper aut ferè semper malè viuit, & in apertis sceleribus per suã hæresim volutatur:

nam

nam via Dei est arcta, à qua quum non dirigatur à Deo, facilè in aliam deflectit, vt ait Iacobus, vir duplici animo est inconstans in omnibus vijs suis & Paulus, Tradidit Deus eos in reprobũ sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt: Omnes enim suas cupiunt explere libidines, & acquirere diuitias: atque hæc est contemptæ fidei pœna, atq; vindicta, quemadmodum & Augustinus docet libro de Hæresibus. Id quod de Apostatis etiam ait Bernardus. Eorum (inquit) qui post conuersionem suam peccatis, & vitijs implicantur ingrati acceptæ gratiæ, & post missam manum ad aratrum retro respiciunt, tepidi & carnales facti aut post agnitam viam veritatis retro eunt apostatæ manifesti: eorum vtique perpaucos inuenias qui post hæc redeant in gradum pristinũ, sed magis in sordibus positi sordescant adhuc. Cap. 1. Rom. 1. serm. 35 Luc. 9.

Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Vos etiam moneo ne à malæ vitæ Christianis impediamini, quanquam enim illi non sint pseudoprophetæ, & recta dogmata habeant, tamen multum impedimento sunt, quia non rectè viuunt. Non omnis ergo qui verbis me honorat & pro Domino suo agnoscit, & de doctrina mea rectè sentit intrabit in regnum cœlorum, *sed qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis est, intrabit in regnũ cœlorum*, id est, qui seruat mandata: igitur scandalizari non debetis nec malæ vitæ Christianos imitari, sic enim excluderemini à regno cœlorum. Ex his satis patet quod vera Dei agnitio, & fides, etiam consistit cũ mala vita, quod quidã hæretici negant dicentes nõ esse fidẽ bonã, aut verã, vbi non est bona vita. *Multi dicent mihi*, Christo scilicet iudici futuro. *In illa die* quando veniã ad iudicandũ viuos, & mortuos, quod tẽpus diẽ per Antonomasiam vocat, tanquam maximam in qua omnia patebunt.

Nonne

Nonne in nomine tuo prophetauimus? Volentes ostēdere in quo confisi sint,quasi per illud sine vitæ emendatione in regnum cœlorum intrare posſint: dicentq́;,Domine,Domine,quare nos condemnas quum tantas à te acceperimus gratias,nam per virtutem tuam futura prædiximus,vel doctrinæ tuæ præclari doctores extitimus? *Et in nomine tuo virtutes multas fecimus,*miracula plurima: quæ virtutes videntur quoniam magna ad ea facienda requiritur potentia. *Et tunc confitebor illis.* Apertè dicā quod latenter in Scripturis prædixi. *Nunquam noui uos.* Nunquam approbaui,nec illo tempore quo magna per nominis mei virtutem faciebatis miracula, quod iniquæ viæ vestræ erant. Nunquam nouit quia nunquam prædestinauit,& elegit. *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.* Omnes citra aliquā differentiam,quacunque gratia fulgeatis,prophetę eiectores dęmonum,& magna miracula facientes. Ite in ignem æternum, etenim adhuc iam iniquæ voluntatis estis nam mors & resurrectio non malefaciendi voluntatem, sed tantum facultatem abstulit: vnde Psalmista: Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Iniquitas hoc loco generaliter accipitur, vt virtuti generali opponatur. Nec illi hoc dicentes, videlicet nónne in nomine tuo prophetauimus? &c.mentientur, quia alias istud dictum non cōpeteret proposito Christi.Nec mirum videri debet, quod impij habeant prædictas gratias, cū illud de Balaam & falsis prophetis Pharaonis constet,& de Iuda Ischariote,qui quamdiu cum Christo mansit multa miracula fecit:istud etiam conuincit 24. cap.huius Euangelij.

Num.22. *Exod.7.*

Circa hunc locum, Discedite à me &c. Dicit Chrysostomus,grauius esse carere aspectu Dei,quā mille gehennæ ad quam grauissimam pœnam omnes damnati adigentur: & sicuti omnes, qui tem-

pora-

poraliter occiduntur,principaliter patiũtur id quod grauiſsimum eſt,videlicet mortem, quanquam in genere mortis per accidens ſit diuerſitas, quod vnus per ignem moritur,alius laqueo, alius gladio, ſic quicunque peccauerit id quod grauiſsimum eſt, carentiam nimirum viſionis Dei, quam D.Chriſoſtomus morti aſsimilat,patietur:prȩterquam adhuc quod igne gehennæ iuxta peccatorum ſuorum demerita torquebitur.

Quomodo autẽ pſeudoprophetæ iſti Chriſtum interrogaturi ſunt vtrum videlicet verbis corporalibus,an mentalibus,nõ eſt vna omnium ſententia: quidam enim dicunt quod verbo agant,vt Richardus in 4 Sententiarum, quidam negant vt D. Thomas. Pro hac re conſulatur Auguſtinus lib. 20.de ciui.Dei cap.16.& 24.

Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea. Concluſio eſt huius ſermonis eiuſq; cõmendatio, quaſi dicat: Vt ſemel ſermonem iſtum concludam,vobis dicam quanti hic momenti fuerit, idq; per parabolam ab ædificantibus deſumptam: Qui ergo facit hæc, id eſt, quæ in ſermone iſto poſita ſunt complet. *Aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram*, id eſt, rupem firmam,& immobilem. Hic certè comparandus eſt viro ſapienti, quẽadmodum viro ſtulto comparatur qui ſuper arenam ædificat, quæ vento ſtatim diſcutitur,& loco ſuo mouetur.

Quæritur an ſaluator polliceatur prædicta implenti bonitatem? Reſpondeo quod ſic, ſed eatenus quatenus ea facit. Vir ſapiens eſt Chriſtus, qui Eccleſiam ſuam ędificauit, ſuper ſeipſum. *Et deſcendit pluuia, & venerunt flumina.* Dȩſcendit autem perſequutio,& ſæculi prauitas, id eſt, perfectæ perſequutiones, vel ſæculi voluptates, quæ flumina nũcupantur.

Et flauerunt uenti, id est, hæreses, & adulationes, aut alij hominum rumores, *Et irruerunt in domum illam*, id est, in Ecclesiam, *Et non cecidit*, sed firma permansit *fundata enim erat super petram*, etenim firmum habebat fundamentum, ipsum Christum scilicet, qui solus fundamētū esse potest, fundamētum enim aliud nemo potest ponere, prçter id quod est positū. 1. Cor. 3.

Et omnis qui audit uerba mea hæc & nō facit ea simi'is erit uiro stulto qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illā, & fuit ruina eius magna. Vir stultus mysticè diabolus est, qui super arenam, id est, errores varios non sibi cohærentes mundum impium ædificat, qui persequutiones, voluptates, hęreses, & adulationes statim cadit: & ruina eius est magna quia vsq; ad æternæ damnationis barathrum ruit, ita vt nihil super sit amplius quo posſit domus viri sapientis molestari. Ad literam autem saluator demonstrare intēdit quod is qui facit ea quæ in hoc sermone continentur, verè sapiens est, & quamdiu in hac obediētia est contra omnes omnino impugnationes munitus permanet, qui verò nō facit, verè stultus est, & facillimè à quolibet oppugnante superatur. *Et factum est cum consummasset Iesus uerba hæc, admirabātur turbæ super doctrina eius.* quia insolita erat, & supra modū excellēs, ita vt in sui admirationem omnes pertraheret, & vsqueadeò, vt inquit Marcus, conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc noua? quia in potestate etiā spiritibus immūdis imperat, & obediūt ei. Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galileç. Marc. 1.

Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ & Pharisæi. Ista erat admirationis causa quia in mirum in docendo non adulantis, non ad os loquentis, sed apertè vitia & mores cum authoritate redarguentis personam gerebat, non enim dicebat,

bat,hoc dicit Dominus, vel propheta ille, sed ego dico vobis:quod etiam sæpe repetiuit, vt se tantæ potestatis esse declararet qui hominũ corda ad bonum conuertere posset, & præmia benè operantibus in cœlo,& supplicia malè agentibus in inferno retribuere valeret.

IN CAPVT OCTAVVM, Matthæi.

COngruè Matthęus ad confirmationem præcedentis doctrinæ multa consequenter miracula à Christo facta refert:boni namq; magistri est,doctrinam suam factis comprobare.Hinc consummato sermone suo in monte,atque omnibus præceptis quibus Christiana vita perfectè formatur,ad signorum operationem descendit,vt per virtutem miraculorum sermo firmaretur.

Quum autem descendisset de monte,sequutæ sunt eum turbæ multæ,& ecce leprosus ueniens,qui se ab hominũ cõsortio seiungere debebat,secundum legem. *Adorabat eum* genuflexo in faciem suam procidendo, vt patet ex Luca,& Marco,*dicens, Domine,si uis,potes me mundare*,quasi dicat,agnosco Domine quod tu, qui omnium medicorum Medicus es,saluare & sanare me possis,etiamsi morbum lepræ incurabilem habeam,vnde peto si meæ saluti expediat,& tuę prudentiæ conforme sit,vt me sanes. Instruimur hic quod quicquid à Deo petimus,eius voluntati submittere debeamus, dicentes,fiat voluntas tua. Leuit.13 Marc.1. Luc.5.

Et extendens Iesus manum,tetigit eum dicens,uolo. Prius dixit: (Si vis) vnde Dominus ei respondet, *volo*, & addit *mundare*, id est,mundus esto.

Obseruandum hic est Dominum non violasse legem quę prohibebat leprosum tangere,quoniam lex illa eos duntaxat obligabat qui ex tali

cōtactu inquinari poterant : quod Christo periculum non erat. *Et confestim mundata est lepra eius* verbo prolato curata est lepra eius. Noluit autem Dominus eam solo verbo sanare (quod equidem potuit) sed etiam corporis tactu, vt carnem suam ratione diuinitatis vnitæ viuificam esse ostenderet. Sicuti enim in ferro ignito non tantum ignis vrit, sed etiam ferrum cuius poris ignea vertus inhęret, sic & in Christo non tantum diuinitas ipsa operatur, sed etiam humanitas: Vnde Theophylactus, Per hoc (inquit) quod Christus se Dominum legis ostendit, & quod sancta eius caro ijs, quæ tāgit sanctificationem cōmunicet mysticè ostēditur, quod etsi Deus potuit saluare hominem sola sua voluntate, nullū tamē saluare vult nisi mediante humanitate Christi, & mysterio incarnationis eius: quod etiam pulchrè explicat Thomas in tertia parte.

Quæst. 40. art. 3. ad secundum.

Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris inhibeo tibi ne alicui dicas quod te curauerim, scilicet eo fine vt ego priuatam gloriam inde mihi comparem, volo enim veræ humanitatis meæ ostendere exemplum. Non prohibuit Christus miraculum istud ad gloriam Dei propalari, vnde nō peccauit is propalando, statim enim (inquit Marcus) cœpit prædicare, & diffamare sermonem, ita vt iam nō posset manifestè introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esse & conueniebant ad eum vndique. Quod si certè prohibuisset vtique non permisisset: verum ad nostram instructionem fecit, siquidem eius vita & actio, nostra fuit instructio. Ergo nos quandocunque alteri quoddam beneficium præstamus, aut præclarum quid facimus, nostram nūquam gloriam inde conquirere studeamus, licet is cui beneficium præstitum est, sui benefactoris nō debeat silere laudem, vt in hunc locum annotant Theophylactus, & Ioannes Hoefinesterus.

Marc. 1.

sed

sed uade, ostende te sacerdoti veteris legis, vt te mundum esse videat. *Et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.* mundatis scilicet à lepra. Præceptum erat à Moyse, vt primo die duos passeres offerrent,& sequente die octauo duos agnos. Obseruari legem Christus volebat,quia illa, sicuti & sacrificia veteris legis cum ipse nõdum esset mortuus omnino obligabat,eoq; tunc Christus eã approbabat,quod patet,quia (vt ait Theophylactus) nisi sacerdos mundum pronunciasset extra ciuitatem illi manendum fuisset. Tribus autem de causis ad sacerdotes à Christo missi sunt leprosi teste Hieronymo)quorum vna hic tantum exprimitur. Prima est vt sacerdotibus honor deferretur. Secunda,ne legem Moysi infringere videatur. Tertia, vt sacerdotes eius potentiam admirando & credendo qui lepròsos mundare posset, saluarentur,aut non credendo inexcusabiles omnino redderentur. Vide August.lib.2.quæst.Euange.Theophilact. qui hoc pacto interpretatur: Quando me arguent vt destructorem legis tu mihi testis eris qui missus es à me ad ea offerenda quæ in lege prę-cipiuntur.Et hæc est ratio vna ob quam iste,& alij decem leprosi à Christo ad sacerdotes missi leguntur.Per lepram mysticè intelligenda est erronea doctrina, quemadmodum enim leprosus pustulas varias subinde locum suum mutantes habet & vnam corporis partem sanam,alteram corruptam,eamq; varij coloris,ita erronea doctrina multa bona,& vera,falsis permixta habet. Sed quærat quispiam cur missi sint soli Leprosi ad sacerdotes vt se illis ostenderent,& nulli alij à Christo sanati sint? Respõdeo quia sacerdotum nouæ legis est de doctrina vtrũ catholica sit an hæretica iudicare, & Deus eorum ministerio veram doctrinam tradidit iuxta illud: Si difficilè & ambigum iudicium

Leuit.14 *In commen.* *Quæst.40.* *Deut.17.*

esse apud te perspexeris inter sanguinem, & sanguinem causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas verba variari, surge, & ascende ad locum quē elegerit Dominus Deus tuus, veniesq́ꝫ ad sacerdotes Leuitici generis &c. Sacerdotum etiam ministerio sacrificia offeruntur.

Cum autem introiisset Capharnaū, accessit ad eū Centurio non in propria persona, sed missis Iudæorum senioribus vt ex Luca patet, qui sic ait, Et quum audisset de Iesu misit ad eum seniores Iudæorum rogans eum, vt veniret & sanaret seruum eius. Centurio iste, vir gentilis erat, à Romanis in Iudæa constitutus, militum præfectus, qui postea ad cultum vnius veri Dei videtur fuisse conuersus: rogauit enim pro sanitate serui sui, qui acerbè vsque ad mortem cruciabatur, vsq;adeò vt moriturū eū non dubitaret, nisi Deus subueniret: quod etiā cōfirmat ibidē Theophyl. Nō attulit (ait) puerū ad Iesum in lecto, credens quod & absentē curare posset. *Ait illi Iesus*, qui ab eo missus fuerat. Theophyl. putat ipsum prius alios misisse, deinde periculo crescente, vltimò per se accessisse, ac dixisse, *Domine, puer meus iacet in domo paraliticus, & male torquetur. Ait ergo illi Dominus: Ego ueniam*, operatione scilicet diuinitatis, & accessu corporali versus domū eius veniā, *Et curabo eum* Non hoc dicit iactanter Christus, sed vt Centurionis fides illuceat: promptißimèq́ꝫ se offert ad eā declarandā, & quodāmodo illi præmium reddit. Non rogauit eum Centurio, vt ad ædes suas veniret, sed amici ab eo missi sine mandato illud petiuerunt. *Et respondens Centurio* per alios scilicet, secundo missos: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum*. Propter quod ait Lucas, & meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te. Item debet hic modus loquēdi quo quis aliquid facere dicitur quando per amicos vel seruos facit,

Luc. 7.

Ibidem.

quen-

quenquam, frequens enim eſt: Deinde ponit Matthæus Centurionem tanquam corporaliter Chriſtum acceſsiſſe, quia ſecundum fidē magis ad Chriſtum acceſsit, & cum eo colloquutus eſt, quam qui ipſius iuſſu, vel rogatu corporaliter acceſſerunt: ſiquidem hi non tātam de Chriſto fidem habuerūt quantam ipſe. Sic ferè Aug. de conſenſu Euangeliſt. *Sed tantum dic uerbo*. Impera, non enim opus eſt tuo corporali acceſſu, ſed virtute imperij tui, *& ſanabitur puer meus*, ſeruus meus *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus*, vilis & Cæſari adhuc ſubiectus licet aliquot milites mihi ſubiectos habeā, *Et dico huic uade, & uadit*, quanto magis tu me longè ſuperior es, nec vllius ſubiectus imperio, angelis tuis mandare potes, vt eum per virtutem tuam à ſua paralyſi ſanent, & dæmonibus, vt ab eo diſcedant, imperent, vel etiā morbo imperare potes qui quodāmodo tibi famulatur, etenī quod quis infirmatur fit ex Dei imperio & nutu: vnde Theophylactus, Corporales (inquit) morbi milites ſunt, & vltores Dei vt patet de peſte &c. *Audiens autem Ieſus miratus eſt*, id eſt habuit ſe modo admirantis: impropriè enim admirari dicitur, admiratio namque aliquam præſupponit ignorantiam, quæ in Chriſto eſſe non potuit. Admiratus autem dicitur Centurionis fidem quia illam hominibus proponebat admirandam, Admiratio propriè dicta hinc oritur, quod aliquis effectum videt, & eius cauſam ignorat, aut quando cauſa facultatem virium noſtrarum, vel cognitionem noſtram excedit: quod Chriſto contingere non potuit, ipſe enim omnia etiam ſecundum humanam naturam ſciebat, quia ipſemet tantæ fidei in Centurione cauſa erat: ſecundum quid tamen in quantum videlicet admiratus, dici poteſt ſecundum experimētalem ſcientiam, noua & inſolita fuit ei fides eius, qualem nunquam verbis

Lib. 2. c. 50.

In hunc locum.

Quaest.15. art.8. Lib.1.ca.8

corporalibus expertus fuit vel audiuit. Vide Thomam 3.parte & Augustinum de Genesi contra Manichaeos. *Et sequentibus se dixit: Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Israel.* Non sum expertus in vulgo, & communi Iudaeorum populo, tantam fidem quantam in isto gentili Centurione experior. Nomine Israel non comprehendit patriarchas, & Prophetas, quales fuerunt Abraham, Isaac, Iacob, Esaias, nec B. Virginem, & Ioannem Baptistã, sed loquitur duntaxat de praesenti populo ac vulgo Iudaeorum. Magna est autem haec populi Israelitici increpatio, quoniam multò plura per quae meritò ad fidem prouocari deberet isto Centurione, accepit beneficia. Mysticè in isto Centurione fides Gentilium fidei Iudaeorum praeualitura praesignatur, vnde saluator subiungit: *Dico autem uobis quod multi ab oriente & occidente.* Vobis turbis sequentibus me praedico, quod multi ex toto orbe vbi nũc habitant tantum gentiles infideles, *uenient & recumbent*, scilicet perfruẽtes visione diuinitatis, *cũ Abraham, Isaac, & Iacob in regno coelorum*, hoc est, cum patribus Iudaeorum, qui singulariter in fide excelluerunt, propterea quod istorum fidem imitati sunt, veluti etiam Centurio iste: qui tamen de stirpe eorum secundum carnem non fuit. Erat haec Prophetia Iudaeis tanquam paradoxon, & reuera admirabile altissimi consilium fuit quod gentilibus tantam gratiam impenderit. Non dixit saluator quod multi gentiles cum Abraham, Isaac, & Iacob sint accubituri, ne Iudaeos ipsos de magna fide gẽtiles laudando exasperaret, sed rem adumbrando, & per periphrasim illud ipsum dixit. Sub duabus autem orbis partibus tanquam principalibus, totius orbis intelligitur. Quod etiam multos venturos dicit, & cum Abraham recubituros, citra comparationem ad reprobos dicit, nam alioquin eorũ com-

comparatione nō multi,ſed admodum pauci ſunt. *Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores*, Iudæi ipſi in quibus regnabat Deus & quibus regnū cœlorum præ gentibus ſpecialiter erat præparatum, atque promiſſum(Iſrael enim filius primogenitus appellatur)à ſocietate ſanctorum patrum ex quibus ſecundum carnem nati ſunt,propter infidelitatem ſuam ad extremas & nouiſsimas inferni tenebras condemnabuntur. ponitur enim (exteriores) pro (extremas)quemadmodum hic . At horum maior charitas , id eſt ,maxima. Iſtam prophetiam nunc compleri conſpicimus , quando multa Iudæorum milia ad infernum deſcendere videmus , & multa gentium milia per Dei miſericordiam ad regnum cœlorum poſsidendum aſſumi. Per tenebras iſtas exteriores,corporales tenebræ inferni intelligendę ſunt:quæ extremæ,ſiue maximæ dicuntur , quia à lumine remotiſsimè diſtant. *Exod.4.* *1. cor.13.*

Quæritur vtrum nihil ibi ſit luminis ? Reſpondeo,nihil lętificantis,ſed plurimū cōtriſtantis, quo propriā ſuā miſeriam, etiam corporalem damnati interpretatur,ait Baſilius quod ignis qualitates hic coniūctas,illic ſit Deus ſeparaturus, vt beatos quidem illuſtret ac lætificet : damnatos verò adurat atque contriſtet. *Erit ibi fletus*. Communis ſententia habet quod ibi nulla ſit lachrymarum reſolutio futura,ſed tantum capitis, & oculorum perturbatio , ſed hoc incertum eſt . *Et ſtridor dentium* ex indignatione ſcilicet,& nimio frigore. Lucas etiā ſtridoris dentium & fletus meminit , verum hic Euangeliſta ſolus meminit tenebrarum exteriorū, quarum nō meminit Lucas , qui tamen omnibus membris puniri damnatos iudicat. *In Pſal. 28 et in 10. ca. Eſaiæ.* *Luc.13.*

Et dixit Ieſus Cēturioni:uade,& ſicut credidiſti fiat tibi. Hoc eſt, Vobis dico,quod ſecundum fidem Cēturionis huius,fiet ei,non enim perſonam eius alloquitur

quitur, sed alios ab eo missos, vt supra dictum est.
Cap. sequēti *Et sanatus est puer in illa hora.* Hinc patet plurimū alienam fidem prodesse: quod latius infra circa curationem Paralytici dicetur.

Et cū uenisset Iesus in domū Petri. Addit Marcus, & Andreæ: quia videlicet quondam ibi habitârunt. vel eandem domum habuerunt contigitq; istud in Capharnaum. In Scriptura sacra de solo Petro inter Apostolos legitur quod coniugatus fuerit. *Et dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat ei.* Hinc elucet miraculi magnitudo, & excellentia prout infra de paralytico similiter elucebit quem saluator iussit lectum suum tollere, & in domum suam abire ad irrefragabilem miraculi euidentiam: videmus enim communiter febre recedente magnam remanere corporis debilitatem, at in opere & miraculo Christi, non tantum febris repellitur, verum etiam perfecta sanitas citra debilitatem recipitur.

Vidēs autem Iesus turbas multas circum se non eodē tempore quo miraculo suo socrum Petri sanauit, vt patet ex Luca & alijs Euangelistis, nam post hoc miraculum in desertum abijt. *Iussit ire trans fretum discipulos,* vt ipse à turba declinaret.

Et accedens unus scriba, ait illi: magister, sequar te quocūque ieris. Et dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis nō habet ubi caput suum reclinet, id est, filius hominis in hoc mūdo nihil proprij habet, sed vsqueadeó pauper est, vt nec tectum nec diuersoriū quò diuertere posit habeat, tu igitur quò me propter huius seculi lucra & commoda sequi vis? Notantur hic omnes qui propter terrena religionem ingrediuntur, vel sacerdotiū suscipiunt, vel Catholicis adhærent, aut etiá Christiani fiunt.

Quod ait, volucres cœli, occultè significat scribam

bam hunc altitudinem sæculi quæsijsse, in qua sunt volucres volantes: Vulpium nomine cultè indicat eum falsum promisisse obsequium, fraudulentiam in hoc imitando vulpinam: Reclinatione autem capitis humilitatem suam significauit, quæ in illo simulatore ac superbo non habebat locum sic Augustinus in Quæstionibus super Matthęum. Quest.5.

Alius autem de discipulis eius ait illi: Domine permitte me primum ire, & sepelire patrem meum iam defunctum vel, permitte me patrem meum senem sustentare, donec eum sepeliam. Hominem sepelire est infimum opus misericordiæ, quod homini non sentienti exhibetur, vt miseria eius tegatur: quod si illud homini Christiano impendatur, magis erit pium quam si homini infideli exhibeatur, siquidem hic ad mortem resurrecturus est, ille verò ad gloriam: sepultura etiam Christiani hominis est quædam fidei resurrectionis nostræ protestatio, & quod à Deo, teste Prudentio in hymno exequiarum, ex puluere facti sumus. Quia igitur Euangelium annunciare longè præstantius opus est, saluator istum ad patrem sepeliendnm ire noluit, sed ad euangelium prædicandum sicut ex Luca patet vbi dicit ei Dominus: Tu vade & annuncia regnum Dei. Luc.4. *Iesus autem ait illi sequere me, & dimitte mortuos* permitte eos qui in anima & in corpore mortui sunt sepulturam impendere infidelibus, & impijs, tu verò sequere me, qui filius hominis sum .i. miser, & creaturę peccatrici similis, quia filius Adæ. Christus filium hominis se vocat ad ostendendam suam humilitatem, seu humanitatem assumptam. Vnde Ezechiel se miserum & mortalē significare volens, filium hominis se appellauit.

Et ascendēte eo in nauiculā sequuti sunt eū discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari ita ut nauicula operiretur fluctibus. Iterum Christus hic suā diuinitatem ostendit

ostendit, sicut & omnibus alijs suis miraculis, declaratq; se maris & ventorum Dominum, & quod circa ea sicut & circa cætera elementa, & non solũ circa homines potestatem habeat. Quicquid autẽ facit; ad hominum vtilitatem, & tranquillitatem
Marc.4. agit. Hæc turbatio quæ in mari facta est, nocte, aut saltem circa noctem (vt ex Marco patet) contigit. *Ipse uero dormiebat*, in puppi scilicet, capite super ceruical, non autem super lectũ reclinato: quod Marcus fuisse ligneum quale in naui esse solet, refert.
Ibidem. Dormiebat autem, quia nox erat. & in die assiduè operatus fuerat. Hoc etiam somno humanitatem suam manifestauit. *Et accesserunt ad eum & suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos, perimus, & dicit eis: Quid timidi estis modicæ fidei*, quod non cogitatis me dormientem vos iuuare posse, nec cõfiditis quod quicquid saluti vestræ expediens fuerit cum patre meo facturus sim? Mysticè (nox) & (mare) istud turbulentum sæculum significant quo omnes impij, qui in nauicula Ecclesiæ nõ sunt demergũtur: in hac autẽ nauicula Christus, & prępositi Ecclesię sunt, illam varijs hæreticorum, persequutorum, & impiorum tentationibus agitatam dirigentes. Christus verò dormire cẽsetur dum quodammodo videtur non curare, nec protegere Ecclesiã suã tribulationibus & persequutionibus agitatam: quẽ Rectores Ecclesiæ, & homines pij multis precibus suscitant dicentes: quare obdormis Domine? salua nos quoniam perimus: & quoniam hi in fide, & spe multum adhuc imperfectionis retinent, non satis de diuina prouidentia confidunt. *Tunc surgens imperauit uentis, & mari*, tandem ipse Dominus surgit, & tranquillitatem facit in hoc quidem sæculo inchoatiuè, perfectè autem in futuro.

Porro homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic: quia mare, & uenti obediunt ei? Isti homines qui admirati sunt,

ſunt, vel diſcipuli ſunt, vel alij qui in eadẽ naui cũ diſcipulis erant, vel in alijs nauibus quæ cum illo ibant, vt ait Marcus: Obſeruandum eſt diligenter Euangeliſtas non diſcordare quanquam in quibuſdam concordare non videantur, ſed exponendi ſunt, & ad vnitatem reducendi, eundem namque ſenſum ponunt, tametſi verbis diſcrepent: quod Chryſoſtomus circa hunc locum diligenter annotauit. *Marc. 4.*

Et cum ueniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum. Alij legunt (gergeſæorum) de quibus in Geneſi habemus: Atque ita Hieronymus legit in libro de locis Hebraicis, dicitq; (Gergeſa) locum eſſe vbi porci de quibus paulò pòſt habemus, erant à dæmonibus iuxta ſtagnum tyberiadis præcipitati, Gardara autem, alia vrbs eſt licet in alijs Euangeliſtis legatur (Gardarenorum) Geraſa verò vrbs eſt Arabiæ teſte Hieronymo. Facilis autem eſt nominum in talibus tranſmutatio, & diuerſis locis eadẽ nomina conuenire poſſunt, imo eadem regio interdũ tribus diuerſis nominibus à tribus diuerſis locis appellatur. *Geneſ. 15* *Ibidem.*

Occurrerunt ei duo habentes dæmonia. Duo dæmoniaci. Alij Euangeliſtæ vnum tantummodo ponunt ex familia, vel ſæuitia, vel aliquo alio modo notiorem. *De monumentis exeuntes.* Cupit dæmon opinionem illam confirmare qua putatur, quod ſpiritus, ſeu animæ defunctorum in dæmones vertũtur: vnde dicuntur Magi aliquando occidere pueros, vt eorum animas habeant ſibi cooperantes, quibus vafer dæmon perſuadet ſe eſſe huius vel illius pueri animam in dęmonem verſam, dicitq; ſe cogi ad illis perpetuo famulandum, ſed in veritate non anima pueri, ſed dæmon cooperatur. *Quid nobis & tibi,* quid tibi nobiſcum eſt negotij, vel (Hebraica phraſi) quid nobis tecum. *Ieſu fili Dei.* Legitur

iſtud

istud affirmatiuè, & sine interrogatione. Iudæi magis ex suspicione, quam ex scientia hoc dixerunt, vt saluatorem ad inanem gloriam tẽtarent, alioqui enim si eum verè cognouissent nunquam crucifixissent. Innotuit autem eis Christus quantũ voluit, & tantũ voluit quantum oportuit, vt ait Augustinus. *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Opinabãtur quidem hoc futurum, quod videlicet condẽnarentur, sed non tam subito, vel proditionem suã intelligunt, qua cogniti quam primum spernerẽtur, de cuius acceleratione conquerunt, opinantes non debere fieri ante tempus iudicij, quo æterna sunt dãnatione puniendi, sic Augustinus. Hieronymus vero dicit quod dæmones cernentes Dominum versari in terris eum ad se iudicandos venisse existimârunt: vnde apparet diabolum nondum in tanto esse suplicio in quanto erit post iudicium: cõsulatur Augustin. lib. de ciuit. Dei, & de nupt. & cõcup. Vel ideo etiam dici possunt torqueri, quoniã tanta est eorum inuidia vt multum affligantur, si à læsione hominum præpediuntur: quam subinde Deus fieri permittit, vt discamus quanto nos odio prosequantur dæmones: quorum pars maxima in nostro aere inferiore versatur. *Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens, dæmones autem rogabant eum dicentes: si eijcis nos mitte nos in gregem porcorum.* Quasi dicant, Rogamus te vt non ex istis hominibus nos eijcias, veruntamen hoc si non obtinemus saltem hoc impetremus, vt non impedias nos quo minus gregem porcorum ingrediamur. Nõ autem dicunt, mitte nos in gregem ouium, vel aliorum animalium, quia sciebãt hoc se nõ obtẽturos quod oues, boues & eiusmodi munda sunt, quæ in sacrificium Deo offerri possunt: de porcis autem quia, naturaliter animalia immũda sunt, etiã ipsa significatione, & quia forte aliqui Iudæorum legem Dei trans-

Lib. 4. de ciui. Dei c. 21

Lib. 8. de ciuit. Dei cap. 23.

In cõment.

Lib. 14. de ciuit. cap. 3.

De nup. & concu. lib. 1. cap. 23.

transgrediebantur carne suilla vescentes, spem habuerunt. *Et ait illis, ite* non præcipiẽdo, sed permittendo: quo significare vult super impuros, & immundos homines porcinã vitam agentes dæmonibus concessam esse potestatem. *At illi exeuntes* ex hominibus *abierunt in porcos* qui erant duorũ miliũ numero: *Et ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare*, quia ita ab ijs vexabatur. *Pastores autem fugerunt & uenientes in ciuitatem nunciauerunt hæc omnia & de his qui dæmonia habuerant.* nuntiauerũt quod dæmoniaci illi sanati essent, & quod grex ille in mare se præcipitasset. *Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Iesu, & uiso eo rogabant ut transiret a finibus eorum.* Post quam totus grex in mare ruisset, & vidissent quod demoniaci essent curati rogauerunt Iesum vt à finibus eorum discederet: quod (vt volunt) ex humilitate petiuerunt, qua etiam Petrus dixit: Domine, discede à me, quia peccator sum. Verum alij probabilius dicunt eos id rogasse maioris damni metu, ne fortè per aliud miraculum alia animalia, aut bona sua perderent, nam si ex humilitate id petijssent, non dubiũ est quin Christus omnem ab eis futuri damni metum amouisset consolatusque eos fuisset: nec est existimandum istud miraculum indecenter fuisse factum quia cum magno illorum ciuium detrimẽto factum est, etenim dãnum cum tamẽ aliter dæmoniacos sanare potuisset Christus permisit, quod ad saluandos homines venerat, quos multipliciter hoc damno instrui volebat inprimis vt intelligerẽt quantum adhibeant dæmones hominibus nocendi studium, & sic nullam cum illis contraherẽt familiaritatem: Ex hoc enim patet eorum hominibus nocendi studium, nam quando eis in corpore nocere non potuerunt, in bonis & substantijs eorum pro posse suo nocuerunt. Secundo, vt discerẽt quod dæmones ne porcis quidẽ nisi singulari Chri-

Christi permissione nocere possunt, quoniam vt hoc facerent Christum rogauerunt. Tertio vt intelligeret quod multo maiori nocumento duos illos dæmoniacos affecissent quam porcos, nisi diuina prouidentia illos protexisset: at Christus dãnum duorum milium porcorum permittere maluit quam, vnius animæ detrimentum, & perditionem. Verisimile autem est quod plures dæmones porcum vnũ vexauerint, huius miraculi sensum mysticum habet Augustin. lib. 2. quæst. Euãge. cap. 13.

Lib. 2. quæ. euang. c. 13

IN CAPVT NONVM.

ET *ascendens Iesus in naviculam trãsfretauit* à Gerasenis per mare Tyberiadis, nam ista in Galilæa contigerunt. *Et uenit in ciuitatem suam* scilicet Cpharnaum. Suam autem vocat, quia initio prædicationis suæ relicta ciuitate Mazareth in Capharnaum habitauit, ibiq; signa plurima fecit, & multa docuit, vt dictum est supra. De hac ciuitate apud Marcum habemus. *Et ecce offerebant ei paralyticum iacẽtem in lecto.* Quatuor viri scilicet, qui quũ prę turba eum Christo per ostium domus offerre non possent, tegulis depositis per tectum domus obtulerunt. Mysticè hoc modo intelligi potest quod anima bonis operationibus destituta Christum quærit, & per turbam impeditur, nec eũ inuenire potest, nisi ipsa tecta aperiat, id est, scripturarũ operta, per quæ descendendo ad Christum venitur, id est, humilitatem eius amplectendo & fidei pietate ad incarnationem, & humanitatem eius descendendo. Paralyticus autẽ, ex eo aliquis dicitur, quod immobiles sunt vires animæ eius ad bonũ, nec quicquam operantur, nisi eas Christus gratiã sancti spiritus bene operandi infundendo reparet.

In cap. 4.

Marc. 1.

Et

Et uidens Iesus fidem illorum. Oculo interiori misericordiæ suæ,& exteriori,magnam fidem eorum intuens,quatuor videlicet baiulorum : quod de potentia sanandi paralyticum non dubitarent,nec de bonitate eius desperarent : denique quod nullo labore deterrerentur , sed mirum suam petitionem insinuandi modum excogitassent:quibus(inquam) omnibus delectatus saluator , Paralyticum curauit. Per quatuor istos baiulos boni doctores , & quatuor præsertim Euangelistæ intelliguntur. Quod autem cum lecto portatur significatur quod ab homine existente in ista carne debeat Christus cognosci quemadmodum Augustin. mysticè exponit.Quod vero iubetur ire in domum significatur remissio peccatorum,& quod anima portet,id est,prorsus tollat carnis suæ affectiones , & vadat in domum , id est, in requiem secretorum cordis sui. *Dixit paralytico* ante se in lecto iacenti: *Confide fili,* id est animare,& spera te obtenturum quod optas, & de gratia quam tibi præsto multum cogita,magno enim munere te dono. *Remittuntur tibi peccata tua.*Hinc discimus quantum valeat fides aliena:nã eius intuitu remittit peccata. Aliorum igitur orationes sæpe petere non negligamus quæ non solum ad temporalia bona (quemadmodum male asserit Philippus Melanchon dicens quod alias inanis esset passio Christi) consequẽda, sed ad æterna obtinenda plurimum prosunt . Nulla hic fit mentio fidei paralytici,habuit tamen verisimiliter magnã fidem,alioquin nõ voluisset, nec permisisset se tractari , si de potentia diuina , & bona Christi erga se voluntate dubitasset.Peccata autem fuerunt causa infirmitatis eius , ideoq́ bene dicit saluator , Cõfide,id est,non dubita te sanandum:si enim causam id est,peccata tua auferre possum,& talis causæ effectus auferre,id est, morbos inde prouenĩetes potero.

Li.2. quest. Euangel. cap.40.

deut.28. ro. Hinc colligimus peccata nostra sæpe morborũ
1.Cor.11. causas esse quod etiam Paulus contestatur dicens, Qui enim manducat,& bibit indignè,iudicium sibi manducat,& bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi,& imbecilles, & dormiunt multi,id est mortui sunt: quẽadmodũ dormire etiam in verbis Christi sumitur Lazarus
Ioan.11. amicus noster dormit & verbis Pauli: Nolumus vos ignorare de dormientibus, id est,de defunctis: ideoq; prudentissimè in concil. Lateranensi 3. sta-
Can.22. tutum est,vt priusquã ad infirmũ corporalis medicus admittatur, medicus animæ sacerdos vocetur,sic enim canon habet: Quũ infirmitas corporalis nonnunquã ex peccato proueniat dicẽte Domi-
Ioan.5. no languido quem sanauerat: Vade,& amplius noli peccare(seu vt vulgata æditio habet, ecce sanus factus es,iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat)decreto præsenti statuimus,& districtè præcipimus medicis corporum,vt cum eos ad infirmos vocari contigerit ipsos ante omnia moneant,& inducant, vt medicos aduocent animarum,vt postquam infirmis fuerit de spiritali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum causa cessante cesset effectus. Sed quærat quispiam quomodo Christus homini tantum corporalem sanitatem quęrenti peccata remittit,& vt apparet ad remissionẽ peccatorũ indispositο? Respond. Eorũ qui à Deo corporalẽ sanitatẽ petiuêre, multi fuerũt ita diuinitùs illustrati, vt corporalẽ sanationẽ spiritalis sanationis figurã esse intelligerẽt,& sic hãc simul peterẽt: sicut patet de Hemoroissa, & decimo leproso ad Christũ vt gratias ãgeret reuerso,& de paralytico,
Ioan.5. iuxta probaticã piscinã Ierosolymis iacẽte,rursum
Math.15. de muliere Chananæa. igitur mirũ videri nõ debet si hic paralyticus etiã spiritalẽ animæ suæ sanitatẽ petiuerit.

petiuerit. Istos cuncti Christiani imitari debent, vt quandocunq; temporale aliquod eis accidit, desiderio etiam spiritale prosequantur: & quando temporale petunt spiritale semper preferāt, Deus enim per tēporalia ad cœlestia nos reducere cupit: quod patet per Patriarchas, & Prophetas Noē, & Abrahā qui per terrena ad diuina prouocati fuerunt: Atque hæc est vtilissima Christianorum exercitatio, vt per bona terrena prouocentur ad cœlestia, & per aduersa, æterna euitare conentur supplicia.

Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se, hac videlicet sententia Christi audita (remittuntur tibi peccata tua.) Sub Scribis etiam Pharisæi comprehendendi sunt, teste Luca, qui in magno numero conuenerant ex omni castello Galileæ, Iudææ, & Ierusalem, quos Dominus singulariter per istud miraculum in anima sanare cupiebat: virtus enim (vt ait Lucas) erat ad sanandum eos. Isti autem Scribæ & Pharisæi occultè in corde suo dixerunt. *Hic blasphemat* attribuens sibi potestatem diuinam cum Deus non sit, sed homo tantum: Nullus autem remittere peccata potest nisi solus Deus. Marcus clarè ipsorum Scribarum & Pharisæorum malas exprimit cogitationes. Hîc virtute, mortis sententiam, & damnationis, contra Christum proferebant, iuxta id quod scriptum est in lege Domini. Omnis blasphemans lapidabitur. Pulchrè Theophylactus istud explanat in Lucam scribens. De concordia huius Euangelistæ cum alijs tractat Augustinus lib. 2. cap. 15. de consensu euangelistarum, Mysticum verò sensum miraculi præcedentis ponit 2. quæstionum euangelicarum.

Luc. 5. Ibidem. Mar. 2. Leuit. 24 3. Paral. 8. Cap. 5. Cap. 4.

Et cum uidisset Iesus cogitationes eorum diuina sua virtute, *dixit eis, ut quid cogitatis mala in cordibus uestris?* Quare vos Scribę & Pharisęi me blasphemare Deū iudicatis, quasi ego Deus nō essem? hęc intelligite,

quod eadem potentia qua occultas vestras cogitationes cognosco possum remittere peccata: sicuti enim solius Dei est remittere peccata ita & solius Dei est scrutari corda. *Quid est facilius dicere*, id est, imperare, ita vt imperium sortiatur effectum. quasi dicat: Istud aliud est meę diuinitatis argumentū, quod profero vobis, quo probo me peccata remittere posse: non est facilius remittere peccata quàm *dicere surge & ambula*. Quod huic paralytico qui ante nos prostratus est impero. Per hoc nihil aliud Christus significare vult quam quod vtrumque istud soli homini impossibile sit, vtrumque autem Deo æquè facilè licet alterum sit maius. Vel sensus esse potest: dicere ista cuilibet facillimum est, vt autem intelligatis quod non tantum dixerim, remittuntur tibi peccata tua, quomodo & blasphemi dicere possunt, sed quod in veritate remiserim, aliud quod æquè est homini inuisibile non tantū verbis dicam, verumetiam modo opere præstabo. *Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*. Hoc est. Quātumuis videar vilis, & cæterorum hominum more vobiscū in terra conuerser, tamen potestatem dimittēdi peccata habeo tanquam Deus, quæ nullis concessa est hominibus: Atque hoc sensu (in terra) iungitur (filio hominis) si autem iungatur cum hominibus existentibus in terra quemadmodum Marcus huic lectioni patrocinari videtur, tunc sensus iste erit: Vt sciatis filium hominis habere potestatem dimittendi hominibus in terra existentibus peccata siquidem non dimittit peccata mortalia hominibus nisi in terra existētibus, vt doctè annotat Theophylactus: Quamdiu (inquit) super terram sumus,
Luc.5. poterimus delere peccata nostra: at postquam è terrā migrauerimus non vltra nobisipsis poterimus per confessionem peccata delere, clausa enim est ianua.

ianua. *Tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum & uade in domum tuam.* Non amplius languentibus mẽbris, ſed optimè ſolidatis, portans coram omnibus lectum tuum. Iſtud miraculum ſatis oſtendit Chriſti diuinitatem, nam ſanauit paralyticum ſolo verbo, & propria authoritate, nihil remedij externi adhibendo, non ſicuti Apoſtoli, & Prophetæ orando: quod fecit, vt Deus eſſe cognoſceretur. Non eſt autem veriſimile quod Deus illi aſsiſtere vellet, qui ad blaſphemandum faceret, ergo reuera tanquam Deus authoritate propria paralyticum ſanauit.

Videntes autem turbæ timuerunt. Timore nimirum reuerentiæ eum propter tantam miſericordiam, qua dignatus eſt filium proprium mittere, laudantes, *& glorificauerunt Deum qui dedit talem poteſtatem hominibus* peccata videlicet remittendi, & infirmos ſanandi. Hanc autem hominibus dedit dum Chriſtum ad homines miſit vt illam in hominum vtilitatem exerceret.

Et cum tranſiret inde Ieſus ab illa domo ſcilicet in qua paralyticum ſanauit *uidit* ſpiritalibus miſericordiæ ſuæ oculis *hominem ſedentem in Telonio* ad vectigalia recipiendum *Matthæum nomine:* De ſeipſo in tertia perſona loquitur, *& ait illi, ſequere me,* greſſu corporali, & imitatione ſpiritali, tanquam vnus ex diſcipulis meis mihi perpetuo adhærentibus. *Et ſurgens ſequutus eſt eum.* Corporali greſſu. Matthęus duobus appellatur nominibus nam ab alijs Euangeliſtis Leui vocatur, Alphæi filius: quorum illud Matthæus ſcilicet erat communis, hoc rarius. Lucas, & Marcus propter verecundiam ipſius quando malæ vitæ ipſius meminerunt eum Leui appellârunt: propter honorem verò ipſius quãdo apoſtolatus eius meminerunt, Matthæum vocârunt. Ipſe verò tanquam iuſtus primò ſui accuſator dũ Te-

lonij meminit, Matthæum se vocat, & quando se inter Apostolos recenset Matthæum publicanum nuncupat: vt hac ratione librum suum legentibus ostẽdat quánta gratia à Domino sit præuẽtus quãdo ex publicano est Apostolus factus. Deinde vt cordibus hominum imprimat, nullum peccatorẽ debere de salute desperare, modo ad meliora non recusauerit se conuertere.

Et factum est discumbente eo in domo Matthæi scilicet, Extruxerat enim Matthæus de legitimis suis bonis Domino & discipulis conuiuium, nam iustè quædam bona possidebat: vnde iusta conuiuia facere poterat, quemadmodum Zachæum fecisse legimus. *Ecce multi publicani & peccatores uenientes discumbebant cum Iesu & discipulis eius.* Publici peccatores veniebant quia Publicanum Matthæũ ad meliora conuersum, & pœnitentiæ locum inuenisse conspiciebant, ideoq; etiam ipsi de sua salute minimè desperabant. Erãtq; isti verè Iudæi, non autẽ vt delirat Tertullianus gentiles.

Ex hoc loco refutatur dogma Nouati qui relapsis pœnitentiæ locũ negabat, de quo Hieronymus in tractatu de filio prodigo, & frugi, qui incipit, Beatitudinis tuæ &c. Sed quærat quispiam quare Christus erat in conuiuio peccatorum? Respondeo non ciborum causa sed impendendæ doctrinę gratia, pro corporali namque cibo, conuiuis spiritalem præbuit. Si autẽ mysticè illud intelligatur, tũc Matthæus Christo, & discipulis eius, & peccatoribus conuiuium parare dicitur, quando Euangelio eius in Ecclesia lecto, & prædicato iusti consolantur, & iniusti ad pœnitentiam conuertantur. Sed rursum quæritur si omnia reliquit quomodò Christo conuiuium præparauit: Respondeo eum statim sequutũ esse saluatorem, & se oĩa velle relinquere professum esse, veruntamẽ Dominũ rogauit

vt prius ſemel ei eſſe conuiua dignaretur ſicuti fe- 3. Reg. 19.
cit Eliſæus qui antequam Eliam vocantem ſequeretur, ſocijs ſuis duos boues coxit. *Et uidentes Phariſæi* eum videlicet cum peccatoribus diſcūbere exiſtimantes hoc grande peccatum eſſe (hominem enim ex contactu & cum peccatoribus conuerſatione immunditiam contrahere putabant.) *Dicebāt diſcipulis eius* tentantes eos tanquam infirmos murmure contra Dominum eorum facto, & non ita ſicut Saluator reſpondere potentes. Pari modo infirmiorem ſexū Euam ſerpens tentauit. *Quare cū publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter?* quaſi dicant, in hoc malè facit magiſter veſter, & vos ſimiliter eū imitantes. Idē Scribæ illis exprobrârūt, per quod eos à Saluatore auertere volebant.

At Ieſus audiens, murmur eorum, *Ait, non eſt opus ualentibus medicus, ſed male habentibus.* Id eſt, ſani nō indigent medico, ſed infirmi: ego autem in hunc mūdum veni tanquam verus medicus, vt humanæ naturæ per peccata grauiter tam in corpore, quàm in anima vulneratæ mederer, quare mea conuerſatione, doctrina, auxilio, atq; medela non indigēt illi qui ſunt ſani, ſed ij tantum qui peccatorū vulneribus ſunt ſauciati, quales ſunt iſti peccatores, & publicani. Cum ergo mei officij ſit eiuſmodi vulnerum generibus mederi, certè ſcandalizari non debetis ſi me cum eis videatis conuerſari: quin & ipſi ſauciati meritò ad medicum currere debent ſanandi. Hinc diſcimus omnes omnino homines tā paruulos, quam adultos malè habere, ſauciatos, & corruptos eſſe, nec aliquē dicere poſſe ſe verō Chriſto animarum medico non egere. Quidā (vt Chriſoſtomus, & Theophylact.) ironicè hoc modo interpretantur, Qui putant ſe bene valere, putant ſe medico nō egere, vos autē, Phariſæi tales eſtis, vos iuſtos eſſe creditis, ideoq; medicum non quæritis: *In hunc locum.*

at illi qui ſciunt ſe malè valere, intelligunt medici cura ſibi opus eſſe. *Euntes autem diſcite quid ſit: Miſericordiam uolo, & non ſacrificium.* Diſcedite hinc, & diſcite, quid ſibi velit Propheta dicendo: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Si enim hoc intelligeretis, mihi nequaquam obmurmuraretis, quod cum peccatoribus, vt miſericordiam eis impendam, eoſque à peccatis retraham, & ad bonum cōuertam, conuerſer. Diſcite igitur prius quid Propheta velit & tùm demum facta mea diſcutite. Diſcite, inquam, non ſola ſcientia quæ inflat, & peiores efficit, ſed opere, obedientia, & legis dilectione. De hac ſcientia habet Auguſtinus contra Pelagium, de gratia Chriſti. Item de prædeſtinatione ſanctorum. Vult ergo Propheta dicere Deum magis cupere hominem erga proximum eſſe miſericordem, & cor alienæ miſeriæ compatiens quam munera externa, vt oues, boues &c. quæ offeruntur. Aduertendū hic eſt, quod Hebræi vnū alteri præferre volentes per negationem loquuntur, vt pro eo quod nos dicimus. Miſericordiā malo quā ſacrificium, dicunt, Miſericordiam volo & nō ſacrificium: Vnde patet hic Hebraicā eſſe Phraſim. Quod enim ſacrificium non prohibeatur, clarum eſt ex Michæa propheta, Indicabo (inquit) tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo. Vnde Ambroſius lib. 1. de pœnitentia verba prophetæ exponens: Quia miſericordiam malo, quam ſacrificium.

Lib. 1. c. 13. & ſequent. Lib. 1. c. 8. Mich. 6. Cap. 2.

Quæritur an ne ſit nobilioris virtutis actus colere Deum, ſeu ſacrificium offerre, quam proximo miſericordiam impendere? Reſpondeo, quum illud ſit vnum de mandatis primæ tabulæ, hoc verò ſecundę, non dubium eſt ſacrificium miſericor-

dia

dia præstantius esse, sed loquitur hic Dominus de vero sacrificio externo, non de vero Dei cultu interiori, contra Pharisæos, & similes qui neglectis præceptis diuinis de proximo iuuando externis suis sacrificijs & cęremonijs Dominum placare putabant: *Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores* Ideo, dixi, non esse opus valentibus medico: ego autem verus medicus in mundum veni, vt ad pœnitētiā, & salutem peccatores vocarem non iustos, quum nulli sint: si autem essent, medico nequaquam egerent. Porrò vnica est aduentus mei causa nimirum, vt peccatores qui varijs peccatorum languoribus sauciati, medici opera opus habent sanem: & ad hoc vltro, & gratis, nullis bonis meritis prouocatus per exteriorem & interiorem doctrinam, voluntatisque immutationem vocare veni eos ad sanitatem, & regni cœlestis hæreditatem. In hoc gratuita nostra electio includitur quū nulla nostra præcesserint merita quibus Deus prouocatus fuit: vnde Paulus se Apostolum vocatum esse dixit.

Sed quærat quispiam anne vocauerit, & inuenerit virginem Mariam iustam, & Abraham &c. Respōdeo ipse adueniens in hunc mundum nullos dicitur inuenisse iustos, quia quoscunq; inuenit gratia vocationis suæ iustos fecit, & aduentus sui misericordia illos præuenit, siquidem agnus occisus est ab origine mundi, quandocunq; enim vocauit & iustificauit aliquos, hoc fecit quia pro illis moriturum se præsciuit: etenim pro omnibus venit, & pro omnibus mortuus est. Alia huius loci interpretatio quæ à quibusdam datur est. Non veni vocare iustos, hoc est, eos qui se iustos arbitrantur sed eos, qui se medico egere putant, vel qui de salute sua nihil omnino cogitant. Tam autem gratia incarnationis eius exuberans est vt etiam ad pœ- Apoc. 13.

pœnitentiam vocet ſe egere gratia Dei non putantes, ex omni enim genere peccatorum multos vocat. Quod verò dicitur non venire ad vocandum eos, qui ſe iuſtos arbitrantur, verum quidem eſt, quamdiu tales permanent: veruntamen venit eos vocare ad peccatorum agnitionem. Sed prior interpretatio quæ generaliter de omnibus intelligit, Domini maieſtatem magis cōmendat.

Tunc acceſſerunt ad eum Diſcipuli Ioannis & cum eis aliquot alij *dicentes* interrogantes: *Quare nos & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant?* Quos tamen tu doces, & in quo malè agere videntur, non imitantes Phariſæos noſtri temporis religioſos, & magiſtrum noſtrum Ioannem Baptiſtam. *Et ait illis Ieſus. Nunquid filij ſponſi poſſunt lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus.* Hoc eſt, quamdiu ego in hoc mundo cum Diſcipulis verſor maximam Eccleſiæ meæ quam tanquam ſponſus in ſponſam meam accipio, celebro nuptiarum ſolennitatem: ad hoc enim, quemadmodum Magiſter veſter vobis dixit, hunc in mundum veni: Apoſtoli autem mei harum nuptiarum ſpiritales filij, & præcipui ſunt, quos perpetuo ſponſo adeſſe decet: Nullus ergo luctus, nulla decet eos aſperitas, ne aliqua triſtitia, nuptiarum obnubiletur ſolennitas & lætitia. Ab initio incarnationis Domini vſque ad Penthecoſtem fuit iſta cum Chriſto nuptiarum ſolennitas tunc enim ſponſam ſuam Eccleſiam duxit. *Venient autem dies quum auferetur ab iis ſponſus.* Id eſt, poſt aſcenſionem meam in cœlum, vel in paſsione mea cum ab eis corporaliter auferar. *Et tunc ieiunabunt.* Ex quo intelligere poteſtis, quod non propter ieiunij improbationem, vel intemperātiam diſcipuli mei non ieiunant.

Ieiu-

Ieiunamus nos ex præcepto primitiuæ Ecclesiæ ante pasſionem Domini vt repræſentemus luctū dominicæ pasſionis, non autem poſt, quia reſurrectionis lætitiā, & ſpiritus ſancti miſsionē figuramus. Vnde patet quod ieiuniū ſcripturæ, ſiue Eccleſiæ non ſolum in cibi, & potus ſobrietate conſiſtat (iſtud enim philoſophicum & non Christianum ieiunium eſt) ſed in luctu & corporis afflictione. Præterea dicit hîc Chriſtus fore quod Diſcipuli ſui aliquādo ſint ieiunaturi. Loquitur etiam de illo ieiunio de quo diſcipuli Iohannis loquebantur, non autem de ieiunio, (vt volunt hæretici) propter cibi inopiam aſſumpto.

Nunc duas parabolas adducit quibus probat Diſcipulos non debere ieiunare præſente ſponſo, quarum prior eſt: *Nemo immittit commiſſuram panni rudis in ueſtimentum uetus*, offenſus videlicet propter panni diſsimilitudinem. *Tollit enim plenitudinem eius a ueſtimento* abrumpit commiſſuram nouam à veſtimento veteri, quemadmodum clarè habent Lucas, & Marcus.

Poſterior verò parabola hæc eſt: *Neque mittunt* homines *uinum nouum* valdè fumoſum, quale in Palæſtina eſt, *in utres ueteres, alioquin rumpuntur utres*, efficacia ſcilicet, & commotione vini. Quibus parabolis docet Saluator hominibus carnalibus, iam recens conueſsis, magnâque adhuc vetuſtate laborantibus, non eſſe imponenda ieiunij onera, ne per nimiam auſteritatem benè inchoatam deſerant conuerſationem: nam Neophyti leuiter ad perfectiora, paulatim adducendi ſunt. *Luc. 5.* *Marc. 2.*

Sed cur ergo Ioannes Diſcipulis ſuis adhuc carnalibus auſtera impoſuit ieiunia? Reſpond. Quia Chriſto eos præparabat, atq; ad eum qui mitia & ſuauia faceret omnia tranſmittere ſtudebat.

Vnde

Vnde B. Augustinus locum hunc paulò aliter exponens lib.2.de consen.Euange. & lib. 2. quæst. euangel.Duplex hîc distinguit ieiunium alterum luctus,quod præsente sponso negat Christus Discipulis suis conuenire: alterum gaudij spiritalis mẽte in spiritalia suspensa, atque alienata ob hoc quodammodo à corporalibus cibis. Ioannes itaq; qui pœnitentiæ erat prædicator,luctus & humiliationis ieiunia conuenienter præscribebat. Hieronymus verò,Hilarius, & Epiphanius aliter locũ hũc accipiunt, & per vestimenta vetera,ac veteres vtres intelligunt,non Discipulos Christi,sed Scribas & Pharisæos:vinum verò & pannum nouum, Euangelica præcepta quæ quod eorum capaces non essent,tradere eis noluit. Nouos verò vtres qui Euangelium mistim capere possent,discipulos esse, ac noui testamenti filios. Sed videtur hæc sententia non ita conuenire,ac prior.

cap.17. *cap.18.* *In commẽt.* *lib.de heres.*

Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accesßit, hoc est,Synagogæ præfectus,quæ magna tunc tẽporis dignitas erat. *Adorabat eum* procidens in terrã: & sic externo gestu maiestatem eius agnouit *dicẽs* interius,scilicet cogitatione,& voluntate,exterius verò voce:*filia mea* vnica,annorum iam ferè duodecim in extremis est:vel augẽdo calamitatem suã dixit *modo defuncta est*,hoc enim omnino existimabat propter morbi vehementiam. *Sed ueni impone manum tuam super eam,& uiuet*, tuæ virtutis efficacia ad vitã redibit.Magna fuit huius principis fides, minor tamen fide Centurionis.

Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis,laborare enim cœperat quando filia Iairi nascebatur: *accesßit retro & tetigit fimbriam uestimenti eius. Dicebat enim intra se: si tetigero tantum uestimentum eius salua ero*. Non hoc ex superstitione sed magna admodum pietate fecit,non enim æstimauit fimbriã

per se

per se alicuius esse virtutis, sed ex Christi reuerentia omnia eius etiam viliora magni existimauit, idq; sapienter: vnde magnũ suæ prudentiæ à Christo saluatore recepit præmium. Discant hîc Ichonoclastæ suam impietatem detestari, & huius mulieris pietatem imitantes, imagines & sanctorum reliquias, atq; sanctos ipsos in veneratione habere. Iudæorum mos erat fimbrias in vestimentis gestare, vt ex Deuteron. intelligitur: quorum morem Christus sequitur. Erant autem fimbriæ ipsis ad portandum traditæ, vt fidem suam à reliquorum fide distinctam profiterentur, & mandatorũ Dei perpetuo haberent memoriam. Vnde Dominus per Moysen dicit: Loquere filijs Israel, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas Hyacinthinas, quas cum viderint recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes, sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintq; sancti Domino suo. Ipsi autem Pharisæi has fimbrias faciebant latissimas vt sanctiores viderentur, & magis mandatorum Dei recordari: quod latius cæteri Euangelistæ explicant. *At Iesus conuersus* ad turbam scilicet sequentem, & comprimentem, vt illam videret quæ fimbriam corporaliter, & spiritaliter fide tetigerat, vt etiam se scire ostenderet quid illa occultè fecerat, & quod sanata fuerat, quinetiã, vt ipsa deprehensa miraculum coram toto populo non sileret, vt sic Iairus magis Deo confideret, & vt ipsa fidei suæ multos pareret imitatores, nullaq; teneretur anxietate quod cum immunda esset, corporaliter eum tetigisset: multum enim metuebat ne saluator eam increpaturus esset. *Videns eam dixit: Confide filia,* quasi dicat, Tu per fidem tuam qua non modo corporalem, verumetiam spiritalem

Deut. 22.
Num. 15.

lem petijsti sanitatem, per gratiam meam facta es filia mea,& in hac fide & spe tua progressum fac,& metuere noli,quia immunda contra legem(vt putas)vestimentum meum tetigisti, imò multũ gaude. *Fides tua te saluam fecit* ego enim propter fidem tuam,qua inconcusse solo fimbriæ meæ tactu incurabilem morbum tuum sanari credidisti te saluaui: & quia tã humiliter te gessisti, vt verbis necessitatem tuam exprimere non auderes, nec ante conspectum meum venire,aut carnem meam tãgere, sed tantum fimbriam vestimenti mei contingere, tibi corporalem sanitatem & spiritalem quam petijsti contuli. De muliere hac & statua quam Cæsareæ Philippi Christo ædificauit, habes memorabilem histo.apud Eusebium,& in tripart. histor.

Lib.7.hist. eccle.ca.14. lib.6.c.41.

Et cum uenisset Iesus in domum Principis. Cæteri Euangelistæ tradunt nuncios prius venisse dicentes filia tua mortua est,noli magistrum vexare. *Et uidisset tibicines* lamentatores,qui alios ad luctum excitabant de quibus Ieremias ait:Comtemplamini, & vocate lamentatrices,vt veniant &c. Vnde Itali & Hispani adhuc hodie(vt fertur)hos mores retinent. *Recedite* non amplius parentes ad luctum prouocantes. *Non est enim mortua puella.* Mihi scilicet mortua non est, licet vobis hominibus verè mortua sit, *sed dormit*, mihi scilicet quòd tam facilè eam ad vitam resuscitare possum,quam vos excitare dormientes *& deridebant eum*, quod diceret eam dormire, quum eam mortuam esse scirent. *Et cum eiecta esset turba intrauit* in cubiculum, vbi cadauer iacebat cum patre, matre, & tribus Apostolis Ioanne videlicet Petro, & Iacobo, *& dixit, puella, surge*, Animam corpori reddidit.

Cap.9.& 23.

Huius historiæ mysticum sensum tradit Hieronymus qui per puellam duodecim annorum, populum

lum Iudaicum: Per mulierem verò fluxum patientem, gentilem populum intelligit. Quod autem prius mulier sanata fuerit, significatur quod populus Iudaicus ante gentilem, qui tunc quando populus Iudaicus natus est ægrotare cœpit, sanari cupiuerit, quemadmodum mulier illa morbo corripi cœpit quando Iairo nata est filia: saluator, autem primò ad populum Iudaicum venit, sed gentilis prius sanatur, & synagoga per puellam significata penitus per cœcitatem moritur. Tibicines verò sunt synagogæ ministri, carmen lugubre canẽtes, turba verò tumultuans est turba Iudæorum non credentiũ, sed Saluatorem deridentium. Augustinus de verbis Domini, de morte puellæ aliũ sensum mysticum tradit annotans tres tantum in scripturis à Christo resuscitatos legi. Atque per hãc idem in domo excitatam, eum significari ait, qui mortale aliquod peccatum solo interno consensu perpetrârit. Per adolescentem autem qui extra portam Naim portabatur ad sepulchrum, eum intelligi, qui malam voluntatem externo etiam opere complêrit. Per Lazarum verò quatriduanum, eũ designari qui longa peccandi consuetudine astrictus pressusque teneatur. Quorum primus non ita difficulter resipiscit, secũdus difficilius: tertius difficillimè: is enim quasi lapidem super se habet, hoc est, prauam ipsam peccandi consuetudinem, quę eũ tanquam lapis quispiam premit ne facilè surgere queat. *Creditis quia possum hoc facere uobis?* Hoc est, vobis reddere visum, sicut petitis? *Dicunt ei: utique Domine:* Sine hæsitatione omnino credimus. *Tunc tetigit oculos eorum.* Eàdem omnino ratione, & causa horum oculos tetigit, qua leprosum, *dicẽs: secundum fidem uestram fiat uobis*, qua hoc me posse creditis. Fides autem quam Christus à sanandis exegit erat de omnipotentia sua.

Luc. 7.

Videte ne quis sciat, vt inde meam priuatam gloriam quæratis. Non autem absolutè illis miraculũ propalare vetuit, alioquin eius famam in tota terra illa diuulgando peccassent. Hi duo cœci, inquit Hieronym. genus humanum in duobus populis, Iudaico nimirum, & Gentili significant, quod trãseunte Iesu, id est, Christo incarnato, & secundũ carnem ad patriam trãseunte per fidem in Christum, à profunda cordis cœcitate liberatum est.

Et miratæ sunt turbę dicentes: nunquam apparuit sic in Israel. Mysticè in turbis mirantibus, & Deum laudantibus fides gentium, à Pharisæis verò blasphemantibus, perfidia Iudæorum præsignatur.

Pharisęi autem dicebant: in principe dæmoniorum eijcit dæmones. Per principem dæmoniorum. Capite sequenti simile adhuc habemus miraculum, ex quo obseruare debemus saluatorem multa fecisse miracula quæ sunt similia non tamen eadem: cuius rei obseruatio multum ad docendum Euangelistas sibi inuicem non esse contrarios valet, quamuis enim subinde eandem historiam describere videãtur, fieri tamen potest vt non eandem, sed similem describant.

Et circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella pagos, & vicos, pauperes, & viles homines non contemnẽs, sed *docens in synagogis eorum.* Veram redemptionis generis humani doctrinam. *Videns autem turbas misertus est eis* magno miserationis permotus est affectu *quia erant uexati.* Varijs erroribus, & peccatis illaqueati, *Et iacentes* dispersi *sicut oues nõ habentes pastorem*, quæ tamen maximè pastore indigent: nam pastore destitutæ à lupo inuaduntur, atq; sine aliqua resistentia statim ab eo prosternuntur, & occiduntur.

Tunc consideratis malis turbam modo apprehendẽtibus *dicit discipulis suis, Messis quidem multa* multi ho-

ti homines parati sunt, vt verè ad pœnitentiā cōuertantur, & adducantur tanquam quædam messis in horreum regni cœlestis. *Operarij autem pauci*, at boni magistri qui eam verbo, & exēplo in horreum congregent perpauci. Si ergo diligitis Dominum Deum, cuius est messis, omnibus modis agite, ne operariorum defectu pereat. *Rogate ergo Dominum messis* quod melius facere non potestis quam intentè rogando Dominum, vt ipse qui omnipotens est, & facilè operarios multiplicare potest, populo suo placetur, *& mittat* misericorditer *operarios suos in messem*, vt eam colligant. Dicit Euangelista (& mittat) etenim vsqueadeo segnes sunt operarij, vt ad metendum ituri non sint nisi compulsi & quodammodo coacti.

IN CAPVT DECIMVM.

ET *conuocatis duodecim discipulis suis*. Quoniam messis multa erat, operarij autē pauci, Christus saluator noster discipulos suos in messem suam misit, vt ibi operarentur, *& dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eijcerent eos* ex hominibus, & bestijs. *Et curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*, quemlibet morbum, & debilitatē. Aduertendum est hoc loco proprietatem dæmonum esse immunditiem, quemadmodum proprietas spiritus sancti est mundities. Quemadmodum enim ex inuidia, & superbia, atque ex eo quod homines peccatorum sordibus inuoluere nituntur, eorum immunditia nascitur, atque immundi esse dicuntur, ita spiritus sanctus quia peccatorum sordes eluere conatur propriè mundus & munditiei author esse dicitur.

Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc, Hactenus nulla huius nominis (Apostolus) facta est mentio.

Significat autē legatū siue missum,&(per Antonosiā)his duodecim tribuitur,quoniā Christus ea potestate quā habebat eos donauit, & ad prædicandū in vniuersum orbem cū illa potestate plenaria misit. Tributur tamen etiā Paulo, & Barnabæ, quoniam ipsi vniuersales Christi legati fuêre.Subinde

Act.13. etiam generaliter pro nuncio vsurpatur,vt hic: sa-
Philip.2 lutate Andronicum,& Iuliam cognatos,& conca-
Rom. ulti. captiuos meos,qui sunt nobiles in Apostolis,qui & ante me fuerūt in Christo. *Primus* inter Apostolos est *Simon,qui dicitur*, id est, vocatur *Petrus*. Quod

Ioan.1. nomen illi à Christo impositum est,propter fidei firmitatem , & quia super eum tanquam fir-

Ioan.ult. mum fundamentum Christi Ecclesia ædificanda erat, fuit hic cum Christo,feruore, fidei,deuotio-

Ibidem. ne, & familiaritate primus, atque primus à Christo post resurrectionem factus est Apostolus, *Iacobus Zebedæi,& Ioannes frater eius.* Vocatur Iacobus Zebedæi scilicet filius, ad distinctionem alterius Iacobi,Alphæi filij,qui Iacobus minor à Marco vocatur sicut filius Zebedæi,Iacobus maior,vt

Cap.3 postea patebit.Marcus alium ordinem ponit,præponens tres Domini familiares,Petrum,Iacobum

Mar.13. & Ioannem: quibus duobus vltimis etiam salua-
Ioan.12 tor peculiare nomen imposuit, Boanerges quod fi-
Act.1. lios tonitrui significat. Quartum autem Andream ponit,qui post tres illos videtur Christo fuisse familiarior.Eundem ordinem huc vsque seruat Lucas in Actis excepto quod Ioannem Iacobus fratri suo præponat:in Euangelio verò eundem prorsus ordinem retinet.Quintū locum apud omnes obtinet Philippus,qui fuit Petri, & Andreæ conterraneus,& vtcunq; Domino familiaris. Sextum locū in tribus Euangelistis tenet Bartholomæus,de quo

Ibidem. nihil in Scripturis, nisi solum nomen in catalogo Apostolorum legitur: & in actis ei Thomas præponi-

ponitur fortaſſe nō ſine myſterio. Sūt qui putēt eūdē eſſe cū Nathanale, Thomas aūt, & Mattheus eodē quo hic ordine, in actis ponūtur excepto quod Bartholomæus Thomæ & Matthæo interponitur, quē Marcus & Lucas poſtponunt: Verū Matthæus humilitatis cauſa ſe in hoc ſuo Euāgelio illis poſtpoſuit. *Iacob' Alphæi* ſcilicet filius. Hic à Marco vocatur Iacobus minor, ad diſtinctionē Iacobi maioris Zebedæi filij. Minor autē dicitur, aut ſtatura, vel ętate, aut quia ad apoſtolatū, aut ad familiaritatē cū Chriſto vocatione poſterior: atq; hic eſt quo in actis mirifica legūtur, cuius etiā toties meminit Paulus, deniq; qui canonicā epiſt. ſcripſit, & primus in Hieruſalē ab Apoſtolis eſt cōſtitutus Epiſc. quēadmodū refert Euſe. *Et Thaddæus, ſimō Cananæus, & Iudas Iſcariotes.* Tres iſti fratres fuerunt, & Chriſti cōſobrini, ex matertera eius, videlicet Maria Cleophæ: qui vbiq; recēſentur vlt. loc. excepto Iuda Iſcariote. Aug. legit hoc modo, & Lebbæus, qui cognominatus eſt Taddæus, & Iudas: & hoc modo vocāt eū Ioānes & Lucas, vltimū nomē eſt eius propriū, reliqua autē cognomina. Dicitur autē Iudas Iacobi ſcilicet frater, nō ille Iſcariotes qui fuit filius Simonis. Ex enumeratione verò Euangeliſtarū, & ordine quē in recenſendis Apoſtolis ſeruant, ordinem ſanctitatis qui ſoli Deo notus eſt colligere nō poſſumus. Aduertēdū eſt hoc loco, quod ſoror beatæ virginis Maria Cleophę quatuor hos habuit filios, Iacobū minorē, Iudā, Simonē & Ioſeph, ex quibus duo Iacob' ſcilicet, & Ioſeph Nazaræi fuerūt, id eſt, religiosè admodum viuentes, ita vt ab omnibus iuſti cognominarentur: erant enim valde noti in populo: Simō autē, & Iudas nō ita excelluerūt attamen boni & ſimplices fuerunt: vnde populus à filijs iuſtis impoſuit Marię nomē dicēs, illa eſt Maria Iacobi, & Ioſeph, ſcilicet mater, ſimiliter ille

Mar. 13.

1. Cor. 15
Galat. 2

Lib. 2. hiſt. Eccleſ. c. 1.

est Iudas Iacob, scilicet frater, quo nomine etiam se ipse initio Epistolæ suæ canonicæ nuncupat, dicẽs, Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacob, &c. Quia autem tres fratres erant Apostoli, visum fuit Apostolis quod quartus frater, scilicet Ioseph, ad Apostolatũ loco Iudæ Iscariotis ascisceretur, quia iustus erat: sed inscrutabile Dei consilium nõ eum
Act. 1. sed Matthiam elegit. *Simon Cananæus* à Cana, vico galilææ nnncupatus, vbi nuptiæ, de quibus (ait
Ioan. 2. Ioannes Euangelista) factæ sunt. Alij hunc Simonẽ zelotem appellant, vt Lucas ait in actis. Cana ze-
Act. 1. lus interpretatur, & Chananæus vocatur vt à Simone Petro secernatur: videturꝗ probabiliter Lucas eum appellare zelotem non tantum propter patriam, verumetiam propter magnum eius zelum: Matthæus & Marcus hunc post Thadæum ponũt, Lucas autem post Iudam loco vltimo. *Et Iudas Iscariotes* sic dictus, vel à loco natiuo, vel à tribu Issachar, *qui & tradidit eum*, licet ad tantam dignitatem electus esset: vnde meritò vltimo loco ponitur, licet æqualem cum cęteris Apostolis sortitus sit potestatem. Quanquam tamen vltimo loco ponatur non propterea imaginandum est, quod in honore minimus fuerit, nam illi loculos Dominus concredidit: vnde non rectè inter duodecim Apostolos vel in cœna Domini vltimo loco sedisse malè pingitur.

Hos duodecim misit Iesus, Binos videlicet vt ex
Mar. 6. Marco patet: *Præcipiens eis dicẽs: in uiam gentium ne abieritis*, id est, ad ipsos gentiles. *Et in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues* ad Iudæos siue Israëlitas *quæ perierunt domus Israel*, qui propter defectum operariorum, per peccata damnationi æternæ obnoxij facti sunt. Notanda hic est inscrutabilis consilij Dei altitudo, qui gratiam suam gentibus propalari noluit, sed tantum Iudæis, cùm tamẽ nunc

nunc Iudæis relictis se ad nos gentiles conuerterit. Cuius causam Paulus & Barnabas assignant inquientes, vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitę, ecce conuertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus. *Euntes autē prædicate* pœnitentiam addit Marcus. Prædicauerunt Apostoli idem quod Christus. *Infirmos curate*, atque vt prædicatio vestra non cōtemnatur propter vestram humilitatem, & vilitatem do vobis potestatem faciendi miracula, *mortuos suscitate*. Quæritur an ante Christi mortem mortuos aliquos suscitauerint? Respondeo nullam historiam (quod equidē sciam) hoc tradere, nec tamē propterea aliquod inconueniēs est, hoc dicere, quia verba sunt potestatem dantis, & ea vti quando opportunū erit mandantis. Præterea in hisce præceptis saluator nō tantum ad illam prædicationem respicit ab Apostolis ante mortem suam factam, quin potius ad eam quę post spiritus sancti missionem facta est, vt ex his sequentibus verbis clarum euadit, tradent enim vos in consilijs, & synagogis suis flagellabunt vos & ad præsides & ad reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus. Post Christi autem ascensionem plurimos Apostoli suscitauēre mortuos. *Dæmones eijcite* hoc etiam fecerunt Apostoli teste Marco ante mortē Christi *gratis accepistis*, Ego hanc potestatem ex gratia & liberalitate mea vobis, sine meritis vestris contuli, quapropter interdico ne aliquo pretio eius vsum vendatis, sed *gratis date* gratis alijs impendite vt potestatis vsus suæ origini, id est, gratiæ ipsi minimè repugnet. Simonia enim peccatū est non solū quia ea quæ vēduntur pretio æstimari non possunt, qualia sunt, Baptismus, Eucharistia &c. Verumetiā quia eorū vēditio origini seu gratiæ ipsi repugnat, quandoquidē

Margin notes: Act. 13. — Mar. 6. — Act. 9. & 10. — Mar. 6.

omnia ſpiritualia gratis donata ſunt.

Nolite poßidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis ueſtris. Quando ad prædicãdum accingimini, non eſt opus vt vobiſcum aurum, aut argentũ, aut pecuniã comportetis, quoniam ſicut operarius iuſtè ſtipendium, & ſuſtentationẽ ſuam ab illo pro quo operatur exigit, neq; pro cibo, & potu anxius eſt, ita etiã & vobis dũ prædicatis omnia neceſſaria ab ijs quibus prædicatis debẽtur: iure ergo de euãgelio veſtro viuere poteſtis. Secundũ hunc ſenſum verba iſta nõ ſunt prohibentis, ſed poteſtatem dãtis, cuius meminit Paulus dicẽs: Nũquid nõ habemus poteſtatẽ manducandi & bibendi? &, Quis militat ſuis ſtipendijs vnquã? Rurſum, ſed nõ vſi ſumus hac poteſtate. Deinde, ita & Dominus ordinauit ijs, qui euangeliũ annunciant, de euangelio viuere. Vide Aug. de conſen. euang. *Neq; duas tunicas* vnã videlicet qua induimini, alterã verò qua priore detrita vtamini. *Neq; calceamẽta* ſcilicet duplicia quorũ vnũ indutũ habeatis alterũ verò hoc detrito induẽdũ. vel aliter ocreas nõ habeatis quibus in profectionibus veſtris vtamini. In Paleſtina ſiquidẽ calceis feneſtratis, ſuperius pedẽ nõ tegentibus propter calorẽ vtebãtur, vnde pauperes quoniam plura calceamẽta nõ habebãt, nec habere poterant in profectionibus ſuis vtebantur ijſdẽ, diuites autẽ melioribus, & vndiquaq; pedes munientibus. *Neq; uirgã*, id eſt, res minimas nõ gladiũ, haſtã, lanceã, aut ſimile aliquod protectionis inſtrumentũ. Quidam hęc pręceptiuè Apoſt. dicta accipiũt, verũ ſi ita illis dicta ſunt, intelligendũ eſt tãtũ eos ad hoc ſaluatorẽ in prima prædicatione obligaſſe, conſtat enĩ eos poſtea in zonis pecuniã habuiſſe, quinimo ipſe Chriſtus loculos habuit, & Paulus pecunijs laboribus ſuis cõquiſitis ſe ſuſtẽtauit. Iſta autẽ eis ſaluator tribus de cauſis præcipere potuit. Primò, vt Iudæi mani-

1. Cor. 9

Cap. 3.

manifestè conuincerentur, & negare non possent Christũ, & Apostolos terrena lucra minimè quærere. Secundo, vt ipsi iã prædicare incipientes nulla terrenarum rerum à verbi Dei contemplatione impedirentur solicitudine. Tertio, vt assuescerent iactare cogitatum suum in Dominum, atque habitare in adiutorio altissimi, & in protectione illius commorari, ac in omnibus ab eius prouidentia dependere. *In quãcunq; autẽ ciuitatẽ aut castellũ intraueritis interrogate quis in ea dignus sit* inquirite cuius domũ ingressu vestro honorare poteritis: nã qui vos hospitio excepturus est, potius beneficium accipiet quam pręstabit. Iudiciũ autẽ vulgi hac in re sequemini, & quemcunq; ille dignum iudicauerit ad eũ introite ne per eum hospitem qui iudicio vulgi infamis est, prædicatio vestra infametur, vel, extemplò hospitium mutare cogamini. *Et ibi* in domo eius, qui iudicio vulgi dignus habitus est *maneatis* nõ discurrentes de vna domo, in aliam, ne instabiles, & vagi habeamini. *Donec exeatis* vsquequo prædicationẽ vestrã consummaueritis ciuitatẽ aut pagũ illum non egrediamini. *Intrantes autẽ domũ salutate eã dicens: Pax huic Domui.* Quando domũ intratis dicite, pax euangelica, & regnũ cœleste sit habitantibus in hac domo. *Et siquidẽ fuerit domus digna* si ibi aliquis fuerit, non per aliqua merita, sed per Dei electionem, & prædestinationem, *veniet pax uestra super eam* permanebit pax vestra quam vos prædicantes optastis eis: quia verè pace dignus est quem rex voluerit honorare. *Si autem non fuerit digna, pax uestra reuertetur ad uos*, non peribit, at eam vos tanquã mercedem pro vestra pia petitione, & oratione recipietis, quasi in domo illa fructum fecisset. *Et quicunq; nõ receperit uos, neq; audierit sermones uestros, exeuntes foras de domo, uel ciuitate, excutite puluerẽ de pedibus uestris.* Ad declarandũ vos nihil velle cõmune habe-

re cum illis: existentibus enim in eodem loco, quędam videntur esse communia. Vel in testimoniū illis, quod videlicet ingressi estis ciuitatē illorū, & quod prædicatio Euangelica ad eos peruenerit, vt ipsi inexcusabiles omnino habeantur: vel vt ostendatis vos nihil ab ijs qui Euangelium spreuerunt quæsijsse, nec propter terrena Euangeliū Dei prædicasse. *Amen dico uobis, tolerabilius erit terrę Sodomorum, & Gomorrhæorum.* Minus his & mitius punientur Sodomitæ, & Gomorrhæi (qui tamen homines abominabiles sunt.) *In die iudicij* vniuersalis & extremi, quam contemptores Euangelij, quales sunt hæretici, & quicunque malè viuentes per doctrinam, & exhortationem piorum reformari non solū nolunt, verumetiā alios à benefaciendo retrahūt. Ex hoc loco discimus fatuam esse Scotorum opinionem asserentium omnia peccata esse paria, item in inferno non esse varia tormentorum & suppliciorum genera. *Ecce ego mitto uos.* Stupenda vobis prædico vt me omnia præscire intelligatis magnamq́ue virtutem meam cognoscatis, atque vt venturis malis tanquam non præuisis minimè conturbemini. Ego igitur vos mea propria authoritate mitto ad prædicandum euangeliū meū *sicut oues in medio luporum*, siquidem non ignoro vos à persecutoribus Euāgelij passuros qualia oues inter lupos constitutæ: & præsertim à Iudæis, qui tradent vos in Concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos. His tamen non obstantibus effectū suum & finem missio mea sortietur. *Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Cauete ne decipiamini, serpentinam assumite prudentiam. Serpens namque ab incantatore se conueniri nequaquam patitur, & in angustijs constitutus, caput suum ab omnibus nociuis tuetur, & illæsum conseruat: sic vos caput vestrum, id est, religionem, ac fidem puram, & integram

Gene. 13. 19

tegram reseruate. Vel primis parentibus lignum mortis laudauit, ita & vos vitæ, & crucis Christi lignum hominibus commendata. *Et simplices sicut columbæ.* Estote sine omni fraude doloq́ꝫ, hoc est, ficuti decipi non vultis, ita neminem decipiatis, nec vindictam expetatis. *Cauete autem ab hominibus* q. d. Quod dixi vobis de lupis non putetis de ipsis bestijs dictum, & quod de prudentia serpentina dixi non arbitremini quod de prudentia noxias bestias deuitandi, at de hominibus locutus sum. *Tradent enim uos in consilijs*, ipsi Iudæi prohibebunt vobis, ne in nomine meo prędicetis, *& in synagogis suis*, vbi lex Domini docetur, & oratur Deus, per quod videtur intelligere de Iudæis. Gentes enim synagogas non habent, *flagellabunt uos* putantes se obsequium præstare Deo. *Et ad præsides, & reges ducemini propter me*, quem prædicabitis. *In testimonium illis & gentibus*, vt hoc modo feratis Iudæis testimonium de me, & similiter gentibus, vel, vt ipsi nullam habeant excusationem in iudicio. Atque hæc non euangelium vestrum extinguent, sed magis clarificabunt: quãto enim plura passi sunt Apostoli, & quanto plures & maiores opposuerunt se Euangelio, tãto clarius innotuit Euangelium Iudæis & gentibus. Ex hoc loco sumptum arbitror nomẽ martyris: vnde qui pro Christo mortui sunt, vt martyres omnes testes vocati sunt. Item hîc manifestẽ patet istum sermonem Saluatoris non solum Apostolorum prædicationem, quæ ante Christi mortem facta est respicere, verumetiam illam quæ post Christi ascensionem contigit· non enim ante Christi mortem ad reges in testimonium gentibus ducti fuêre: dictum enim fuerat illis in viam gentium ne abieris.

Cum autem tradent uos nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini ne soliciti sitis, de defensione & purgatione causæ vestræ, quomodo ea instituenda sit, quid & quam

& quam disertè dicturi. *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Tunc enim vobis & eloquentia & sapientia diuinitus suppeditabitur. *Non estis enim uos qui loquimini* authores scilicet eloquentię & scientiæ quas tunc habituri estis, *sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis*, id est per vos, quandocunq; expedire iudicat. De huius promissionis impletione in Paulo, Petro, Stephano & cæteris martyribus abundè constat ex varijs Actorum locis. Non hic scripturarum dogmatum fidei studium prohibetur, sed tantummodo diffidentiæ solicitudo, & anxietas, qua quis argumentis impiorum existimat se respõdere non posse, aut quasi Deus non sit seruis suis affuturus, dum de his quæ ad fidem pertinent interrogãtur. Non autem dixit, pater meus dabit vobis vel ego qui loquor in vobis licet hoc potuisset, quoniã ista dona quaquã oĩbus personis tribuãtur, peculiariter tamen spiritui sancto appropriantur.

Tradet autem frater fratrem in mortem, id est, infidelis fidelem, nulla enim inter homines diuersæ religionis esse potest concordia, nam illa omnem cõiunctionem dissipat, atque omnem amicitiam soluit. *Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum* impijs scilicet, qui sunt maxima pars hominum.
Gen.22.26 Scriptura enim sacra sæpe de vna hominũ vel pio-
Philip.2 rum, vel impiorum parte quasi de toto genere lo-
1.Cor.14 quitur vt de prædestinatis: Benedicentur in semine tuo omnes gentes, de impijs verò, Omnes quæ
Ierem.26. sua sunt quærunt. Nemo sermonem eius audit. Itẽ congregatus est omnis populus, impius scilicet: & innumeris alijs locis. De hoc loquendi modo tractat Prosper lib.1. de vocat. gent. cap.3. *Propter nomen meum*, quod scilicet prædicatis & confitemini. Istud ad eorum consolationem dicit qnemadmodum & illud quod sequitur, *Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit*, id est, qui in confessione no-

ne nominis mei, & præceptis meis, vſque ad huius vitæ extremum ambulauerit ab ira ventura, & morte æterna liberabitur.

Cum autem perſequentur uos in ciuitate fugite in aliam. Vt autem anxij non ſitis quid facere debeatis, etiã in maxima perſecutione *Amen dico uobis* hoc aſſero vobis quod *non conſummabitis* circumueniendo ad prædicandum *ciuitates Iſrael*, id eſt, populi Iudaici *donec veniat filius hominis* antequam ego veniam, & vos ad me in regnum cœlorum aſſumam. Vel non conuertetis ad fidem omnes ciuitates Iudææ, quin ſecundus meus ad iudicium aduentus imminebit, nam in fine ſęculi omnis Iſrael demum conuertetur ad Deum. Vel tertio, donec veniat filius hominis, ad deſtruendam Iudæam videlicet, & vos in gentium diſperſionem mittendos: quod contigit poſt quadraginta annos, tempore Veſpaſiani, & Titi, qui totam Iudæam deleuerunt. Non poteſt autem hoc modo hæc pars intelligi, donec filius hominis veniat, id eſt, à morte reſurgat, nam Apoſtolos multi ſunt ſic perſequuti ante mortem Chriſti, vt de vna ciuitate in aliam fugere deberent.

Sed quærat aliquis an aliquandò paſtori fugere, & gregem ſuum relinquere, item an alijs ſacerdotibus fugere liceat. Reſpondeo ſi per fugam populo Chriſti neceſſarium verbi Dei miniſterium & ſacramentorũ diſpenſatio ſubtraheretur fugere minimè liceret, etenĩ in eos quadraret quod dicit Saluator: Mercenarius autẽ & qui non eſt paſtor videt lupũ veniẽtẽ & fugit. At tũc implere tenẽtur quod requirit Ioãnes dicens: Et nos debemus pro fratribus animas ponere. Secundo fugere non licet quãdo ex hac fuga populus exiſtimaret quod ſcandalũ aliquod orireturt, ac crederetur paſtor pro tẽporali lucro potius, quam Dei honore deſeruiſſe. *Ioan.10.* *1.Ioan.3.*

Si quis

epist.180. Si quis tamen specialiter à persequutoribus quæratur,& multi alij ministri, qui plæbi ministrare possint non defuerint, fuga sibi consulere potest, quemadmodum vtiliter,& rectè in Arrianorum persequutione sibi fuga cõsuluit Athanasius. Si verè omnes & soli clerici à persequutoribus quærantur tunc non omnes fugere possunt, sed à Laicis fidelibus occultari debent, ne fideli populo necessarium sacramentorum desit ministerium. Si verò periculum sit ne Laicis illis, qui post cladem relinquendi sunt, desint pastores, licitè tunc fugere poterunt, ita tamen vt sorte eligãtur qui populo admi nistraturi sunt. Non enim spontè sibi fugam eligere possunt, ne hoc timore, non Euangelij,& fructus populi amore facere videantur, nec tales velle debent in periculo permanere, ne videantur sibi præ alijs maiorẽ arrogare fortitudinẽ: nec infirmi etiã eo casu fugam eligere debent, ne magis vtiles occidantur, nec tamen velle permanere debẽt, ne similiter de fortitudine sua præsumere videantur. At sorte res dirimenda erit, quæ fortasse infirmis vult parcere,& vtiliores coronare. Cæterùm priusquã ad illam sortem deueniatur, infirmiores & inutiliores debent rogare fortiores,& populo vtiliores vt fuga sibi consulant, atque declarare se nullatenus de proprijs viribus præsumere: fortiores autẽ vitam suam offerre debent, ne eam minus amare videantur. Si tamẽ infirmi id petere persistant, at fortiores fugere poterunt, quemadmodum Dauid

1. Reg.18 rogatus prælio & certamini se subduxit. Quod si firmiores acquiescere nolint tum demùm ad dictam sortem veniendum est. Latè hæc prosequitur Au-

epist.180. gust. epist. ad Honoratum.

Si patrem-familias Beelzebub uocauerunt. Si Iudæi me Ecclesiæ patrem-familias, qui tam sanctè inter eos conuersatus sum nomine spurcissimi dæmonis

Beel-

Beelzebub vocauerunt, dicentes me obſeſſum à principe dæmoniorum : *quanto magis domeſticos eius*, vos diſcipulos meos adhuc imperfectos, hoc vel ſimili nomine vocabunt, *ne ergo timueritis eos*, ſed æquanimiter ſufferte ne patri Domino & magiſtro veſtro diſsimiles ſitis. De Beelzebub Auguſtinus in quæſtionibus ſuper libros Iudicum habet. Quæſt 16
Item Hieronymus in Oſeæ prophetam dicit idem In cap.2
eſſe quod Bel apud Babylonios, qui fuit pater Nini qui Niniuem condidit, & à filio inter Deos eſt relatus. Iſa.46
Scripturæ verò videntur nomine Beel, ſiue Baal, quoduis idolum ſignificare, vt Beelzebub, Beelphogor. Quando autem ſolum ipſum (Bel) ponitur idolum Sidomorum, quod induxit impijſsima Ieſebel maximè ſignificare videtur. Zebub verò muſcam : & hoc nomine propriè vocatus eſt 4.Reg.1
Deus Accaron. Vocatus eſt autem ſic dæmon ille à ſpurcitia, quẽadmodum enim omnia muſcę conſpurcant, & immundæ ſunt, ita valdè immundum erat idolum illud. Poſtmodum verò nomẽ ad deſignandum principem dæmonum tranſlatum eſt. Verum quæritur vbi Iudæi Chriſtum Beelzebub vocauerint? Reſpondeo expreſsè nuſquam, ſed fortè pro eodem habuit quod eum ab illo poſſeſ- Ioan.8.
ſum his verbis dixerunt. Nónne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu & dæmonium habes.

Nihil enim opertum eſt quod non reuelabitur, & occultũ quod non ſcietur. non eſt quod eos metuatis quia virtus veſtra, & eorum nequitia, & calumnia in die Iudicij aperta erit, vel non metuatis eos, quia quãtumcunq; vos perſequantur nihilominus omnia occulta myſteria per vos prodenda ſunt, & aperienda, nec illa vos perſequutio impédiet quo minus doctrinam euangelicam clarè doceatis. Vel, tertio. Poſſunt quidẽ corpus occidere, ſed nolite metuere quia amplius vobis facere non poſſunt. Huic expoſitio-

Luc.12. ſitioni optimè quadrāt verba Lucæ:Dico aūt vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habēt amplius quid faciāt. *Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt*, Hieronymus in Epiſtola contra errores Ioannis Hieroſolymitani, fruſtra inquit,numerati, ſi aliquando perituri.Quod ſatis explicat Lucas dicens, non peribit capillus de capite veſtro. At in commentarijs huius loci dicere videtur, non omnes capillos eſſe conſeruandos. Sed aduertendum eſt eum de ijs capillis loqui qui quotidie deciduntur,& ad ornamētum nihil faciūt. Dictum autem Domini de ijs intelligendum eſt, qui ad ornamentum conducunt, ita vt hîc ſignificetur nihil corpori poſt reſurrectionem defuturum, quod ad eius integritatem, atq; decorem faciat. Similí modo D. Auguſtinus de ciuitate Dei, & in Enchiridio putant totum quod dilapſum eſt ab humano corpore, ab vnguibus,& capillis, ad corpus rediturum, tametſi non ad eandem partem. Sed obſtare videtur illud Iob: Quem oculi mei conſpecturi ſunt & non alius: vbi loqui videtur de oculis & carne quam tunc gerebat: par autem ratio de alijs membris relinquitur. Itē Ezechiel ait vnumquodq; os acceſsiſſe ad iuncturam ſuam. Vnde apparet vnumquodq; membrum ad locum quem in corpore in hac vita habuit,rediturum, & quemadmodum in Chriſto completa eſt reſurrectio, ita in ſanctis complenda videtur: at omnes partes in eo manſerunt ſicut in vita fuerant,& capilli indecentes ipſi additi non videntur: præſtat autem reſurrectio ipſius, quod præſtitiſſet immortalitas ſi nemo peccaſſet: ſed ibi vnum mēbrum in aliud tranſlatum non fuiſſet,ergo nec nūc hoc futurū videtur, niſi in his in quibus materia à natura ad generationem alicuius membri ordinata,propter aliquod accidens alterius membri facta eſt

Margin notes: Tom.2. — Luc.21. — Lib.22. de ciu.dei c.14 — Enc.ca.88 & 89 — Iob.19. — Ezech.37

est materia. Videntur certè multi crines mali & vngues pedum & manuum modo in homine esse qui in primo statu minimè fuissent, vt pote ex materia corpus grauante orti: vnde apparet talia per resurrectionem nequaquam fore reparanda.

Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus: Quicūque me tanquam Dominum, & magistrum suum hominibus doctrinā meam extinguere volentibus profitebitur, *confitebor & ego eum* tanquam discipulum, & filium *coram patre meo qui in cœlis est* perpetuo in societate mea futurum. *Qui autem negauerit me* esse magistrum & dominum suum, siue aliquam doctrinæ meæ partem, *coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo* eum non recipiam inter discipulos meos. Ex hoc loco sumptum videtur nomen (Confessor) Propriè enim cōfessores dicuntur qui tyrannorum tormentis cruciati libere Christum confitentur, atque à tyrannis non ad extremum supplicium adacti dimittuntur: qui verò non dimittūtur, at mortis supplicio afficiuntur martyres nuncupantur. Grauissimum scelus est & maxima blasphemia Christum, aut doctrinam eius pœnarū temporalium timore negare nec aliquo casu licitū, quanquam subinde veritas taceri potest, quod quādo liceat, & quando non, tractat Thomas. Certum *secunda secundæ quæ. art 2.* est autē quod quandocunq; aliqui ad fidei destructionem moliuntur, & aliquem interrogant an sit fidelis seu catholicus confiteri teneatur, nam tūc si taceret, interrogati taciturnitas, eius esset abnegatio.

Nolite arbitrari quia pacē ueni mittere in terram. Hactenus generaliter de persequutionibus egit, nunc verò specialius ad eas quæ ab amicis fiunt descendit, prædicitq; discipulos suos ab amicis suis & propinquis (quod horrendū est) plurima perpessuros. *Non ueni pacem mittere* carnalem scilicet qualem habent

beat homines terrena diligentes quæ non pax,ſed potius conſpiratio eſt nuncupanda, *sed gladium* mutuam diſſenſionem, & perſequutionem etiam per gladium,inquantum veni ad quoſdam conuertendos ad iuſtitiam, alijs in ſua impietate relictis, qui

Michæ.7 meo permiſſu iuſtos perſequētur. *Et inimici hominis domeſtici eius* ita vt Patriſamilias ſubiecti, ſint ipſi hoſtes & inimici. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me.* Qui autem propter patrem,aut matrem,doctrinam meam non ſequitur, vel præcepta mea non amplectitur, *Non eſt me dign⁹*,id eſt eū inter meos nō agnoſco: quia me abnegat propter affectum parentum. *Et qui non accipit cru.em ſuam* qui patienter mala illata non fert vel proprias concupiſcentias (quantumuis hoc moleſtum ſit) mortificare nō conatur. *Et ſequitur me* et ita me non imitatur qui ignominioſam,& probroſam crucem portaturus ſum in qua totius corporis mei myſtici typum geram, *Non eſt me dignus.* Mecum regnum non obtinebit. Subindicat hic Christus ſe mortem crucis paſſurum alludens ad crucem quam baiulaturus erat. Eleganter Apoſt. Paulus declarat, quid ſit accipere crucē ſuā:

Galat.5 Qui(inquit)ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerūt cum vitijs,& concupiſcentijs. Hæc duo crux dicuntur,quia ſicuti in cruce duo ſunt,ignominia,& horribilis pœna, ſic mortificans hîc carnales ſuas affectiones apud huius ſæculi homines, primò ignominioſus eſt,ſecundò verò ab ijs multa patitur. *Qui inuenit animam ſuam*,id eſt vitam,quæ abſente anima eſſe non poteſt,quaſi dicat,qui non mortificat hîc vitam ſuam ſed ei,eiusq́; concupiſcētijs obſequitur. *Perdet illam* in perpetuum punietur, *& qui perdiderit animam ſuam propter me*, qui occiſus fuerit, vel etiam concupiſcentias, vt mihi ſeruiat mortificauerit, *inueniet eam* habebit vitam æternam. Hæ promiſsiones ſunt,pro quibus ſanctos oramus vt

pro

pro nobis intercedant, vt digni efficiamur promissionibus Christi. Postquam verò multa mala suis discipulis ab omni hominũ genere imminere prędixit, eos nunc per magnifica dona consolatur, quę promittit eis qui discipulorum fautores futuri sunt dicens: *Qui recipit uos me recipit*, qui vobis in necessitatibus vestris subuenit, tam gratum mihi opus pręstat, quã si mihi subueniret, *& qui me recipit recipit eum qui me misit*, id est, tam gratum Deo patri beneficium & obsequium præstat quam si meipsum & Deum patrem reciperet. Non tamen propriè talis Christum in persona recipit, quoniam de receptione ad hospitium carnale loquitur, quo Christus amplius non eget, deinde Deus pater hospitio recipi non potest. Item non sumitur in venerabili sacramento Eucharistiæ corporaliter nisi Deus filius, non Deus pater, aut spiritussanctus, tãetsi dignè communiantes totam trinitatem in mẽte recipiant. *Qui recipit prophetam*, id est, concionatorem, seu verbi Dei annunciatorem, *in nomine prophetiæ*, hac ratione tantum quia propheta est non propter aliquod temporale commodum. *Mercedem prophetæ accipiet* qualem ipse propheta habebit, quia subueniendo prophetæ, prædicationi illius cooperatus est. *Et qui recipit iustum* virum insigniter sanctum, licet propheta non sit, *mercedem iusti accipiet*, qualem ipse habebit. *Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli*. Atque vt nulla sit excusatiò, per quam eleemosyna subtrahatur, facillimam pono eleemosynam, calicem scilicet aquæ frigidæ rem vilissimam, quã qui vni ex minimis istis non prophetis, aut insigniter iustis, sed tantum in Christum credentibus, id est, ea ratione quia est discipulus meus. *Amen dico uobis non perdet mercedem suam*, bonam & inæstimabilem mercedẽ accipiet. Vel vt Marcus ait: Quis-

Marc.9. quisquis potum dederit vobis calicē aquæ in nomine meo &c. Merces autem eo modo promitti intelligenda est, quo superius, si videlicet aliunde non impediatur, non enim impijs eleemosynam propter Christum facientibus promittit salutē, sed ijs qui per infidelitatem aut malam conuersationē mercedi obicem non ponunt, vt Aug. lib. 4. de cōsensu Euangelistarum cap. 6.

IN CAPVT VNDECIMVM.

ET *factum est.* Mos iste loquendi Hebræis admodum familiaris est. *Cum consummasset Iesus præcipiens duodecim discipulis suis.* Postquam hęc omnia supradicta discipulis suis præindicasset & ordinasset. Non enim verbo (præcipere) mandata ad salutem obseruatu necessaria sunt intelligēda, nā frequenter mādatū, seu pręceptum pro ordina-

Psal.104. tione ponitur quemadmodū hîc: Dauid mandauit

Cap.19 testamentum suū, id est, ordinauit, & infra: Quid ergo Moyses mandauit dari libellū repudij & dimittere, id est, ordinauit, & permisit. *Transiit inde ut doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum* Iudæorū scilicet, vbi Apostoli prædicabant. Quemadmodū enim in Iudæa Ioannes præcursor Christi fuit ita apostoli 12. & 72. discipuli in hisce ciuitatibus Chri-

Luc.10. sti præcursores fuēre. *Ioā. aūt* baptista *cū audisset* ā di-

Math.7 scipulis inuidiæ zelo Christū prosequentibus, dice-

Math.9 bant enim Christo: Quare discipuli tui nō ieiunāt?

Math.3. Itē Ioanni: Rabbi qui erat tecū trans iordanē cui tu testimoniū perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eū. *In uinculis* carcere Herodis detentus. *Opera Christi* miracula quæ eū Messiam verum, ac promissum ostendebāt. Non dixit (opera Iesu) quia adhuc de operibus illis agitur quæ ostendebāt eū esse Christū, & ad hoc inducitur ista historia, vt ex

his operibus ostēdatur, & credatur verus esse Messias. *Mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus*, es tu ille inter omnes prophetas excellētissimus, quem prophetæ ad saluandum genus humanum venturū dixerunt, an verò alius expectandus sit? In (venturus) Antonomasia est, significatur enim inter venturos excellentissimus. Item (es) pro erat accipitur, quemadmodū & hoc eodem capite, Ipse est Elias qui venturus est, id est, qui venturus erat. Hæc autem quæstio nullo modo ex 40. annis dubitatione orta est, quippe qui ex diuina reuelatione Christum sciebat esse agnum qui tollit peccata mundi, & Deum verū. Nec existimandum est eū vllo modo per carcerem mutatum, ita nimirum, vt ex fideli infidelis fieret, huius namq; rei Christus omnem tollit suspicionem dicens, eum non esse arundinem vento agitatā, id est, vinculis à fide remotam: quinimo ipse morte iam imminente discipulos suos adhuc carnales, & erga Christū malè affectos persuasos esse cupiuit, quod Iesus verus Messias esset. Quocirca personam suorum discipulorum gerens eos ad Christū mittit instruenendos. *Et respondens Iesus ait illis, euntes renunciate Ioanni quæ audistis & uidistis, cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Quæ nimirum Esaias venturi Messiæ signa descripsit, *& beatus est qui non fuerit scandalizatus in me*, qui meæ humanitatis fragilitatem cernens, me non negabit, quoniam sicut cæteri cibo, potu egeo, iniurias, conuitia, atque cōtumelias tanquam Deus non essem patior, & tandem tanquam vilissimus & publicus peccator crucis patibulo suffigar.

Ioan. 1.

Cap. 35.

Illis autem abeuntibus. Ne Ioāni adulari videretur discipulos eius dimisit antequā ipsius prçconiū turbæ proferret, & tūc *cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioāne*

ne videlicet ex discipulorum quæstione æstimarent Ioannem nunc in dubium vocare, id quod ante de Iesu asseuerauerat dicens. Qui autem post me venturus est fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. Et ne putarent illud, beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me, à Christo dictum ad notandum, & reprehendendum Ioannem dixit. *Quid existis in desertum uidere?* quando admodū studiosè, cum maxima multitudine relicta ciuitate, & dominibus vestris in desertum concurrebatis, quid erat quod vos illo trahebat, & alliciebat. *Arundinem uento agitatam?* an trahebat vos leuis, & inconstans homo, qui instar arundinis, nunc in hanc nunc in illam sententiam aduersitatis, vel prosperitatis vento propellitur? quasi dicat, certum est vos, vt talem hominem conspiceretis in desertum non exijsse, quapropter existimare nequaquam debetis Ioannem propter vincula, in quæ nunc coniectus est, ac detinetur, priorem quam de me habuit existimationem mutasse, atque ideo quū audiuistis à discipulis eius hanc quæstionē mihi proponi existimare non debetis ipsum de me dubitasse, verum id fecisse, vt eos in ea fide, quam de me habet, confirmaret. *Sed quid existis uidere hominem mollibus uestitum.* Delitijs vestium fotum, ideoq; nunc sententiam suam in gratiam regis Herodis, eiq; similium variantem ne consuetis delitijs priuetur. Hoc enim solent illi facere, *qui in domibus regum sunt*, id est, in palatijs mollium & diuitum educati, qui nihil aliud quam delitijs, & vestium fragrantiam quærunt. *Sed quid existis uidere? prophetam? etiam dico uobis & plusquam prophetam*, quoniā ipse Propheta est, & propheta quolibet excellentior, etenim nō prædixit saluatorem venturū, at quod nulli præcones fecêre digito præsentem demonstrauit, propriáque manu in Iordane baptizauit. *Hic est enim de quo*

scriptum est. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuā qui præparabit uiam tuam ante te. Vnde patet eũ plus esse quam prophetam, qui est omnium prophetarum nouissimus, de quo à propheta, dictum est, Ecce ego &c. Id est, ego Deus pater nouũ aliquid & admirabile faciã, mittã enim tibi, fili mi, ante faciẽ seu aduentum tuum præclarũ quendam nuncium (vt in Angeli voce anthonomasia sit) tibi propinquissimum, nec longo temporis interuallo cęterorum prophetarum more præcedentem, qui singulari modo præ alijs prophetis, pœnitentiam & regnum cœlorum prædicando pœnitentes baptizãdo & te præsentem demonstrãdo, viam, id est, tibi præparabit corda hominum vt in illis ambulare, & habitare possis. Vię enim Christi animæ hominum sunt, per quas verbum procedere oportebat. Hinc ergo patet eum qui prophetarum est nouissimus, esse plusquam prophetam. Vaticinium istud Malachiæ tres primæ Euangelistæ non quidem secundum translationem septuaginta, nec secundum textum Hebræum ad literam, sed secũdum sensum allegant: nam apud Malachiam, vt & Hierony. annotat, inducitur, filius ipse loqui, Euangelistæ verò Deum patrem loquentem faciunt, nisi per faciẽ Deum intelligamus, qui ab Esaia brachium Dei patris etiam dicitur: pater enim per filium cognoscitur, sicuti homo per faciem suam. Si ergo sic intelligatur facies, etiam propheta patrem loquẽtem inducet. Et secundum Hieronymum in sequentibus loquitur Christus de se in tertia persona vt hîc, filius non habet vbi caput suum reclinet. Vterque autem sensus probatus est. Et in cantico Diuæ virginis per brachium filius Dei intelligitur, nam ibidem dicitur quod Deus per filium suum mirabilia sit operatus. Agit hîc ergo Christus de magnitudine Ioannis, quemadmodum Euthymius in

Malach. 4.

In cõment. super Malach. 3.

Esa. 53.

Luc. 1.

hunc locum eleganter explanat.

Amen dico uobis non surrexit inter natos mulierum inter filios ex coniunxtione viri cum muliere natos, *maior Ioanne baptista* dignitate, aut sanctitate. Nomine (mulieris) hic corruptio intelligitur: alioquin Maria non excluderetur, ac proinde Ioannes esset etiam Christo Mariæ filio maior. Nec etiã dicitur hic quod maior fuerit omnib⁹ retro prophetis, sed tantum quod nemo eo maior fuerit, quod æquales minimè excludit. *Qui autẽ minor est in regno cœlorũ* id est, minimus angelorũ, *maior est illo*, quia faciẽ patris in cœlo intuetur, & securus est se nunquam à Deo separandum: longè ergo excellentioris sanctitatis est Ioanne Baptista, quippe qui adhuc corpus corruptibile, & animã aggrauans gestat, ac subinde peccat: nondũ enim in iustitia ita confirmatus est, vt à Deo separari nequeat. Hunc sensum dant Cyrillus in libris thesauri, Hieron. & August. cont. aduersarium legis & prophetarum. Aliam interpretationem asſignant alij, hanc videlicet, Ego Christus qui ętate Ioãne baptista iunior sum (sex enim menses ante me natus est) longè maior sum in regno cœlorũ, id est, in Ecclesia. Vnde Euthimius, minorẽ, inquit, seipsum dicit, quod ita videretur apud Iudæos, nam Ioannem eo maiorem habebãt: vtpote qui ab infantia in eremum secesserat, ac admirabili austeroq; vitę instituto vsus fuerat. Christum verò communi modo conuersantem deijciebant.

Lib.21.c.4
In coment. lib.2.ca.5

A diebus autem Ioannis baptistæ quibus prædicare cœpit, non autem à diebus natiuitatis, *Regnum cœlorum uim patitur*, etenim magna violentia illud homines occupare conantur, dum pœnitentiam veram, per quam ad illud pertingitur agunt & magnam vim sibi contra propriam concupiscentiam certantes inferunt, vt rem supra modum arduam conse-

consequantur: & sic sensus parabolicus est. Neque hæc vis ex multitudine oppugnantium est intelligenda, sed ex singulorum affectu & feruore: vnde apud Lucam dicitur. Et quilibet in illud vim facit. Et ne quis fortè dicat, à multis quidem regnum Dei oppugnari, at à nullis expugnari, addit, *& uiolenti rapiunt illud*, non solùm regnum oppugnant verumetiam per violentiam obtenta victoria pacificè possident. Quisque hîc aduertat, ac serio cogitet, vtrum sufficientem ad regni illius expugnationem vim sibi inferat, non enim segnes, sed violenti rapiunt illud. Luc. 5.

Omnes enim prophetæ & lex usque ad Ioannem prophetauerunt saluatorem nimirum manifestandum. Et hinc fit, vt post Ioannis demùm prædicationem regnum Dei vim patiatur, & violenti rapiant illud: quoniam omnes Prophetæ veteris Testamēti, & lex tam cæremonialis, quàm moralis vsque ad prædicationem Ioannis, saluatorem manifestandum tantum prophetauerunt, verum exhibita eius manifestatione cessauit futuræ manifestationis prædicatio & manifestata est Saluatoris agnitio quæ causa est cur regnum cœlorum vim patiatur. Per prophetas omnes, intelliguntur scriptores omnes, exceptis ijs qui Pentateuchum scripsêre, quos per legē intelligimus. Atq; omnes isti vel verbis apertis, vt Esaias, Ieremias, & Dauid, vel obscuris, vel denique rebus gestis, & actionibus propheticis vt Iosue, & Helisæus aduētus Christi mysterium prænunciauerunt. Etenim Iosue Christū nostri redemptorem: Helisæus verò, quando super puerum incubuit, & os suum ori eius, cæterisque eius membris sua membra applicuit, Christū carnem nostram assumpturum pręfigurabat. Quod autem Esaias nudus incessit ex præcepto Domini significabat Christum in passione nudandum. 4. Reg. 4 Esa. 10.

Mich.1. Simile quid facturum se Michæas dixit, Vadã inquit, spoliatus, & nudus &c. Eiusdem rei typus fiat
Genes.9 quod Noë etiam nudus iacuit. Lex verò cæremonialis apertè significauit Christi aduentũ, passionem, & resurrectionem, quemadmodum Paulus epist. ad Hebræos passim exponit & Augustin.
Lib.19. contra Faustum. Lex autem moralis hactenus dicitur prophetasse Christum, quia præuaricatores peccatum augendo in fidem venturi Christi conclusit. Et hoc ipso quo iubebat, & minabatur nemi nem tamen iustificabat, at magis impium reddebat, satis significauit alium expectandum cuius auxilio, homo qui per infirmitatem legem violabat,
Rom.3 per sanitatem impleret: quod clarè docet Apostol. Paulus: Scimus (inquit) quoniam quæcunque lex loquitur, ijs qui in lege sunt loquitur, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati, nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege, & prophetis: iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui
Cap.9 credunt in eum. Vide Augustinum de spiritu & litera. Et contra Faustum lib.19. cap.8.

Act.11. Quæritur anne fuerint prophetę post Ioannem? Respondeo fuisse vt patet ex Actis Apostolorũ de
Cap.13. Agabo. Item de Iuda & Sila, item ex epistola ad E-
Cap.15. phesios. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos
Cap.4 quosdam verò Prophetas &c. Verum hi non prophetauerunt aduentum Christi sicut Prophetę veteris testamenti, qui Christo nato prophetare paulatim destiterunt, quia iam per eos prædicta compleri cœperunt. Verum ante Ioannis prædicationem nondum manifestabantur etiamsi quædam completa erant, quapropter erant hominibus adhuc manifestanda. Pro cuius rei intelligentia pulchrum

chrum locum habet Beda ſuper illud Lucæ. Et incipiens à Moyſe,& Prophetis &c. Vbi admonet legere ſcripturas: ſecundo nihil ita affirmare fidẽ credentium, quam vtriuſque teſtamenti intelligere concordãtiã. *Et ſi uultis recipere ipſe eſt Elias qui uenturus eſt.* Ego aſſero vobis ſi vultis credite. Ipſe Ioannes non quidem in perſona,ſed in ſpiritu,& virtute Helias eſt: ſiquidem ſpiritu eodem quo Helias plenus eſt,qui ad ſimilis vitæ innocentiam, & impijs hominibus reſiſtendi audaciam,& alacritatem eum inſtigat,quomodo Eliam. Quemadmodum enim Elias auſteram vitam egit in deſerto habitãs, zona pelliceacinctus, iuſtitiæ zelator, ita & Ioannes quem prædixit Malachias ante Meſsiam venturum. Luc.ult.

Qui habet aures audiendi audiat,hoc eſt,qui ſpiritualiter intelligere poteſt verba hæc intelligat,non enim crudè ſunt intelligenda. Hæc autẽ verba ſunt, quod Ioannes non ſit Elias in perſona,ſed in ſpiritu,& virtute. Ideoq; hanc partem adiecit: Qui habet aures &c. Quod quotieſcunq; facit aliquid myſticè dicit,& verba ſua per tropũ, & figuram intelligenda oſtendit. Quoniam autem communis fama apud ſcribas erat quod Chriſti aduentum Helias præcederet,aliud per hoc aduẽtus Meſsiæ prębetur argumentum, iſtud ſcilicet, *cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam?* quo Iudæis cordis durities,& diuinorum contemptus improperatur, vt patet ex Luca. *Similis eſt pueris ſedentibus in foro*,id eſt, ſic agitur in populo iſto quemadmodum in puerorum ludo,*qui clamantes coæqualibus* nolẽtibus eis colludere. *Dicunt* improperando, vel ex impatientia deridendo, *Cecinimus uobis*, gaudiorum cantica depromſimus,*& non ſaltaſtis* ad noſtrum cantum, & ſuauem tibiarum reſonantiam. *Lamentauimus*,id eſt, lugubria cecinimus, maiores imitantes, qui alios ad fletum Luc.7.

ad fletum in funeribus excitāt, *& non fleuistis.* Christus & Ioannes pueris clamantibus comparantur. Iudæi autem, pueris colludere nolentibus. Ideoq; istud. Similis est pueris &c. hoc modo exponi debet: In isto populo eodē modo quo in pueris prædictis agitur. Alioqui videntur Iudæi pueris clamantibus cōparari, quod nullo pacto saluator in-
Luc.13. tēdit. Huiusmodi aūt expositio in hoc euāgelista nō est rara: hic enim (Simile est regnū cœlorū homini seminanti) talis est expositio faciēda, homini seminanti, id est, operibus eius: pro quo dicit Marcus, Sic est regnum Dei queādmodum si homo iaciat sementem in terram. *Venit enim Ioānes, neq; manducās,* cibum communem, sed tantū locustas, & mel syl-
Mar.4. uestre. *Neq; bibens* vinum, & siceram, sed tantum aquam: & ita in cæteris vt sua pœnitentia alios ad planctum, & pœnitentiam prouocaret austerè viuens: At Iudæi, tanquam contumaces pueri, nec planxerunt, nec pœnitentiam egerunt, quinimo salubria Ioannis exempla peruerterunt, eius abstinētiam dæmonibus tribuentes: ei enim conuitiati sunt dæmonium habere dicentes. *Venit filius hominis manducans, & bibens,* id est, Ego communem modum viuendi sequens, omnium vitæ accommodam nullam austeritatem assumens, *& dicunt: ecce homo uorax, & potator uini, publicanorum, & peccatorum amicus.* In iudicando nimium temerarij fuerunt. Non enim paruum est in iudicādo periculum, facilè enim de alicuius & præsertim doctoris facto, & doctrina iudicando erratur: Vnde nos cohibere debemus ne facilè alios condemnemus.
Christus tamen vitæ nostræ, & conuersationis viuum exemplar, falsa impiorum iudicia, atque conuitia sustinuit, vt magnum nobis calumnias iniustè sustinentibus impenderet solatium. Diuerso quoque modo Christus, & Ioannes vitam suam

ad sa-

ad salutem populi instituerunt: Ioannes enim austeram, Christus verò communem vitam assumpsit. Ioannem siquidem austera decebat, quoniam pœnitentiæ prædicator erat, & non largitor gratiæ, & homines non decuit ita ad eum confluere, sicut ad Christum largitorem gratiæ. Insuper instruimur hic varijs modis nos Deo seruire posse, & quod nullus alterum in viuendi modo contemnere debet: quemadmodum Thomas in 3. parte quæstio.40.articul.2. docet: Parabola etiam hæc ijs applicari potest, qui nec dulcibus sermonibus, & promissionibus, nec duris verbis, & minis ad pœnitentiam prouocantur: sed potius prædicatores, austeros, tetricos, & scrupulosos vocitant: mites autem, & quantum possibile est hominum fragilitati condescendentes, assentatores dicunt.

Et iustificata est sapientia a filiis suis, id est, ego qui sapientia patris sum, cum Iudæis, ab omnibus sapientibus, & iustis, iustè egisse iudicatus sum: quando videlicet me nihil ad Iudæorum salutem prætermisisse professi sunt? Varijs namque modis ad pœnitentiam eos prouocare conatus sum, ita vt ipsi nullam pertinaciæ suæ, ac infidelitatis habere possint excusationem. Loquitur hîc Christus de seipso secundum diuinitatem, quæ omnia sapientissimè administrat: nec eos posse acccusare eum si deserantur: videtur enim omnino Christus eorum desertionem hoc loco respicere quod elucet si hunc locum cum illo loco Matthæi conferamus, Ecce ego mitto prophetas, & Scribas ad vos: & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in synagogis vestris. *Math.23.* *Luc.11.*

Augustinus verò libro secundo capite vndecimo quæstionum Euangelicarum hunc dat sensum, Agnita est iustitia à filijs suis, dum cognouerunt

uerunt vtramque vitam, & austeram,& dulcē esse bonam:& iustitiam non consistere in abstinendo,vel manducando, sed in æquanimitate tolerandi inopiam,& in modestia,seu temperantia vtendi copia. Verùm,proh dolor,vt ait Ethnicus ille Plautus homines multo melius ferunt penuriā quam saturitatem: estq; illa commùniter hac illis ad animæ salutem vtilior. *Væ tibi Corozaim, uæ tibi Bethsaida* Harum ciuitatū incolis verbi diuini cōtemptum improperat. Ciuitates enim ipsæ circa mare Galilęæ sitę,per Antonomasiam pro ipsis incolis accipiuntur.In his autem ciuitatibus tres Apostoli,Petrus,Andreas,& Philippus ex vico Beth saida orti,plurima miracula fecêre: vsqueadeo vt quandocunque miracula sine loci expresione fecisse dicuntur ferè semper in his ciuitatibus peregisse intelliguntur. *Quia si in Tyro & Sidone factæ essent uirtutes quæ factæ sunt in uobis.* Si in his ciuitatibus idolatriæ deditis facta fuissent miracula (sub quibus comprehende prædicationes) *olim in cilicio*, id est, sacco induti,*& cinere* asperſi *pœnitentiam egissent* non vti vos in sceleribus suis,& pertinacia permansissent:vnde vos grandis & æterna manet miseria. *Veruntamen dico uobis, remisius erit Tyro & Sidoni in die iudicii quam uobis.* Istud capite præcedenti expositum est.Tyrus ciuitas est Phœniciæ mercurialis impietatis notisimæ, cui vicina est similis impietatis

Eze.ca.26. Sidon:de quibus legimus in Ezechiele, & Esaia.
27.28. *Et tu Capharnaum nunquid usque in cœlum exaltaberis?*
Esa.23. per superbiam tuam, qua prædicationi meæ obsistis, vel, nunquid semper miracnlorum meorum gloria,& splendore relucebis? *Vsque in infernum descendes* in æternam mortem & imam barathri partem detruderis propter prædicationis meæ contēptum? *Quia si in Sodomis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in te.* quasi dicat,Tu impietate superas Sodomitas:

tas : nam vtique ipsi si talibus signis excitati fuissent, ad pœnitentiam agendam flexi fuissent, & à Domino nequaquam extincti. Hinc patet pœnitētiam non tantum complecti resipiscentiam, siue nouam vitam (quemadmodum impiè sustinere vult Lutherus articulo septimo contra quem doctissimè scribit D. Ioannes Roffensis Episcopus Anglus, & nostræ ætatis martyr) verumetiam Deum placandi studium per afflictiones voluntariè assumptas, aut iustè nobis impositas : alioquin enim cilicium,& cinis ad pœnitentiā minimè pertinerent,quod tamen hoc loco saluator asserit. Diuus Hieronymus aliam expositionem habet in cōmentarijs huius loci,& ordinem istarum ciuitatū mutat,nam ante (Gorozaim, & Bethsaida, ponit Tyrum & Sidônem,& sic ait,Remissius erit Tyro & Sidôni. Quoniam Tyrus, & Sidon naturalem duntaxat legem contempserunt,& conculcauerūt: Corozaim verò,& Bethsaida post naturalis legis & scriptæ præuaricationē, etiam miracula,& signa quæ apud ipsos facta sunt contempserunt. Seipsos admoneāt hic Christiani impœnitētes,sacerdotes, religiosi,atq; Euāgelij Christi pręcones,qui à Dño plurima gratiæ,atque salutis accepêre munera: manet enim eos terribilis futuri iudicij expectatio, si istis abusi fuerint. Ex hoc loco clarissimū euadit neminem propter ea quæ facturus fuisset iudicādum: nam Tyrij, & Sidonij propter bona opera quæ facturi erant si saluatoris miracula,& signa vidissent nullam remunerationem acceperunt. Vide Augu. de dono perseuerantiæ. Præterea ex hoc eodem loco patet falsum esse ideo Deum alicui gratiā dare vel negare,quia talem gratia illa bene vsurum, vel abusurum præuidit:nam non dedit Tyrijs,& Sidonijs,qui tamen (teste saluatore) bene erant vsuri: Galilæis autem dedit,qui ea sunt abusi. Ex quo vlterius cap. 9.

terius

terius patet prædestinatorum, & reproborum diuersitatem, ex præuisione boni, vel mali vsus gratiæ diuinæ nō pendêre. Iudicia autem Dei quibus hunc prædestinat, illū verò reprobat, inscrutabilia sunt: neminē tamen nisi voluntariè à se recedentē condēnat, quemadmodū neminem nisi per suā misericordiā bene operantem saluat. *Forte mā sissent usq; in hanc diē*, vtiq; mansissent, quia placato Deo pœnitentiā egissent. Hinc certū est nullū hominē cōspectis tantūmodo miraculis, vel audita prædicatione quantūlibet excellēti, posse agere pœnitentiā: at vltra omnē gratiā exteriorē, spiritussancti inspiratio requiritur, quæ voluntas humana ab impietate ad pietatē, ab infidelitate ad fidē conuertatur, atq; ideo quoties in scripturis pœnitētia, aut fides miraculis & prædicationi tribuitur, nunquam gratia spiritus sancti quæ cū miraculis Iudęis præstita fuit excluditur: voluntas etenim humana, supernaturalia audita, quia peccato Adę terrenis alligata, & peccatorū vulneribus ad ima prostrata est, deridet atque contemnit. *In illo tēpore respōdens Iesus dixit cōfiteor tibi pater Domine cœli & terræ*, id est, oīm elemētorū, atq; in eis contentorum. Deus propriè pater Christi est, Dominus autē, creaturarū. Vnde nō dicit saluator gratias ago, siue confiteor tibi Domine pater cœli, & terræ: non enim pater filij Dominus est. *Quia abscondisti hæc* mysteria aduētus mei in mundū, & magnifica gratiæ tuæ munera. Laudat eum de misericordia, & iustitia. *A prudentibus & sapientibus*, id est, à Scribis, & Pharisæis qui in oculis suis sapiētes sunt *& reuelasti ea paruulis*, id est, contemptis, atq; in oculis suis humilibus, Apostolis nimirū, & discipulis, gratia S. Sācti eorū intellectū illustrādo, & volūtatē eorū tibi subijciēdo. *Ita pater* scilicet cōfiteor (ita) cōfirmantis, & augentis est: q. d. In hoc supra modū te laudo tibiq; gratias ago: vel (ita pater) placuit scilicet

licet excœcare ſapientes,& illuminare paruulos. *Quoniã ſic fuit placitum ant: te*,cui ſcilicet quicquid placet iuſtiſsimè placet. Hinc diſcimus prędeſtinationis,& reprobationis primã cauſam eſſe diuinũ beneplacitum: deinde quod de oĩbus quæ cõtingunt Dei iuſtitiæ obmurmurare nequaquam debemus, ſed gratias agere:quandoquidẽ nihil ſine diuinę voluntatis diſpoſitione,ac permiſsione fit, quæ nunquam iniqua aut irritationabilis eſſe poteſt. Atque ideo Chriſtus hic gratias agit nõ ſolum de illuminatione paruulorum, verum etiam de excœcatione ſuperborũ:non quaſi delectetur malo, ſed quia delectatur iuſto Dei patris iudicio, iuxta illud Lucæ, Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles: & iuſtus lætabitur quum viderit vindictã peccatorum. *Luc.1.* *Pſal.57*

Omnia mihi tradita ſunt a patre meo, declarat dignitatẽ ſuijpſius,quatenus mediator eſt:q.d. Ne me patre minorem quia ei gratias egi,arbitremini: at æqualitatem inter ipſum & me,agnoſcite. Omnia enim mihi pater tradidit,id eſt,electos omnes: illi enĩ mihi ſecundũ humanã naturã dati ſunt, vt eos ſaluificẽ,& caput,ac rector eorũ exiſtã: quod proprium eſt mediatoris officium. Videtur hic ſenſus eſſe conformis quia in hoc capite multa de reprobis,& electis prolata ſunt:vt,venite ad me omnes: & omne quod dat mihi pater ad me veniet. Quod dat.i.quod elegit ab origine mũdi,id eſt,prædeſtinauit:& ſic omne quod ſaluari debet per me vnicũ ſaluabitur. Vel hoc modo, hæc pars exponi poteſt. Omnia mihi tradita ſunt, id eſt,omnia quæ habet pater vtpote potentia,bonitas, ſapientia, atque vniuerſæ res creatæ mihi ſecundum diuinitatem quando per æternam generationem mihi æqualem eam communicauit,donata ſunt: nam idẽ dominium quod habet pater habet filius. *Ioan.6. & 17.*

Et nemo nouit filium nisi pater. Nemo perfectè, & per naturam me nouit nisi pater. *neque patrem quis nouit nisi filius*, qui cum patre, & spiritu sancto vnus est: quare vos ex mutua, & ęquali notitia nos pares intelligere potestis. Est hîc notandum quod quandocunq; aliquid in sacris literis quod Deo essentialiter competit, ac diuinam essentiam consequitur, alicui personę diuinæ cum aliqua exclusione tribuitur, nunquam reliquas personas excludi, sed tantùmodo ipsas creaturas: quemadmodum quum dicitur, Tu solus sanctus, non per hoc pater aut spiritus sanctus excluditur. Atq; proinde propositio hæc exclusiua hoc modo est exponenda, Pater nouit filium perfectè, & nihil aliud à patre essentialiter diuersum nouit filium: non autem sic & nullus alius. *Et cui uoluerit filius reuelare* vel pater scilicet, vel spiritus sanctus, per meram dignationem, & gratiā. Atq; is quidem patrem nosset, non tamen perfectè, & secundum naturam suam, sed quantum filius ex liberalitate sua ei reuelare voluerit. Agitur autem hoc de reuelatione non quæ tantum fidei, sed quæ obedientiam consequitur. Reuelat autem tota trinitas pater filius, & spiritus sanctus: Christus tamē sibi tribuit potestatem reuelandi patrem cuicunq; voluerit, quia satis manifestum erat patrem hoc posse: & hîc tantum agebatur vt diuinitas Christi manifestaretur & quādo patrem reuelat etiam spiritum sanctum, atq; seipsum reuelat. In verbo *uo-*
Ioan.3. *luerit*, gratiæ est significatio: quoniā quod volūtate
1.Cor.12 largientis tribuitur hoc non ex debito, sed gratis
Psal.17. datur. Similiter dicitur, spiritus vbi vult spirat: Itē, Saluum me fecit, quoniam voluit me: & apertiùs Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Id est, dilectione gratuita, & gratia.

Venite ad me omnes qui laboratis. difficultatibus legis dum frustra viribus vestris eā implere conamini,

& one-

Et onerati estis.peccatorum conſcientia, ac gehennæ timore: *Et ego reficiam uos*,præſtabo vobis requiem, vos recreabo per remiſsionem peccatorum, conſciẽtiæ pacem & præceptorum meorum impletionem: ex quibus vitæ æternæ ſpem concipietis, & tandem eius fruitionem obtinebitis. Iſtud demum intelligunt illi qui olim onerati nunc ad Chriſtũ peruenerunt.

Tollite iugum meum ſuper uos. Idem alio modo explicat. Seruate mandata mea eo modo quo doceo ſeruanda. Emphaſis eſt in (Meum) nam idem iugũ vt Phariſæi imponebãt intolerabile erat, vti Chriſtus ſuauiſsimum: quemadmodum Beda ſuper illud Lucæ oſtendit·Et vobis legiſperitis væ quia oneratis homines oneribus quæ portare nõ poſſunt: Cùm enim eo pacto ſine fide, & gratia Chriſti ſeruanda tradebant, portari nequaquam poterant. vnde rectè Dominus quod ſequitur (& ipſi vno digito veſtro non tangitis ſarcinas) improperat, id eſt, ne minimam quidem legis partem perficitis: nam ſine fide, & gratia Chriſti eam ſeruari impoſſibile eſt: quum ſcriptum ſit, Iuſtus ex fide viuit, & Apoſtolus Petrus his qui credentes ex gẽtibus circuncidi docebant proteſtetur, & dicat, Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neq; patres noſtri, neq; nos portare potuimus? ſed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſaluari quemadmodum & illi. *Et diſcite a me quia mitis ſum*. Hoc modo iugum meum tollere poteritis, ſi imitatores mei fueritis, doctrinam & obedientiam amplectentes. Diſcere etenim hîc non ſolũ intelligere eſt, ſed opere quod intelligitur etiam complere. *Quia mitis ſum*, non iracundus, & aliorum contemptor, at manſuetus, & miſericors: & quod prioris cauſa eſt, *Humilis corde*. humilitas ſiquidem mitem facit: vnde ex magna

Cap. 11.

Act. 15

humilitate dixit quam secundùm humanitatem, non diuinitatem habet: Omnia mihi tradita sunt à patre meo: Et ego à me non loquor: Iterum, Sermonem quem audistis, non est meus. Si itaq; nos
Ioan.14. peccata & fragilitatem nostram cognoscẽtes, alios non contempserimus, & humiliter agnouerimus, gratiæ Dei esse quod ei obediamus; erimus sicut Christus, mites, & humiles corde, in omnibus peccatis nos ipsos accusantes, & à Deo per Christum veniam implorantes, in omnibus infirmitatibus nostris sanitatem per eundem Christum postulantes, in omnibus bonis operibus nostris omnium largitori per Christum gratias agẽtes: Atq; hæc est euangelij humilitas, non abiectionis animi vilitas: Nam secundum saluatorem B. Maria, & sancti in cœlo sunt humillimi, quia omnem gloriam Deo, & non suis meritis asscribunt. *Et inuenietis requiem animabus uestris.* Istud idem est cum eo quod supradictum est, & ego reficiam vos. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Hoc est, mandata mea cum dilectione iustitiæ assumpta, quam venientibus ad me tribuo aspera non sunt nec grauitate importabilia, at suauia & leuia. Atque ita probat cur iugũ suum tollere debeamus. Dicuntur autem mandata Christi iugum, & onus, quoniam non seruata, peccatorum onus inducunt. Iugum enim seruitutis Domini per se suaue est, sed nos nobis malitia nostra graues sumus. Quapropter Dominum quotidie adeamus, & nos reficiet. Doctrina hac, qua docemur quomodo æternam mortem euadere poterimus, nulla vtilior esse potest vt ait Augustinus lib. de natu. & gratia cap. 68. 69. & 70.

IN CA-

IN CAPVT DVODECIMVM.

In *illo tempore abijt Iesus per sata sabbatho Discipuli autem eius esurientes*, quippe qui ita frequenter prædicationibus,& profectionibus grauabantur, vt ne quidem manducandi tempus haberent, vt Marcus ait: *Cœperunt uellere spicas & manducare*. Ex quo patet eos exquisitis epulis vesci insolitos: quanquã enim saluator communi more vixerit, non tamen delicatè. Nec furti sunt hic arguendi quod spicas vulserĩt discipuli, quia hoc illicitũ nõ erat (vt patet ex Deut.) de quo habes apud D. Thomã in 3. parte. *Pharisæi aũt uidẽtes dixerũt ei: Ecce discipuli tui faciũt quod non licet facere sabbathis*: quia videlicet nõ liceat sabbato colligere cibũ: id enim in Exo. vetari videtur, Lucas dicit: Pharisæos alloquutos fuisse discipulos ipsos, quia forsitan vtrosq; & Christũ,& discipulos alloquuti sunt. Hic autẽ euangelista loquutionis ad discipulos nullã mentionẽ facit. Et forsitã ideo quia accusatio discipulorũ redundabat in Christũ. Mystica expositio de vellentibus spicas habetur apud Agust. in quæstion. euangelicis, vbi ostendit confricationem spicarum significare homiuum pręparationem vt corporis Christi membra fiant.

Mar. 3.
Deut. 23
Quæst. 40. art. 4. ad 1. & 2.
Exo. 16
Lib. 1. c. 2

At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit David quando esurijt, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum Dei, id est tabernaculum Dei, *& panes propositionis comedit quos non licebat ei edere, neq; his qui cum eo erant, sed solis sacerdotibus*. Hi panes quos soli sacerdotes comedere poterant, ponebantur super mensam in tabernaculo septẽ diebus.& postea renouabãtur. Quũ ergo nec Dauid, nec sacerdotes à vobis reprehendũtur, quamuis legem transgressi fuisse videantur, quod facere famis necessitate vrgebãtur, nec ita discipuli mei reprehẽdẽdi sunt quod esuriẽtes spicas auellũt.

Leuit. 24
Exod. 25

Prædictæ enim leges ſaluis naturæ legibus intelligendæ ſunt, quemadmodum alia iura poſitiua ferè omnia.

Aliud argumentum. *Aut non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum uiolant, & ſine crimine ſunt?* Sacerdotes mactando boues pro ſacrificijs quæ tunc in templo offerebantur, operantur, & tamen ſine reprehenſione ſunt, ergo & diſcipuli mei. *Dico autem uobis quia templo maior eſt hic.* Dominus tẽpli in hoc loco eſt. Si igitur ſacerdotes per templũ excuſantur, multo magis diſcipuli mei per meam præſentiam, & conſenſum. Hieronymus voculam, hic, nõ aduerbialiter, ſed nominaliter vſurpat, atque hunc reddit ſenſum, hic locus qui me continet eſt maior templo: verum prior expoſitio melior eſſe videtur.

Tertium argumentum. *Si autem ſciretis, quid eſt miſericordiam uolo, & non ſacrificium,* id eſt, ſi miſericordes eſſetis, & non ſuperſtitioſè externa obſeruantes, *nunquam condemnaſſetis innocentes,* diſcipulos me-
sup. cap. 9. os. Id ſuprà latiùs expoſitum eſt.

Quartum argumentum. *Dominus enim eſt filius hominis, etiam ſabbati,* Hoc eſt, ego omnium rerum creatarum, etiam ipſius ſabbati Dominus ſum, quo circa mea authoritate, & cõnſenſu poteſt in ſabbato quodlibet opus fieri. Quemadmodum enim lex de ſabbato mea authoritate facta eſt, ita eadem poteſt illa mutari.

Et cum inde tranſiiſſet, uenit in ſynagogam eorum alio ſabbato ſcilicet, *Et ecce homo manũ habẽs aridã* dextrã nimirum, *Et interrogabant eum dicentes, ſi licet ſabbatis curate,* infirmos, *ut accuſarent eum* tanquam violatorem ſabbati, & alios violare docentem. Hieronymus hîc narrat quod homo iſte cæmentarius erat, atque proinde pro ſanitate manus aridæ ne mendicare cogeretur ſaluatorem rogabat. Primùm interroga-

rogauerunt Pharisæi, & Scribæ, quemadmodum narrat hîc Euangelista; postea verò saluator infirmo dixit, Sta in medio, & tũc ipse dixit illis, vt narrãt Marcus, & Lucas. *Quis erit ex uobis homo, qui habet ouem unam &c. Iesus autem sciens* consilium Pharisæorum aduersum se, sciebat enim quo fine interrogabant, & quid doli struerent ei. Tria hoc loco obseruanda sunt. Primò, Scribas, & Pharisæos in expositione diuinæ legis plurimum deuiasse, quoniã iustitiam in ijs quæ merè externa sunt posuêre. Secundò, Saluatorem contra tertium mandatũ decalogi restituendo manui sanitatem nullo modo peccasse, quemadmodum habet Thomas. Tertiò non prohiberi Deo quouis tempore operari, aut miracula facere: similiter nec hominibus quæ de necessitate salutis corporalis sunt, vt sunt incisio venæ, vulneris curatio, potionis medicæ pręparatio &c. Denique non prohiberi opera ad cultũ diuinum pertinentia, qualia sunt orare, celebrare, boues in sacrificia pro tempore veteris legis occidere, nec similiter opus quo omisso præsens rerum damnum immineret, licet de eo hîc saluator non agat. *Recessit inde* trans mare, vt habet Marcus, *&* *curauit eos*, qui curatione egebant, *Et præcepit eis ne manifestum eum facerent.* Ne videretur inanem gloriam venari, vel, ne Pharisæi locum scirent vbi esset. *Vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetã dicentem: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ.* His verbis ostenditur humilitas, mansuetudo, & patientia Christi, atq; summa erga peccatores benignitas: nam hic Euangelista magnam humilitatem, & patientiam eius admiratur, quod videlicet hostes suos fugerit, quos solo nutu perdere poterat. Sensus ergo huius est: Audite omnes (inquit Deus pater) nouum quiddã, & admirabile. Puer meus, id est, seruus meus secũ-

Mar. 3. *Luc. 6.*

3. par. quæst. 40. art. 4 secũda secundæ quæ. 10. & 11.

Cap. 3.

Esa. 42.

dum humanam naturam, quem elegi vt mihi naturalis filius foret,atq; omnium electorum Saluator: Dilectus meus mihi supra modum placens, in quo bene complacuit animæ meæ. Istud tropologicè dicitur, non enim Deus animam, aut oculos aut aures &c. sicut nos habet. *Ponam spiritum meũ super eum.* Huius partis tres bonæ interpretationes assignantur, quarum prima est ista, ab initio conceptionis eius posui spiritum meum super eum. *Et iudicium* per Apostolos *gentibus* idololatris & incircuncisis *nuntiabit*, id est, efficiet vt gentes quæ hactenus varijs fuêre implicatæ erroribus & ignorantes, veram iustitiam, & cultum Dei modo agnoscant. Secunda interpretatio hæc est, Ipse sumet sibi partes iudicis inter principem huius mundi diabolum, & gentiles, id est, genus humanum, & feret sententiam pro illis dæmonium ex eis eijciendo: quemadmodum dixit. Nunc iu-
Ioan.12. dicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Tertia verò interpretatio est, Docebit gentes quandoque futurum iudicium, vbi vnicuique Deus secundum opera sua reddet, quod antea gẽtibus pœnitus ignotum erat, existimabant enim post hanc vitam nihil superesse, atq; animam cum corpore interire. Hunc sensum amplectitur Augustinus. *Non contendet. neq; clamabit*, id est, nõ erit contentiosus, ferox, aut impatiens nullas amaritudinis, vel indignationis voces proferet. *Neque audiet aliquis in plateis uocem eius*, quemadmodum seditiosorum, aut sese ostentantiũ clamores exaudiuntur, id est, nihil ad inanem gloriam faciet, nullamq;
Ephe.4. seditionem, aut turbationem excitabit. Eodem modo à Paulo hoc loco clamor accipitur. Omnis amaritudo, ira & clamores. Mysticè Hierony. hoc pacto istud interpretatur, nemo ex ijs qui in platea siue lata perditionis via ambulant vocem Christi audiet:

audiet:dicitq́ in commentarijs in Esaiâ sic ad verbum haberi. Nõ leuabit, siue non accipiet, pro quò, ipse posuit non accipiet personam. Dat & alium sensum hunc scilicet, non leuabit in altum vocem suam. Hic ergo Euangelista sensum ex Esaia allegauit. Hieronymus(foris)ad literâ interpretatur quod saluator extra Iudæam non prædicauerit. Augustinus verò mysticè quod doctrina saluatoris ab his qui extra Ecclesiam sunt minimè audiatur. Sed prior sensus melior videtur, qui habet(in plateis) non(foris) *Arundinem quassatam non confringet.* Significatur humanitas, & benignitas Christi erga infirmum, atque peccatorem hominem per peccata sua instar calami, aut arundinis confractum, ac ferè desperatum: quem tamen non abijciet pœnitus, sed alligabit, & fouebit vt sanet: *Et linum fumigans*, id est peccatores, qui sicut linũ quod nondum ardet, sed tantùm fumigat, extinctioni vicini sunt *non extinguet*, sed potius modicam fidei scintillam augendo, & promouendo accendet. Atque hoc est quod dixit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Quando enim quis bonum aliquod auspicatur saluator promouere non desinit: vnde in Ezechiele dicit: Nolo mortem impij, sed vt cõuertatur à via sua, & viuat. Quare etiam se malis pastoribus opponit dicẽs: Lac comedebatis, lanis operiebamini: & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meũ non pascebatis. Ecce ego ipse super pastores, & requiram gregem meum de manu eorum: & infra. Ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum. Planè contrarium de Antichristo, & socijs eius dicitur, Et pastores eorum non parcebant eis, & infra: Quod moritur, moriatur, & quod succiditur succidatur, & reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui.

Ezec.33.& 34.
Ezech.34.
Zach.11.

Hieronymus in hunc locum ait: Qui peccatori nō porrigit manus, nec portat fratris onus, calamum confringit quassatum, & qui modicam scintillam fidei contemnit in paruulis, linum fumigans extinguit: & hodie qui non conatur errantes in moribus, aut fide, reducere ad rectam viam, non imitatur Christum. Arundinem, & linum generaliter de peccatoribus intelligit, at in quæst. secunda ad Algasiam mulierem studiosissimam, propriè per arundinem Iudæos, per linum gentes intelligit. Augustinus verò per linum, & arudinem propriè Iudæos intelligit, quia de gentibus præcessit, iudicium gentibus nunciabit, & postea, Gentes in in eo sperabunt, verum videtur probabiliùs generaliter intelligendum. Hieronymus putat istud in veritate elucet iudicium, vitio scriptorum omissum. *Donec eijciat ad victoriam iudicium*, id est, donec omnia ista prædicta perficiet, peccatores recipiens, id est, donec gentes, & Iudæi sint per iudicium deuicti, vel, donec pœnitus electorum accusator diabolicus vincatur, aut donec ipse Christus ad iudicium extremum veniet, in quo apertè omnes aduersarios suos confundet, atque superabit. Triplex iste sensus ex voce (iudicium) quæ triplicem habet significationem consurgit. *In nomine eius gentes sperabunt*, donec veniatur ad illud iudicium. Hieronymus vertit, Legem eius insulæ expectabūt, ex quo intelligimus insulas in Scripturis pertinere ad populum gentilem, vt ibi, Audite insulæ quæ loquor vobis. Item, Audite insulæ, & attendite populi de longè. Consulatur Augustinus lib. 20. de ciuitate Dei cap. 30.

Lib. 20. de ciuit. Dei cap. ult.

Esa. 49.
I. c. 11.

Tunc oblatus est ei dæmonium habens. Incertum est vtrum istud miraculum eodem tempore cū præcedenti factum sit. *Cæcus & mutus* scilicet ex dæmonio, vt patet ex Luca. Tria ergo simul signa hîc exhi-

exhibuit saluator, quæ quotidie mysticè complentur in conuersione credentium, dum repulso diabolo per remissionem peccatorum clarum Dei lumen perspiciunt, & in laudes diuinas ora prius tacentia laxant. *Nunquid hic est filius David*, id est, promissus Messias. *Pharisæi autem audientes dixerunt: hic non eijcit dæmones* diuina virtute, nec propter vitæ sanctitatem, vt inde Messias æstimari debeat *nisi in Beelsebub principe dæmoniorum.* Eijcit quidem dæmones, sed propter pactum quod inijt cum principe dæmoniorum, qui alijs dæmonibus imperat, vt ad mandata istius exeant, & sic fallantur homines, eũ Messiam credentes. Ex Marco meliùs intelligimus an Pharisæi tantùm hoc dixerint mente an apertè etiam protulerint, siquidem ex eo cõstat quod duo dixerint, vnum expressis verbis, nimirum quod saluator haberet spiritum immundum Beelsebub, alterum cogitatione tantum, nimirum quod cooperatione Beelsebub dæmonia eijceret. Quibus saluator non ad dicta, sed ad cogitata respondet vt eũ diuinam habere virtutem cognoscant, quem cordium arcana scrutari vident. *Iesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis: omne regnum diuisum contra se desolabitur*, hoc est, Omne regnum sibi contrarium nõ permanebit, quia discordia intestina, res maximę dilabuntur. *Et si satanas satanam eiicit, aduersus se diuisus est, quomodo ergo stabit regnũ eius?* Quoniam ipsemet regnum suũ quo in impijs regnat, & princeps mũdi huius dicitur, atque rector tenebrarum harum destruit atque euertit. Diaboli semper ad nocendũ hominibus concordes sunt licet forsitan subinde inter se dissideant. Ponitur autem hîc Satanas pro dæmoniorum principe, vt in Apocalypsi. Atq; tũc eijci dicitur, quãdo aliquis angelorũ eius eijcitur: sicut etiam ipse tentare homines dicitur, quãdo angeli eius, & satellites eos tentant. Potest etiã sub- Apoc. 12.

ſubinde fieri vt ad decipiendos homines dæmon dæmoni cedat. Vt ſi dæmon ad iuſſum alicuius pſeudoprophetæ ex homine migret, at ceſsio illa non eſt eiectio, de qua hîc loquitur ſaluator, qui ſatanam non ſolùm ex corporibus humanis, verùm etiam ex ipſorum mentibus eijciebat: Ad quam plenam dæmonis eiectionem regnũ diaboli euertit, & omnia opera ſua ad illã ordinauit. Cõſulatur
L.li.19.c.18 Auguſtinus de Ciuitate Dei. Saluator deniq; de quotidiana dæmonum eiectione loquitur, nam plures in ipſa calumnia Phariſæorũ dęmones ponuntur. Qualia autem ipſi miracula faciant tractat
Lib.22.de ciuit.Dei c. 9.10.& 11. Auguſtinus. *Et ſi ego in beelſebub eijcio dæmones, filij veſtri in quo eijciunt?* id eſt apoſtoli mei, ex progenie veſtra prognati: quaſi dicat, de apoſtolis meis conſtat quod artem magicam ignorant, nec in eijciendis dæmonibus dæmonũ cooporatione vtuntur. *Ideo ipſi iudices veſtri erunt.* Illi igitur vos in die iudicij ob veſtram blaſphemiam condemnabunt. Vel Apoſtoli eijciunt virtute mea, quomodo ergo ego cooperatione alterius indigeo? Per filios quidam exorciſtas intelligunt, atq; hunc ſenſum reddunt. Exorciſtæ veſtri ſciunt ſe eijcere dæmones per inuocationem diuini nominis, cur igitur opus quod in ipſis Deo tribuitis in me diabolo aſſcribitis: *Si autem ego in ſpiritu Dei eijcio dæmones, peruenit ad uos regnum Dei:* id eſt Meſsias, qui regnum diaboli minuit, & per quẽ homines Deo ſubduntur, in quibus ipſe regnat: Quaſi dicat certò ex illo colligere, ac cognoſcere debetis, Meſsiam qui regnum diaboli cõterit, & Deum in hominibus regnare facit, aduenisse, nã diſsipatio regni diaboli, eſt adauctio regni Dei, & cõtra, hoc enim tanquã ſignum aduentus Meſsiæ
Lucæ 11. à prophetis prædictum eſt. Pro (ſpiritu) Lucas legit (digito) ex quo colligimus quod in ſacra ſcriptura per digitũ Dei, ſpiritus ſanctus intelligatur, vt patet in 3.

in 3. signo de magis Pharaonis, & de tabulis lapideis legis Mosi digito Dei scriptis per quod significabatur lex gratiæ, seu Christi per spiritũ S. in cordibus nostris scribẽda: iuxta promisionẽ Dei per prophetã Ezech. & apertiùs per Ierem. expressam. Dabo legẽ meã in visceribus eorũ, & in corde eorũ scribã eã: & ero eis in Deũ, & ipsi erũt mihi in populum. Quod etiã tractat Aug. & Hiero. in cõment. huius loci. Cuius prima causa est, quia per eũ in cordibus nostris lex Dei, seu amor diuinæ legis ab ipso Deo scribitur. Secũda est, propter participationẽ, & varietatẽ donorũ. Tertia, quã habet Cyrill sicut digitus est eiusdẽ substantiæ cũ manu, sic spiritus S. idẽ cũ patre, & filius eadẽ ratione manus Dei patris dicitur, quia est eiusdẽ substantiæ cũ patre, sicuti manus cũ toto brachio. *Qui non est mecum contra me est, & qui nõ cõgregat mecũ spargit.* Hiero. istud propriè de diabolo intelligit, vt sensus sit, diabolus qui non est mecum eiusdem voluntatis, sed contrariæ, in omnibus suis operibus mihi aduersatur: etenim ego dispersos ad fidei, & cult⁹ diuini vnitatẽ cõgrego, ille verò dispergit quomodo igitur vos dicitis me illi confœderatum, & amicum? Vel: Quisquis hominum eiusdem voluntatis mecum non est, & qui mecum populum Dei dispersum minimè cõgregat, sicut diabolus aduersarius meus est, atque gregem meum similiter dispergit: ideoq; sicut diabolus condẽnabitur. Hoc autẽ dictũ videtur secũdũ hũc sensum cõtra eos, qui nõ apertè Christo aduersabãtur, nolẽtes tamẽ ei adhærere: nulla namq; neutralitas est, si enĩ Christo nõ adhærẽt, hoc ipso diabolo cõiunguntur: vel cõtra apertè aduersantes ei, istud dictũ accipi potest, vt scirent quantũ scelus cõmitterẽt. Vt ait Aug. *Ideo dico uobis oẽ peccatũ, & blasphemia remittetur hominibus: spiritus aũt blasphemiæ nõ remittetur.* Quia me habere spiritũ immundũ dixistis, osten-

Eze. 38.
Hiere. 31.
Lib. de spiritu & lit. c. 16. & 18 & lib. 2. qu. Euan. c. 17
Lib. 1. de peccat. mer. c. 18. & lib. 4. de cõsen. euang. c. 5.

ostendi vobis quam grauiter in hoc deliqueritis. Hic Euangelista duas sententias ponit, in quarum priore comparatur blasphemia spiritus, cum quouis peccato, & blasphemia: in altera verò, blasphemia spiritus comparatur blasphemiæ contra filium
Marc.3. hominis. Primam sententiam ponit Marcus, non
Luc.12. autem secundam, Lucas verò contra. Tota autem
serm.11. difficultas in eo sita est, quidnam per blasphemiam
Cap.8. spiritus sancti intelligendum sit. Augustinus de verbis Domini dicit in Scriptura vix difficiliorē reperiri quæstionem, quā tamen ex proposito ibidem dissoluit: eamdemq; sententiam repetit libro
Cap.83. contra Cresconium grammaticum. Item in fine inchoatæ epist. ad Romanos & in Enchiridio, rur-
Lib.1.c.19. sum epist.50. Denique in libris Retractationū, vbi blasphemiam spiritus sancti esse dicit, habere cor impœnitens vsque ad finem vitæ ex desperatione vel prædicationis aut gratiæ spiritus sancti per quē peccata remittuntur contemptu: nam hoc peccato præsente omnia alia manent. Toto etiam primo lib. de verbis Domini in mōte de hoc peccato tractat. Petitur vtrum omne peccatum mortale in quo quis moritur, blasphemia spiritus sancti dicendum sit? Respondeo, nomen (spiritus sanctus) est hîc nomē tertiæ personæ in diuinis, quod ex communi scripturarum loquutione patet: etenim distinguitur contra filium hominis. Blasphemia autem spiritus sancti est conuitium quod directè Deo aduersatur, præsertim si à sciente admittatur: qualis est, à cultu Dei homines retrahere, quemadmodū
1. Reg.2 filij Heli fecerunt: Item negare Christum, & subdere se idolis. Vnde postquam saluator dixisset, qui negauerit me coram hominibus, subdit de blasphe
Luc.12. mia in spiritum sanctum. Item dicere Christū habere spiritum immundum, vt dixerunt Pharisæi: propter quos saluator hîc de blasphemia in spiritū

sanctum

ſanctum loquutus eſt. Negare item Ieſum eſſe verum Deum Synodus Agrippinenſis. Deinde dicere Deum non omnipotentem opera eius eſſe dęmonium opera, negare ſe Chriſtianum apoſtatare. Huiuſmodi peccata in ſpiritum ſanctum dicuntur, non quin æquè ſint in patrem & filium, ſed quia ſpiritui ſancto in ſacra ſcriptura omnia gratiæ dona quæ ſancta trinitas nobis communicat tribuũtur. Ingratitudo ergo hominum de donis gratiæ, vel ingratitudo, ſiue blaſphemia hominum cõtra diuinitatem, vel trinitatem licet dicatur eſſe in ſpiritum ſanctum, attamen reuerá eſt contra totam trinitatem, nam eſt vna iniuria trinitatis, ſicut eſt eius vna eſſentia. Deinde attribuuntur iſtæ diuerſæ proprietates ipſis perſonis trinitatis, vt per eas ipſa nobis innoteſcat. Eijcere autem dæmones erat ſpiritus ſancti donum, vnde Phariſæi in ſpiritum ſanctum peccabant, non in filium hominis. *Marc. 3.*

Et quicunque dixerit uerbum cõtra filiũ hominis remittetur ei filius hominis pro Chriſto ponitur. Peccatum igitur in filium eſt, quod in Chriſtũ cõmittitur, quatenus homo eſt, ciuiliter cum alijs hominibus cõuerſans: quod non directè deitati aduerſatur, vt cũ dixerunt Chriſtum vini potorem, ſimiliter quod effugiſſet mortem ſi potuiſſet. Sicut Hieronymus, & Athanaſius. *Qui autem dixerit contra ſpiritum ſanctũ non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* *Tract. de peccato in ſpiritu ſan.*

Dicitur iſtud peccatum non remitti per comparationem, quia admodum difficulter remittitur: tũ quia de tali rarò vera perſoluitur pœnitentia, tum propter ſceleris grauitatem, ac enormitatem. Vnde aliquos admodum malos obſtinatos, atque perditos dicimus: alios verò ex infirmitate ſubinde labentes, horum comparatione iuſtificamus, quẽadmodum dicit Baſilius in Moralibus, & in Regulis compendio explicatis: tum quia huius peccati *Reg. 35. & 1 interrogatione 273.*

com-

comparatione cætera peccata facilè remittuntur. Sic Chrisostomus interpretatur. Sic & Hieronymus contra Iouinianum hunc locum (est peccatū ad mortem non pro illo dico vt roget quis) explicat, quia videlicet difficilis est impetratio veniæ illius. Non autem dici potest illud esse peccatum in spiritum sanctum quod nullo modo remitti potest quoniam de nemine quamdiu hîc viuit: est desperandū: vnde mādauit saluator etiā pro pēssimis orare dicens: Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, id est, doctrinā meā euertētibus. Istud peccatū in spiritū S. non remitti dicitur, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro, quia iuxta Chrysost. Quisquis eiusmodi peccatū admiserit, nō effugiet punitionē in hoc sæculo, nec etiam in futuro: quod plerumq; impleri conspicimus, vt in philosophis gentiliū, in Iudæis, itē in Iuda Iscariote, rursum in illo Atheo Luciano qui à canibus discerptus fuit, Deū enim in dialog. suis blasphemârat. Chryso. intelligit per *remitti* ad pœnā nō imputari: per *nō remitti*, ad pœnā imputari. Aug. verò hoc modo, nō dabitur venia homini de tali peccato, nec quādiu hîc viuet, nec in futuro sæculo. Sic Greg. lib. 4. dialog. Bernar. in cant. *Aut facite arborē bonā, & fructū eius bonū.* Hoc est, nō existimetis quod diadolus qui malæ arbori assimilatur hæc bona opera quæ ego in sanandis, & liberādis hoībus facio præstare possit, debetis enim arborē, & fructus eius existimare esse conformes: existimate ergo diabolū bonū, si sanatio opus eius est, aut malū & opera eius mala: quasi dicat, alterutrum eligite, nam inter hæc duo medium dari non potest. Vult docere esse absurdissimum hæc præcedentia miracula diabolo asscribere. *Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui,* id est non potestis bona loqui cum mali sitis. Per sequentē verò partem ostendit vnde blasphemia ista pro-

Lib. 2. sub finem.
1. Ioan. ult.
Rom. 1.
Lib. 11. de ciuit. Dei c. 24. Lib. 6. cōt. Iul. c. 5. Greg. c. 39. ser. 66. super cant.

procedat,ex magna nimirum cordis eorũ prauitate:vnde ait, *Ex abundantia enim cordis os loquitur*,id est, ex eo quod vehementer amatur solet sermo formari,& cor magis in illud exardescit,quam verbis exprimi potest. *Bonus homo de bono thesauro profert bona*,id est,ex benè operandi prudentia,siue ex vehementi virtutis ardore. Bonus thesaurus est prudẽtia benè agendi: quemadmodum malus thesaurus est calliditas malè agendi,& vitiorum amor,quẽadmodũ Basil. magnus in regulis breuioribus definit,quanquam etiam de ipso opere intelligat. Intero.239

Dico autem uobis quoniam omne uerbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Vt intelligatis quantum vobis periculi propter vestram blasphemiam immineat ego qui sum ipsa veritas vobis dico de quolibet otioso verbo in die iudicij reddendam fore rationem. Verbum otiosum est quod iusta necessitate, vel pia vtilitate caret,de quo rationẽ reddere nõ valebunt homines, quanto minus de verbo in spiritũ sanctũ blasphemo. Verè ergo scriptũ est,iustus vix saluabitur. Basilius in regulis breuioribus,in vniuersum(inquit) omne verbũ quod Deo nõ seruit,seu quod ad propositũ in Dñi vsum nõ facit otiosum est,& ideo periculosum.Quod autẽ ait Dñs de verbo otioso,verũ etiã est de omni cogitatu,& facto otioso:non enim minùs in iudicio de cogitationibus,& factis, quã de verbis exigetur ratio. Vide Aug.cont.Iulia. vbi definitionẽ virtutis tractat. *Ex uerbis enim tuis iustificaberis,& ex uerbis tuis cõdẽnaberis.* i.quilibet ex verbis suis quæ locutus est iustus in die iudicij (nisi aliunde impedimẽtũ proueniat)pronunciabitur,aut tanquã peccator condemnabitur. Vox *cõdemnabitur*, hoc loco nõ tantùm ad æternam pœnam pertinet, verumetiam temporalem : nam misericordia Dei cum quibusdam peccatoribus aget(qui tamen in damna- Interro.22. Lib.4.ca.3

damnationis meritò non inuenientur) vt inæternùm non condemnentur: Verbum otiosum enim peccatum veniale est. Vix tamen saluabuntur, quia vt ait Hieronymus, Misericordia Dei egebũt, qua iustificentur.

Lib. 1. cont. Pelag.

Tunc responderunt ei quidam de scribis, & Pharisæis dicentes, Magister uolumus a te signum uidere De cœlo, per quod cognoscamus te virtute dæmonis non vti, quò dæmon pertingere nequit: & ita clarè & certò sciemus, an in miraculis tuis dæmonis arte vtaris. *Qui respondens ait illis, Generatio mala & adultera signum quærit, & signum nõ dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.* Adulteram generationem vocat, quia Deum verũ maritum suum deseruit, atque dæmonibus se prostituendam tradidit. Signum dabitur illi non quale petit, idq; in pœnã infidelitatis suæ, sed aliquid pro signo quod sit prorsus admirabile, & incredibile, ex quo magis impinget, ac infidelior euadet: quod in Iona propheta per demersionem in ventrem cœti, & ab eo in terram eiectionem figuratum fuit. Tunc de cœlo signum contigit, quando adimpleri cœpit quod per Ionam prophetam adumbratum fuit. Etenim tenebræ factæ sunt super vniuersum orbem, quum Christus pateretur. Debuissent ergo ipsi maximum miraculum experti, minus nequaquam aspernari: mos enim scripturę est minus mirabilia per mirabiliora probare: quæ quidem probatio fidelibus prodest, infidelibus obest. *Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Sic ego tribus diebus sepultus ero in terra, & quẽadmodum ille post triduum in aridam restitutus est, sic ego post triduum viuus, & glorificatus resurgam. Obseruandum est morem scripturarũ esse resistentibus fidei mirabiliora proponere, vt ex talibus, vnde meritò fieri deberent fideles fiãt longè infideliores. Dicitur autem tribus diebus, & tribus nocti-

noctibus in sepulchro fuisse synecdochicos, pars namq; pro toto ponitur: ita vt prima die sepulturę sit extrema pars feriæ sextæ, in qua saluator sepultus est: secunda, nox sabbati sequentis cum suo die id est cum sabbato: tertio, verò, nox dominicæ diei cum principio eiusdem diei. Hîc vide Hierony. super Ionam, Augustinũ lib.3. de consen. euangelist. & lib.4. de Trinitate. In ca. Ionæ Cap.24 Cap.6.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eum. non quidem tanquam iudices, sed ex comparatione. Improperat Iudæis magnã incredulitatem, & duritiam cordis. *quia Niniuitæ egerunt penitentiam.* ad prædicationẽ Ionæ, talia miracula non operantis. *Et ecce plusquã Ionas hic*, id est, in hoc loco: Incomparabiliter maior sum Iona propheta, & tamen prædicatione mea ad pœnitentiã suscipiendam non excitamini: Hinc patet quænam vera sit pænitentia, quam Christus prædicauit: eãdem siquidem cum Iona, & ceteris prophetis prædicauit, quam susceperunt Niniuitæ, qui à via sua mala recedentes duram in sacco & cinere vitam amplexati sunt: atq; hanc à Iudæis Christus suscipi voluit. Ex hoc loco secundo colligimus, quod iudicium simul cum resurrectione mortuorũ sit peragendum. Tertiò, quod iusti cum impijs simul tempore resurgent. Vide Augustinum de ciuitate Dei lib.20.c.5.

Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, id est, Regina Saba. Saba regio est Iudæis ad meridiem. *Et condemnabit eam*, scilicet per comparationẽ, *quia uenit a finibus terræ audire uerba Salomonis*, id est, Ex longinquis regionibus venit, vt de lapidibus, herbis, volucribus, varijsque rebus naturalibus quęstiones proponeret. *Et ecce plusquam Salomon hic.* Ego scilicet cuius sapientiam contemnitis. Quod hîc de Niniuitis, & malis Iudæis dicitur, de sanctis 3. Reg.10

veteris testamenti, qui pœnitentiam egerunt,& de Christianis impœnitentibus dici potest, qui aperto iam fonte gratiæ,ac omnibus elucente pœnitentiam agere noluerũt.Quod verò de Regina Austri, & Iudæis dicitur:de gentibus,Romanis,Turcis,& Christianis sęculo deditis, dici potest:quia videlicet tot tantósq; labores pro terrena Rep. , pro augendo imperio, pro sęculari gloria adipiscenda illi pertulêre, cùm mali Christiani ne exiguos quidẽ

cap.13 serm.b

pro cœlesti regno & gloria subire dignantur. Pulchrè id tractat August. libro.5. de ciuit. Dei. Cyprianus verò sermone de eleemosy.inducit diabolum etiam in iudicio exurgentem, condemnantẽ eos qui ipsi potius nihil pro ijs passo nihil bóni donanti,nihil pręmij pollicẽti gratis seruire maluerĩt, quam Christo redemptori,omnium bonorum largitori,æternámq; vitam proponenti. Mysticè Niniuitæ pœnitentes significant,vel gentes Iudæis ex cœcatis ad pœnitentiam conuertendas. Regina Austri ecclesiam catholicam significat, quæ verè regina est,atq; ex omnibus terræ finibus ad Christum tanquam verum Salomonem id est pacificum diuinam eius sapientiam auditura aduenit.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine. Gręci de homine accipiunt corporaliter à dæmone ob-

Aug. lib. 1. quæst. euã. q. 8. & epi. 105.

sesso: Augustinus spritualiter de homine videlicet impio intelligit, quod & faciliùs est & cõmodiùs. Est ergo hęc secundùm eũ sententia:Cùm immundus spiritus,per gratiam sancti spiritus ,& peccatorum remissionem, veramque pœnitentiam à corde impij alicuius , eiectus est. *circuit*, in cordibus iustorum commorari cupiens. Loca enim arida iustorum hominum corda sunt,nihil molle , vel dissolutũ habentia. *Quærens requiem & non inuenit* id est non permittitur à Deo, eorum corda intrare.

Tunc dicit, reuertar in domum meam unde exiui. oc-

cupa-

cupabo rursum illius hominis cor vnde eiectus sum. *Et veniens* per tentationes scilicet, *inuenit eum uacantem*, non habẽtem spiritum sanctum stabiliter inhabitantem, bonis operibus parum diligenter instantem, vanis potiùs curiosisque deditum, qua de re consule Basilium in illud psalmi, vacate & videte quoniam ego sum Deus: *scopis mundatam* hoc est, foris & exterius tantum. externis quibusdam obseruationibus deditum quibus iustus & sanctus hominibus apparet, de interno autem & vero coram Deo ornatu minimè sollicitum. *Tunc uadit & assumit septem alios spiritus secum* aliquot alios dæmones: In scripturis siquidem frequenter septenarius numerus pro magna multitudine, &, septies pro sæpe ponitur. *Nequiores se*, ad maiora peccata pertrahentes: Possent etiam septem spiritus nequiores, maiora peccata mortalia sepem, donis contraria septem spiritus sancti intelligi: quæ quidem etiam homo priùs habebat, sed nunc à primo spiritu assumi dicuntur, & spiritus esse illo nequiores, quia iam vitia illa in eo regnant ac dominantur sub specie simultatæ iustitiæ. Multò autem peius est iniquum esse, & simulare iustitiam, quam apertè præferre. simulata enim æquitas duplex est iniquitas. *Et intrantes habitant ibi*: octo nimirum illi spiritus. Psal. 45

Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus, longè etenim melius fuisset nunquam ab immundo spiritu liberatum fuisse, quam post liberationẽ rursum ab eodem spiritu occupatum esse. Ex hoc loco docemur hominem iustum tentationibus euictis, rursus tentari posse, atque à gratia Dei excidere, nullámque de perseuerantia in hac vita promissam esse securitatem: vnde dicitur, Noli altum sapere, sed time: vt, Qui stat, videat ne cadat. *Sic erit & generationi huic pessimæ.*

Eodem planè modo quo cum homine isto agitur cum gente Iudaica agetur. Chrysostomus de temporali Iudæorum miseria intelligit, eo quod Romana seu hodierna captiuitas longè durior sit, quã vlla captiuitatum quas passi sunt. Iudæi qui olim in AEgypto, Babylone, inter Syrios captiui fuêre. Hieronymus in commentarijs, de spiritali eorundem miseria intelligit. Immundus igitur spiritus à Iudæis exiuit, quando de AEgypto educti sunt, & lege accepta amplius idolis AEgypti non seruierũt: eiectus autem ab ipsis per gentium solitudines ambulauit: posteaquam verò gentes Domino credide runt, in ipsis stabilem sedem non inueniens ad Iudæos reuersus eos habitatore spiritu sancto desertos, sine fide Christi superfluis legis obseruationibus, atque externis Pharisæorum iustitijs deditos reperit, vnde in illis sedem fixit, & pristinam domum inhabitauit: & sic facta sunt nouissima peiora prioribus, quia videlicet multò majore dæmonum numero possessi sunt in synagogis suis Christum blasphemantes. Quod hîc vni generationi tribuitur, toti hominum generi tribuendum existimetur, iuxta illud, deleantur de libro viuentium & cum iustis non scribantur.

Adhuc eo loquente ad turbas ecce mater eius. Virgo Maria. *Et fratres,* id est, consobrini. *Stabant foris quærentes loqui ei.* Præ nimia turba enim non poterant eum conuenire. Fratres in sacra scriptura quatuor modis intelliguntur. Primò natura, sicut Iacob, & Esau. Secundò, religione, quemadmodum omnes Christiani. in qua significatione Apostolus Paulus ferè semper vsurpat. Tertiò, natione, vt omnes Iudæi. Quartò, cognatione, veluti Loth, & Abraham: & hoc modo isti fratres Christi (teste Hieron. cõtra Heluidiũ) nuncupantur. *Dixit autem ei quidã* forsitan nimiũ loquax, aut Christũ tentare

volens

volēs vtrum propter parentes carnales doctrinam patris sui relinqueret. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te alloqui.* *Et respondens dicenti sibi ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? & extendens manum in discipulos suos dixit. Ecce mater mea & fratres mei,* id est, Hi discipuli fratres mei sunt. *Quicunque enim fecerit uoluntatem patris mei qui in cœlis est,* id est, mandata seruauerit, *ipse meus frater,* quia filius Dei est, *& soror,* quod addit, propter sexum fœmineum. Vel per fratrem, perfectiores intelligit, per sororem autem, imperfectiores, *Et mater est,* quia me in corde suo, atque in aliorum cordibus per bonam doctrinam, & exempla spiritaliter parit, iuxta illud Apostoli: Filioli mei, quos iterū parturio donec Christus formetur in vobis. Gal.4. Non autem dixit (& Pater meus est) quoniam nullus principaliter eum sic in hominum cordibus gignit, nisi Dominus Deus. Quærendo autem quæ est mater mea, non negauit Mariam esse matrem suam, at docere voluit in matre obedientiam mandatorum Dei se maximè diligere, quodq; nihil prosit quæcunque carnalis affinitas si per mandatorum obedientiam syncera nō adsit Dei propinquitas. Consule Augustinum lib. de sancta virginitate cap. 3. 4. & 5.

IN CAPVT DECIMVMTERT.

A*ccedentes discipuli,* tāquam verborum Christi obseruantissimi, *dixerunt ei. Quare in parabolis loqueris eis.* Quare non clarè loqueris ipsis vt intelligant? *Qui respondens ait illis: Quia uobis datum est nosse mysteria regni cœlorum.* Per gratiam diuinam, vobis concessum est doctrinam euangelicam nosse, & clarè per fidem intelligere. *Illis autem non est datum,* qui foris sunt inquit Marcus id est, Iudæis infidelibus iusto Dei iudicio negatū

 est.

est. Hic nontandum est fidem per quam mysteria, seu sacra regni cœlorum arcana cognoscuntur, esse singulare Dei donum: quæ quibusdam misericorditer datur, alijs iustè negatur. *Qui enim habet dabitur ei, & abundabit.* Hoc est, Ideo vobis nosse mysteria datum est, quia donis acceptis bene vtimini, nam, qui habet fidem viuam, &c. donis Dei habitis bene vtitur, meretur abundare, & à Deo maiora accipere. *Qui autem non habet,* scilicet fidem talem, vel habitis donis malè vtatur. *Et quod habet auferetur ab eo,* amittet ea quæ habet. Sic Iudæi quia infideles sunt, & gratia Dei quæ eis offertur abutũtur, intellectum scripturarum quem nunc habent amittent. Dona Dei à non habentibus eo modo quo habenda sunt, auferri cẽsentur, vel quia simpliciter amittantur, vel in malum eis vertantur, dum tantò plus peccant quanto maiora dona acceperunt: atque ita auferuntur, non secundùm substantiam, sed secundùm fructum, & vtilitatem.

Ideo in parabolis loquor eis, id est, obscurè, & non palam, *qui uidentes non uident, & audientes non audiunt, neq; intelligunt:* quia fideles sunt & mihi non credũt cum tãta miracula videant, & tot sermones audiant. Vel sic, Ideo in parabolis loquor, ne ipsi Iudæi mysteria intelligant. *Vt adimpleatur in eis prophetia Esaiæ dicentis,* ex persona Dei ad Iudæos, maximè qui tempore Christi vixerunt, *auditu audietis* plurima ex me & Apostolis meis, corporalibus auribus, *& non intelligetis, & uidentes uidebitis* plurima miracula *& non uidebitis* spiritualibus oculis. *Incrassatum est enim cor populi huius* induratum, excœcatum & obtusum. *Et auribus grauiter audierunt* spiritali auditu surdi facti sunt. *Et oculos suos clauserunt* spiritales: *Nequando uideant oculis* spiritalibus mysteria. *Et auribus audiant,* id est, doctrinam habeant, *& corde intelligant & conuertantur* à via mala *& sanem eos* à peccatis eorum.

Mar-

Marcus hîc habet:& dimittantur eis peccata, quoniam principalis sanationis pars in hac vita est peccatorum remissio, quæ & si sola nominetur, sub ea tamen spiritualium languorum sanatio intelligitur: etenim remissis peccatis elargitur nobis Deus vires sibi seruiendi. Sic iustificatio non tantũ peccatorũ remissionẽ cõplectitur, verũetiam ab internis languoribus sanationem. Christus autẽ indurat alicuius peccatoris cor in pœnam peccatorum.

Vestri autem beati oculi quia vident & aures vestræ quia audiunt. Hoc est, Vos auditu audietis, præmissa etiam cœlesti visione. Istud (auditu audietis & non intelligetis) à quatuor Euangelistis studiosè repetitum est, & in actis, quia supra modum admirabile fuit Deum Christum hominem in propria venientem tot factis miraculis, etiam clara doctrina proposita à suis non esse receptum. Ne quis ergo inde scandalizaretur dicit quod prophetæ prædixerũt & præcipuè atque oĩm apertissimè Esaias. *Cap. ultim.* *A c. 6. usq; ad 12.*

Beati oculi vestri spirituales, quia vident doctrinam fidei, & aures vestræ spirituales, quia audiunt, credunt, & intelligunt. *Amen quippe dico uobis, quia multi prophetæ, & iusti cupierunt uidere quæ uidetis* id est, in particulari cognoscere voluerunt ea quæ in mea quotidiana doctrina, conuersatione, & miraculis videtis, & intelligitis, *& non uiderunt* exactè, & clarè sicut vos. Dionysius Carthusianus etiam de carnalibus oculis intelligit, Hieronymus verò tantum de spiritualibus.

Vos ergo audite parabolam seminantis. Vos parabolæ expositionem audiatis, quibus datum est nosse regni Dei mysterium. *Omnis qui audit uerbum regni*, id est, euangelij, quod regnnm Dei annuntiauit, significaturque per semen: per seminantem prædicator, vt patet ex Marco capite quarto, & Luca capite octauo *& non intelligit* fide scilicet, *uenit malus*

id est,diabolus,qui malus dicitur,quiq; in parabola per volucres cœli designatur, *& rapit quod seminatum est in corde eius*,efficit,vt homo verbi Dei obliuiscatur, & de eo ampliús non cógitet:ne credens saluus fiat. *Hic est qui secus uiam seminatus est*. Talis homo cui ista contingunt,designatur in parabola per eam parté agri,quæ secus viam semen excepit. Diabolus communiter maximè studet in hominibus infidelitatem operari,ne per mediatoris fidem
Epist.107. salui fiant. Quod pulchrè tractat Augustin. ad Vitalem. *Qui autem super petrosa seminatus est*,per illā partem agri quæ petrosa est,& super petras semen excepit designatur ille, *qui uerbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud*,per veram fidem sed in ea non est stabilis,ac robustus:*non habet enim in se radicem, sed est temporalis*,id est,ad certum tempus in corde suo recondit,quamdiu aduersitate nulla quassatur:*facta autem tribulatione,& persequutione propter uerbum* quę peræstum solis designatur,*continuo scandalizatur*, statim corruit,fidem acceptam deserens. *Qui autem seminatus est in spinis*, is designatur per partem agri, vt suprà.Spinæ sunt diuitiæ fallaces quæ hominibus pollicentur,quæ præstare nequeunt. *Et solicitudo sæculi istius*,id est,curæ huius vitæ pro obscænis voluptatibus,& similibus. *Et fallacia diuitiarum*,quę per spinas designantur,*suffocant uerbum & sine fructu efficitur*.Hæc omnia efficiunt vt non vacet, nec lubeat circa verbum Dei occupari,ac proinde nullus verbi Dei fructus prouenit.Lucas habet diuites à solicitudinibus,& diuitijs,& voluptatibus vitæ eũtes suffocantur,& non referunt fructum. *Qui uero in terram bonam seminatus est*,id est,qui in corde bono, ac stabili recipit semen,*hic est qui audit uerbum,& intelligit,& fructum affert* non temporalem,quemadmodũ cæteri,sed æternæ vitæ, & Lucas ait in patientia:
Luc.8 Quoniam premente persequutione ei vrgēte pauperta-

peſtate apparet cordis conſtantia. Circa iſtas parabolas ex Hieronymo duæ regulæ obſeruandæ traduntur: quarum prior eſt, Cauendum eſt vbicunque Dominus exponit ſermones ſuos, & à diſcipulis ſuis rogatus intrinſecus diſſerit, ne vel aliud vel plus quid velimus intelligere, quàm ab eo expoſitum eſt. Hęc regula ſeruit parabolis ab ipſo expoſitis. Poſterior eſt, Nunquam parabolæ, & dubia ænigmatum intelligentia poteſt ad authoritatẽ dogmatum proficere. Hoc eſt, Quandocunque ſaluator exponit verba ſua, debemus eius expoſitione eſſe contenti, & ſecundò dum dubia eſt alicuius parabolæ expoſitio, ſicut præcedentis de fructu centuplo Virginum, eam exponendo nunquam ex vna expoſitione licebit ſtatuere dogma: vt ex ſubiuncta expoſitione Hieronymi non licebit ſtatuere quod omnes virgines caſtis coniugibus triplo plus ſint habituræ, quia non omnes Doctores eam expoſitionem amplectuntur, nam Hieronymus tribuit virginibus centecuplum fructum, ſeu numerum diuinæ gratiæ, viduis ſexagecuplũ, caſtis verò coniugibus trigecuplum. Cyprianus verò, & Auguſtinus aliam præterea tradunt expoſitionem. Verum non ſignificatur hîc niſi varietas donorum Dei ſub quibus aliæ numeri differentię, vt octo, duodecim, &c. intelliguntur, quemadmodum ait Auguſtinus: Lucas autem tantum poſuit centuplum, alias numerorum differentias intelligendas relinquens.

In comment.

Cypr. tract. de habitu virginum. Aug. lib. 1. qu. euange. cap. ~~10. &~~ 9. ~~lib. quæst. super matth. cap. 11~~. & li. 21. de ciuit. Dei ca. ult. Lib. de ſancta virg. c. 45. & 46.

Aliam parabolam propoſuit illis dicens, Simile factum eſt regnũ cœlorũ homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Regnum cœlorũ populus eſt in quo regnat Deus, ſiue ille in cœlo agat, ſiue in terra peregrinetur: in quo etiam ſecundùm quandam commixtionẽ mali, & reprobi permixti ſunt. In parabolis autem nũc reſpicitur electus populus in tertis agens, nunc

verò

verò reprobus electis permixtus: vt patet ex D. Augustino. Notanda est hæc phrasis, Simile est regnum cœlorum homini &c. atq; hoc modo exponenda. Sic agitur in regno cœlorũ, sicut si esset homo &c. Vel, sic agitur circa regnũ Dei cœlorũ, vel sic est regnũ Dei. Marc. sic habet, Sic est regnũ Dei, quẽadmodũ si homo iaciat sementem in terram, & dormiat. Homo iste seminans est Christus & ager est mundus, quemadmodum in secunda parabola exponitur. Seminauit autem Christus quãdo suos discipulos in vita instituit.

Aliam parabolam proposuit eis dicens: simile est regnum cœlorum grano sinapis. Granum sinapis est doctrina euangelij, & fidei, quæ, quodammodo vilissima, & præ omni doctrina mundi infima videbatur, dum videlicet per paucos, eosque contemptibiles homines omnibus aduersantibus de crucifixo Deo prædicabatur. *Quum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor,* id est, creuit suprà omnem doctrinam quorumcunque philosophorum, & ramos suos per totum orbem extendit, *ita ut uolucres cœli ueniant, & habitent in ramis eius*, id est, vt viri docti, & prudentes spem suam, & conscientiæ requiem per illam doctrinam sic dilatatam confirment. Rami etiam diuersa religionis dogmata intelligi possunt, in quibus docti acquiescunt, per illa religionem firmantes, & sibi domum in cœlo ædificantes.

Aliam parabolam loquutus est eis, simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Satum inquit Hieronymus est genus mensuræ iuxta morem prouinciæ Palestinæ, vnũ & dimidium modium capiens. Meminit etiam scriptura etiam Genesios. Positum autem videtur pro mensura, quanta vulgò & communiter panis coquitur. Sẽsus au-

Genes. 18

ſus autem huius parabolæ eſt, Quemadmodum fermentum modicum abſconditum à muliere in tribus ſatis farinæ ſtatim totam farinam fermentat, vt ex ea panis ſapidus fieri queat, ſic vis doctrinæ Euangelicæ ſubito (quanquam nunc lateat) ita homines tranſmutabit, vt quodam modo diuino ori ſapidi reddantur.

Et ſine parabolis non loquebatur eis. Nunquam, aut rarò præſertim turbis niſi parabolicè loquebatur. Tum quia illis multa per hoc occulta relinquebat, tum quia rudes ſic poterant audire, vt explicat Marcus. Qua de re vide Auguſtinum & Hieronymum dicentes, ideo ſine parabolis Dominum non fuiſſe loquutum, quoniam morem Syriorum, & maximè Paleſtinarum qui in parabolis loquebantur, *ſuper Mat. lib. 4. c. 15. In 18. cap. Matth.*

Vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum. Hoc dictum eſt Pſalmo ſeptuageſimo ſeptimo in quo Chriſtus loquitur, Neque enim pater, vel Spiritus ſanctus dicere poteſt, Patres noſtri narrauerunt nobis, at ſolus Chriſtus. Nec loquitur Aſaph, vel Dauid in ſua perſona, quum neuter eorum populo verè dicere poſſit, attende legem meam: nam ipſe non tulit propriè populo legem quā ipſe vult audiri. Ex hoc loco cōſtat hiſtorias populi Iſraëlitici eſſe figuras, & parabolas, vt rectè annotat Hieronymus. Idem hîc refert libros quoſdam habuiſſe *Eſaiam prophetam*, videri tamen ſibi ait ab Euangeliſta ſ[illegible]um *Aſaph prophetam*, vitio autem ſcribarum libros eſſe corruptos. Cōmentarius autem in præfat. Pſal. 77. Hiero. inſcriptus annotat Porphyrium calumniatum eſſe hunc locū Matthæi quod Eſaias hæc verba non haberet, vnde intelligimus exēplaria tūc tēporis Eſa. nomē habuiſſe. Idē cōmētarius dicit ca. 37. Math. pro Ierem. legendū Zach. prophe.

Sed

Sed quæritur quomodo alleget & iſtud Matthæus dictum de iſtis parabolis, quum videatur pſalmus tantum de hiſtorijs populi Iſraëlitici loqui? Reſpondeo, Videtur ipſe Chriſtus loqui populo Chriſtiano Iudaico, Gentili, atque promittere quod in multis parabolis eis loquetur, exponendo videlicet myſticè veteres hiſtorias, & alias parabolas: vtrumque autem compleuit, atque proinde benè hic Euangeliſta allegauit. *Eructabo abſcondita a cōſtitutione mundi.* Vertit Hieronymus ænigmata antiqua, id eſt, quæ antiquis contigerunt, vel ignota fuerunt. Etiam parabolæ Chriſti antiquitus dicũtur contigiſſe, vel antiquæ quod res per parabolas eius ſignificata ab origine mundi eſt præſignata: quemadmodum agnus ab origine mundi dicitur
Apoc.13. occiſus. Auguſtinus aliter interpretatur, ſed mi-
Pſal.77 nus appoſitè.

Ager, eſt hic mundus. Quomodo Chriſtus in agro ſeminauit, an quia in Iudæa prædicauit, quæ mundi pars eſt, an potius quia gratia ſua per totum mũdum electos, ſiue filios regno deſtinatos ſeminauit? *Inimicus autem qui ſeminauit ea diabolus eſt.* Hic ſeminauit impios dum primo parenti peccatum perſuaſit, in quo omnes nequam facti ſunt: & quotidie ſeminare non deſinit, dum multos ad malum inſtigat. *Mittet filius hominis angelos ſuos*, ergo ſeparatio impiorum, & in infernum detruſio per bonos angelos fiet. *Tunc iuſti fulgebunt* corporali fulgore, vt declarabitur in cap.17. De transfiguratione Dominica.

Qui habet aures audiendi audiat, & hoc loco, & in Marco, & in Apocalypſi patet non ſemper verum
Mar.7. eſſe quod vbi Saluator adijcit (qui habet aures &c.)
Apoc.2. ſemper myſticè loquatur: quam regulam tamen dicitur Beda ponere. Sed cur iſtud Apoſtolus dixerit, an fortè quia Iudã tangebat, examinari poteſt.

ſimile

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Thesaurus est æterna gloria quæ nunc abscondita est in Christo passo,& sepulto tanquam in agro, *quem qui inuenit homo* per fidem credens se per Christi passionem posse ad cœlum peruenire, *abscondit*, ne per inanem gloriam perdat, *& præ gaudio illius uadit, & uendit uniuersa quæ habet, & emit agrum illum*, parui pendens vniuersam suam substantiam,vt in regno Christi sibi immortalem coronam comparet.

Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori. Negotiator est homo,fœlicitatis complementum quærens, & per fidem bonam margaritam inueniens quæ est regnum cœlorum.

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare. Sagena Ecclesia est.Mare mundus est: Nec triumphi cantica canere potest Ecclesia, nisi inserantur qui prædestinati & præordinati sunt in illa. *Elegerunt bonos in uasa*,id est, angeli eos inducent in regnum,quia eos vocabunt ad iudicium.

Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, etiam. Ait illis. Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorũ similis est patrifamilias. Quia vos parabolas dictas intelligitis, patet quod magistri in Ecclesia futuri sitis,& mihi patrifamilias similes futuri qui profero de thesauro meo noua,& vetera,id est,qui omnis generis parabolas ex scientiæ thesauro tam ad veterem hominem quã ad nouum pertinentes proferre possum.

Et factum est, cum consummasset Iesus parabolas istas, transijt inde,& ueniens in patriam suam Nazareth, vbi fuit conceptus,& nutritus. *Docebat eos,in synagogis eorum*,id est,Nazarenos, *Ita ut mirarentur,& dicerent unde huic sapientia hæc,& uirtutes?* Vnde hanc nactus est sapientiam,quum nunquam literas didicerit? Iterum, vnde miracula faciendi potestatem habet:cũ sit ex ignobili genere. *Nonne hic est fabri filius*: ob

fami-

familiam contemptus. *Nonne mater eius dicitur Maria?* Vilis mulier, quam omnes nouimus, *Et fratres eius Iacobus & Ioseph* consobrini. *Et Simon & Iudas* Ciues nostri, *& sorores nostri eius nonne omnes apud nos sunt,* id est, Nonne nobis notæ sunt quum ciues nostræ sint? *Vnde ergo huic omnia ista?* Quare ita præ nobis se extollit? *Et scandalizabantur in eo,* coruebant spiritualiter dum propter familiæ vilitatem contemnerent eum. Hilarius in hunc locum, & Ambrosius super Lucam. Item Beda in Marcum putant Ioseph fuisse fabrum ferrarium: verum Chrysostomus super primum caput huius Euangelij dicit fuisse fabrum lignarium, cui Diuus Augustinus in quodam sermone de natiuitate Domini consentit, vtrique tamen rationibus mouentur: Illi siquidem dicunt Christum mysticè verè fuisse fabrum ferrarium: etenim igne sancti spiritus excoxit, & emolliuit dura corda Iudæorum. Isti verò fabrum lignarium, quod in ligno crucis genus humanum redemerit: vel quia cum patre suo cœlesti mundum, arcam, &c. fabricauit. Marcus expresse habet, nónne faber est? Vnde putarunt forsitan fabrum esse, quoniam pater erat, vel fortasse, quia eum cum patre fabricare conspiciebant.

Iesus autem dixit eis, Non est Propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua. Quasi dicat, quod me contemnatis qui in veritate Propheta magnus sum non est mirum, quoniam ab antiquo fieri consueuit, vt Prophetæ in patria propria cognatione, & domo quantumuis alibi sint honorati contẽnãtur. Quod autem Christus Propheta fuerit patet ex Deuteronomij capite decimo octauo. Hunc locum latiùs exponit Lucas qui historiam hanc, vt inquit Augustinus anticipauit libro secundo de consensu euangelistarum capite quadragesimo secundo.

eundo. Huius autem contemptus ratio est, quia nemo libenter patitur suum consortem exaltari. Inter pares regulariter inuidia nascitur, non autem inter multum distantes. Ciues autem ratione communitatis pares esse videntur, vnde communiter ciuis ciui inuidet.

IN CAPVT DECIMVMQVART. Matthæi.

IN *illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu.* Hic Herodes est filius magni Herodis, de quo suprà: & dicitur Herodes tetrarcha, quia à Cæsare Augusto princeps quartę partis Iudeę, id est, Galileæ constitutus erat: Cæsar namq; Augustus Iudaicum regnum vt eius vires distraheret, in partes quatuor diuisit, vt discere licet, ex Iosepho, & Eusebio. Pilato tanquam Romanorum procuratori Iudæam tradidit. Philippo fratri Herodis Iturę am & Trachonitidem. Lysaniæ Abilinam regionē, vt ex Luca patet: *ait pueris suis*, seruis suis, *Hic est Ioannes baptista.* Annotat Aug. istud dupliciter legi posse, affirmatiuè videlicet aut interrogatiuè. *Ipse surrexit a mortuis, & ideo uirtutes operantur in eo.* Id est, quia surrexit à mortuis, virtutem miraculorum, quæ ab ipso fieri audiuimus accepit. Stulta Herodis opinio, qui putauit Deum vnicū habere seruū, quo defuncto alium, cui talem miraculorum potestatem daret suscitare non posse. Vnde etiam patet eum esse opinatum potentiores fore homines, post resurrectionem, quam ante.

Iose. lib. 17 ant. ca. 13
Lib. 1. eccl. hist. ca. 10
Luc. 3.
Lib. 3. de cō sen. euang. cap. 6.

Herodes enim tenuit Ioannem & alligauit eum hinc patet euangelistas ex proposito historiam Ioannis non recitare sed tantùm Christi: quamuis data occasione ex Christi factis aliquid de Ioanne interserant. De hac historia vide Eusebiū, qui Iosephū sequu-

Lib.1.hist. c.13. Lib.18.antiq.cap.7 & 10.

sequutus meliùs eam recitare videtur quàm Hieronymus vel Beda, In qua tamen delenda est vox, herodiadem, neq; enim illa Arethi regis filia fuit, sed prior vxor repudiata. Cæterùm senior herodes plures vxores habuit, ex quibus multos suscepit filios, scilicet Archelaum, Bysaniã, Philippum Aristobolũ, & herodem istum propter Herodiadẽ vxorem fratris sui, propter flagitium istud, aliaq; scelera eius. *Et uolens illum occidere*. Ex hoc loco intelligimus simulatam esse herodis tristitiam cuius infrà fit mentio dictumq; hoc ab Euangelistis non ex ipsorum sententia sed secundum vulgi opinionem. *Die autem natalis Herodis saltauit filia herodiadis in medio*. Tres omnino in scripturis, natalem diem celebrasse leguntur, sed quem cæde & scelere aliquo defœdarint: Pharao enim pistorum magistrum eo die in crucẽ egit: Anthiocus Epiphanes Iudęos ad idolatriam compulit. Tertius est herodes iste, qui tunc tẽporis Babtistæ sanguinẽ effudit, filnestumq; spectaculum cõuiuio intulit. *Et placuit Herodi*. quia erat meretricula. *Da mihi inquit, hic in disco caput Ioãnis Baptistæ*. Refert Hieronymus in hunc locum de Flaminio quodam, qui & ipse ob delicias suę meretriculæ innocentem quendam occidi iusserit. Obseruandum hîc quod & Beda annotauit passum esse Ioannem sub paschæ festum proximo ãte Christũ anno. Etenim miraculum de satiatis quinq; hominum milibus quod paulo post mortem baptistæ accidit, factum ait Ioannes proximo iam paschæ festo. Vnde festum decolationis Ioannis baptistæ, non celebratur eo die quo passus est, sed quo fuit caput eius reuelatum ac inuentum videlicet quarto Calendas Septembris. Etenim corpus à discipulis sine capite sepultum erat in Samaria Palestinæ oppido, quod posteà in Augusti honorem Sebaste appellatum est. Vbi quum ab Ethnicis Iuliani tem-

De his uide Iosephum antiq.lib.17 c.1. & li.18 cap.6

Gene.40 2.Mac.9.

Marc.6.

temporibus violatum eius esset sepulchrum, viri aliquot religiosi collectas reliquias Alexandriam Athanasio detulêre. Qua de re consule historiam Ecclesiastic. & tractatum inter Cypriani opera de reuelatione capitis B. Ioannis Baptistæ. *Quod cum audisset Iesus, secessit inde in nauicula in locum desertum seorsum* Vt in aliquo pago requiesceret. *Et cum audissent turbæ sequutæ sunt eum* pedestres de ciuitatibus, vel vehiculis :tantummodo enim vult dicere quod nauigio eum non sequebantur : atque pars hæc poni debet post (secessit inde in nauicula.) *Et cum iussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus & duobus piscibus, aspiciens in cœlum, benedixit & fregit & dedit discipulis panes.* Ista benedictio fuit simul gratiarum actio, & panum ac piscium: aut pluribus benedictionibus vsus est, vna, qua patri gratias egit, altera qua benè precatus est, pisces ac panes multiplicando. *Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos* .. Ex panibus videlicet & piscibus prædictis qui sunt multiplicati, aut in manibus eius & discipulorum, aut ipsorum manducantium. Simile quiddam factum legimus ab Helia, dum farina & lenticula olei non defecit. Rursum ab Helizeo in multiplicatione olei & panum. Quomodo autem istud factum sit, an per additionem vel extensionem materiæ & in seipsa multiplicationem, an verò per hoc quòd res eadẽ fuerit in diuersis locis tractat D. Thomas, in prima parte, primum tantum huius multiplicationis approbans modum. In additione tertiæ partis impossibile existimat idem corpus in diuersis esse locis: Verum Scotus, & alij putant hoc esse impossibile.

Li. 11. c. 28. *authore Rufsino.* Tom. 1.

3. Reg. 17. 4. Reg. 4

A *quæ. 42. art. 3. ad primum & qu. 119. art. 1 Quæst. 81. art. 3. In 4. sentẽ.*

Durandus autem impossibile esse putat, vt duo corpora in eodẽ simul sint loco. Sed nõ est temerè neque facilè de potentia diuina dicendũ quod

fit ei aliquid impoſsibile, præſertim cum non videamus contradictionem hic aliquam implicari. Non enim inconueniens videtur quod vna anima duo diuerſa corpora in diuerſis locis, ſicut in diuerſis membris informet: vnde etiam omnino improbabile non eſt vnum idemq; corpus diuerſa loca occupare poſſe. Alij dicunt, quod quantum ex piſcibus, & panibus frangebat, tantũ ex additione nouæ materiæ emergebat. Auguſtinus verò & D. Hieronymus putant panes multiplicatos fuiſſe, quemadmodum paulatim ſegetes multiplicantur in agro, ita vt panes fuerint ciborum ſemina. Chriſtus igitur ſaluator noſter volens mundo quædam ſalutaria remedia tradere, nouas quaſdã, ac celebres figuras, tanquã quaſdam manuductiones etiam in noua lege præmiſit: Licet enim typi quidam in lege Moyſi præceſſerint, & in quotidianis Iudæorum cæremonijs, voluit tamen hæc nouis excitamentis ſignificare, quòd antiquæ legis figuræ ob antiquitatem, aut frequentationem nimiam vileſcerent. Vnde quanquam baptiſmus tranſitu maris rubri, tranſitu ſub nube, tranſitu Iordanis, mundatione Naaman, Syri lotionibus legalibus fuit præſignatus: tamen his non obſtantibus Chriſtus circa ſua tempora nouos baptiſmo ſuo typos præmiſit, videlicet Ioannis baptiſmum, ægrotorum in probatica piſcina ſanationem, cœci nati per ſputum, & lotionem in Siloe illuminationem. Similiter quamuis manna quo Iſraëlitiæ quadraginta annos in deſerto paſti ſunt, & aqua de petra fluens, & panes propoſitionis Euchariſtiæ ſacramentum ſignificauerint. Idem tamen Sacramentum hac cibatione multorum milium ex paucis panibus Chriſtus præſignaſſe videtur. Vnde & huius miraculi occaſione apud Ioannem de corpore ſuo diſſerit, oſtendens propte-

Aug. in 6. ca. Ioan. in commẽt.

Exod. 13. & 14. Ioſue. 4. 4. Reg. 5 Ioan. 5 Ioan. 9 Exo. 16. 17 20. & 25

Ioan. 6.

propterea se hoc minus miraculnm fecisse, vt sibi docenti maius miraculum de sacramento Eucharistiæ crederetur. Et certè commodissimus est ad hoc iste typus: quemadmodum enim Christus panes benedictione multiplicauit, ita & per benedictionem sacramentum Eucharistiæ conficitur: & sicuti ex paucis pusillæ quantitatis panibus tot milia hominum vt nulli quicquam deesset, refecta atque satiata sunt: ita etiam Christi corpus in diuersissimis locis à tot hominum millibus integrum quotidie sumitur, eoque plenè eorum animæ satiantur.

Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam. Hoc est, ascendere iussit. Dicuntur autem compulsi, quia inuiti ab eo recesserunt. *Et dimissa turba* quæ eum in regem rapere conabatur. *Ascendit in montem* fugiendo eam. *Solus orare.* Solus orauit sine discipulis nôs instruens quod quandocunque fugæ causa præbetur, aut exaltationis fastigium offertur, ad orationem esse confugiendum.

Vespere autem facto solus erat ibi, ex consuetudine enim in oratione pernoctare solebat. *Quarta autem uigilia noctis,* id est, extrema parte videns eos in remigando laborare, ac periclitari cum tota nocte solum stadia quindecim vel triginta remigassent, *venit ad eos.* Nox apud milites in quatuor partes diuiditur, quibus diuersi milites (sicut adhuc hodie in castris, & arcibus fit) vigilabant. Quod autem quarta vigilia noctis ad eos venerit mysticè significat se in fine sæculi cū Ecclesia plurimum erit turbata, ac agitata subuenturum.

Ambulans super mare procellosum, ac tēpestate plenum æquè stabiter, atq; si terrā calcasset, idq diuina sua potentia: quam etiam in sua ascensione, & transfiguratione ostendit, præsignādo claritatē quā

electorum corpora in resurrectione sunt habitura, non enim in corpore eius qualitates secundę, vires suas exercebant. Hæc Christi super aquas ambulatio facta non est arte aliqua; nec aquis solidatis vel induratis. Nec caruit Christi corpus (vt Episcopum quendam Theodorum nomine asseruisse, author est Beda in Marcum scribens) pondere suo: vtpote Petri cæterorumque corporibus simile: sed factum est virtute diuina vt graue cum esset, non exereret tamen grauitatem suam, & naturalem pōderositatem, hoc typo nobis ostēdens, quanta gloriosi corporis futura sit agilitas. *Quia phantasma est* spectrum, & apparentia quædam. Hic significantur illi qui in fine sæculi de Christi aduentu, id est, vtrum ipse aduenerit, & homo factus fuerit du-
Lib. 1. quæ. euang. c. 15. bitabunt, vt Augustinus ait. *Et præ timore clamauerunt* territi propter fantasma quod se videre arbitrabantur. *Ego sum nolite timere.* Quando Dominus vult subuenire periclitantibus plerumque sinit crescere periculum, in extremo tamen subuenit. *Respondens autem Petrus* cognoscens Christū ex voce, non enim eum videbat clarè quum essent adhuc tenebræ, ac mare fluctibus, & vento turbatū. *Dixit* ardore fidei, non patiens Christi absentiam, vel distantiam: non enim arbitrandum est Petrū hic fuisse curiosum, vel tentasse Christum: simili-
Ioan. 21. ter enim post resurrectionem legimus eum præ magno feruore ad Christum natando venisse. *Domine si tu es iube me uenire super aquas,* Scio te solo iussu mihi idem præstare posse, quod in te habes, vt videlicet ambulare possim super aquas, precor ergo vt me tibi adesse iubeas. Videtur etiam interrogasse, num aquas calcādo subsideret. *Videns uero uentum ualidum,* cuius scilicet impetus, maris excedebat turbines. *Timuit,* tempestatis metu considerationem à potentia Christi auertit, & spe, ac fiducia

ducia infirmatus vtrum Christus esset ei potentiã præstiturus, hæsitauit, non tamen quin posset dubitauit. Nota hic impulsu ventorum quosdã subinde moueri, qui sæpe magna vicêre pericula. *Clamauit dicens? Domine, saluum me fac,* Conuertit considerationem suam ad potentiam, & bonitatem Christi. *Et continuo Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: modicæ fidei quid dubitasti?* Cur de potẽtia mea, & bonitate dubitasti? Cur te euasurum subuersionis periculum hæsitasti, & mersionis metu ita turbatus es? quod si de ea bene sperasses, submersionis periculum non ita timuisses. Bonitas enim & Christi omnipotentia nostræ est spei fiduciæque causa. Non putandum est eum de aliquo fidei articulo, aut Christi doctrina, at tantum, an periculũ euasurus esset hæsitasse: Vnde colligimus sanctos qui frequenter maiora pericula vincunt, à minoribus turbari, & deficere. Deinde discimus spem nostram in turbationibus continuo ad Christum esse dirigendam, atque ab eo auxilium petendum, vt quanquam in multis deficiamus, nullum tamen in inuocatione Christi tanquam in principali defectum habeamus, sed semper dicamus: Domine saluos nos fac. Præterea hinc videmus quam modicæ fidei simus, qui vix quicquam ex fide Petri reseruauimus. Ex hoc quoque apparet Christi, & sanctorum differentia: horum quidem titubantium, Christi firmiter stantis: nam sancti in aliquo dum ambulârunt in hoc turbulento sæculo peccantes defecerunt, Christus autem ab omni peccato alienissimus fuit. *Et cum ascẽdisset in nauiculã,* Christus scilicet & Petrus. *Qui autem in nauicula erant uenerunt, & adorauerunt eum dicentes: uere filius Dei es.* Christum adorantes in naui mysticè eos significant, qui post omnem huius vitæ miseriam facie ad faciẽ Christum videbunt: item eos qui nunc per fidem am-

bulantes eò contendunt. Sic ferè Auguſtinus. De motu autem ſanctorum poſt reſurrectioné tractat idem lib.22.de ciuit.Dei cap.3.Docens corpus glorioſum mox & tanta celeritate futurum vbi ſpiritus volet,quanta velle poterit alicubi eſſe. *Et rogabant eum ut uel fimbriam ueſtimenti eius tangerent.* Hieronymus myſticè per fimbriam veſtimenti humanę naturæ in Chriſto aſſumptionem intelligit, quam fide tangendo ſanantur omnes quotquot ſanantur: vnde hic occultè mùlta miracula narrãtur. *Venerũt in terram Geneſar,* Sine Genezareth quod ſignificat ortus principium. Myſticè ortus illius principium deſignat ortum quo ex miſeria ad requiem tranſlati,modo nouo oriemur.

Lib.1.queſ. euang.c.15. & de uerbis Dom.ſerm. 13.& 14 In commẽt.

IN CAPVT DECIMVMQVINT.

TVnc acceſſerunt ad eum Hieroſolymis Scribæ, ciuitatis Ieruſalem incolæ, vel qui ex illa ciuitate venerant.In tota Iudæa Scribæ habitabant,ſed qui Ieruſalem morabantur cæteris præeminebant. *Et Phariſæi dicentes: Quare diſcipuli tui trãſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim lauant manus ſuas cum panem manducant.* Iſti ad ſingula fercula manus ſuas lauabant. *Ipſe autem reſpondens ait illis,* viciſſim eos accuſans , veráque accuſatione falſam eorũ calumniam refutans. *Quare & uos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem ueſtram,* quinimo ſæpius tranſgrediendum eſſe docetis. *Nam Deus dixit,* præcepit: *Honóra patrem & matrem.* Primò reuerentiam exhibendo, Secundo obediendo,Tertio,in neceſſitate ſubueniendo : Honor namque in ſcripturis tria hæc ſignificat: quæ ſupra modum ſunt honeſta.In primis enim patrem & matrem honore reuerentiæ venerari honorificum eſt.Secundo eis obedire. Tertio ſuſtentationem impendere, de qua Pau-

Paulus: Honora viduas, id eſt, dá illis vnde viuant. 1. Tim. 5.
Item, qui bene pręſunt presbyteri duplici honore digni ſunt, id eſt, duplicem honoré, reuerentiæ videlicet, & ſuſtentationis merentur. De honore obedientiæ idem Paulus: Obedite parentibus veſtris in Domino. Et rurſus, filij obedite parentibus veſtris: per oĩa hoc enim placitũ eſt in Dño. De hoc mandato tractat Thom. prima ſecundæ. *Et qui maledixerit patri uel matri*, id eſt, cõuitio affecerit, vel deriſerit, aut malũ precatus fuerit *morte moriatur*, occidatur. *Vos autẽ* Scribæ, & phariſæi *dicitis*, docetis filios veſtros id quod ſubſequitur. *Quicũq; dixerit patri uel matri*, indigenti *munus quodcũq; eſt ex me tibi proderit* ad ſalutem, ideoq; ſi quid corraſero permittas me offerre Deo, neq; id in tuam ſuſtentationem à me petas. Hæc oratio ecliptica eſt, cuius plurimæ apud doctores ſunt expoſitiones, quarum prima hęc eſt. Quicunq; dixerit munus &c. nõ peccat, ſed bene facit & hoc modo hác orationẽ ſupplendo triplicem aſsignat Hieron. eius expoſitionẽ. Quarũ prima eſt Quicunq; dixerit patri vel matri egenti, & petenti, domũ, O pater munus quod petis ego iá Deo vo-ui, & quodcunq; munus prouenit ex me tẽplo, hoc prodeſt tibi ad ſalutẽ aĩæ tuæ, quapropter nõ debes petere, ſed vt illud offerá permittere. Quicquid enim vouebatur hoc tribus præcipuis Iudæorũ feſtiuitatibus vt patet ex Leuit. offerebatur. Secunda eſt, O pater, putas quod tibi proderit mun⁹. i. tu cõſumes munus quod ego in tẽplo Deo offerre propono? ego certè hoc nõ ferá, nimis etenim magna religione Deũ veneror & colo. Et ſecũdũ hác expoſitionẽ, *tibi proderit*, interrogatiuè ac cum quadá indignatione, vel irriſione legi debet. Tertia eſt, O pater quicquid in tẽplo offero, tibi prodeſt, tuq́; illud conſumis, quoniá in tuũ vertitur cõmodũ. Hoc aũt filius patri dicebat vt pater metu ſacrilegij exigere

Ephes. 6
Coloſ. 3.
Qu. 122. ar. 5. & q. 101. & 108. ar. 6.

Lib.1.quæſ. euang.q.16 nihil auderet. Vnde omnes iſtæ tres expoſitiones coincidunt. Quartam dat Auguſtin. O pater munus quod hactenus pro me offerre debuiſti, amplius offerre non debes, quoniam ad eam perueni ætatem vt pro meipſo iam illud à me petendi occaſionem minimè habes. Verùm hæc expoſitio prima facie non ſatis auariciæ ſcribarum conuenire videtur ex qua hanc traditionē excogitaſſe videntur, cuiuſmodi & aliam excogitarunt cuius infra fit mentio apud Matth.cap.23. Sed Auguſt. cautè ſic expoſuit, non enim ex propoſito de eorum auaritia Chriſtus hic loquitur, ſed eatenus tantum, vt oſtendat eos legem malè exponere. Quinta, & poſtrema. Quicunque dixerit, id eſt, quilibet ſine peccato, ac liberè dicere poteſt &c. vt modus quē grammatici potentialem vocant ſignificetur: atq; frequens eſt in Ethicis Ariſtotelicis eiuſmodi locutio. Verumetiam quomodocunque tandem exponatur, maledictum fuit, & irriſio parentum cōtra reuerentiam illis à filijs ſuis debitam, & præceptam à Deo eorum ſuſtentationem. Tractat D. Thomas quæſtionem, vtrum videlicet liceat filio parentibus, vel eorum altero in arcta neceſsitate relicto, religionem ingredi: reſoluitq; nullo pacto id licere, imò verò ſi quis ingreſſus ſit, egredi poſſe & eis, & alijs in extrema neceſsitate conſtitutis ſuccurrendum, etiam contra præpoſiti ſui voluntatem. At ſi cum religionem ingrederetur, ſatis diuites erant parentes, vt filij opera non indigerent, poſtea verò in arctam neceſsitatem inciderent, putat idem Doctor, hoc caſu egredi eum non poſſe, etiamſi per alios ſuccurrere parentum neceſsitati non queat. Cæterùm Henricus de Gandauo ſentit eſſe tamdiu egrediendum, donec eis prouiſum fuerit. Pro cuius ſententiæ confirmatione allegat 16. cano. Concilij Gangrenſis, qui ſic habet. Si qui filij paren-

[Margin: ſecunda ſecundæ qu. 189.]

[Margin: Quodlib.6. qu.13.]

parẽtes maximè fideles deseruerint occasione Dei cultus, hoc iustum iudicantes esse, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, vt hoc ipsum in eis venerentur quod fideles sunt, anathema sit. Etenim per votum obedientiæ vel religionis nemo legibus naturæ, vel Dei præceptis eximitur ac liberatur: cum ergo ad earum obseruationem ante susceptam religionem teneretur, tenebitur etiam posterius. Obseruandum tamẽ est, quod si parentes arctam necessitatem patiantur, & procul habitent, nullus vxore reclamante ad eos ire, & iuuare potest, quoniam illi se totum dedit, & astrinxit, non aliter quam seruus Domino venditus & deuinctus, qui inuito Domino pro patris sustentatione operari nequit. At religiosus non ita prælati sui seruus est, sed spiritalis filius: nec quando ad sustentandos parentes egreditur, aut Deo, aut prælato suo iniuriam infert, quoniam non aliter seruitium suum eis promisit, quam salua lege naturæ, nec aliter Deus eius promissum acceptauit. *Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam.* Hoc est, secundùm doctrinam vestram honorare non debet.

Et irritum fecistis, destruxistis quãtum in vobis fuit, *mandatum Dei propter traditiones uestras,* præceptum de honorando parentes.

Hypocritæ, id est, iustitiæ simulatores *bene prophetauit de uobis Esaias dicens: Populus hic labijs me honorat,* id est, Scribæ, & Pharisæi, & populus Iudaicus, persuadent sibi se Deum colere, in ore tantum verba iustitiæ habentes. Sub labijs intellige omnia alia exteriora. *Cor autem eorum longe est a me,* negligunt autem emũdare cor, & praua sua desideria, ac proinde verè me non colunt, nec mihi appropinquãt, nam Deo non corpore, sed cordis affectu appropinquatur: vnde quanto quis melior, & sanctior est, tanto magis est Deo propinquior, & Deus illi. *Esa.29*

sine

Sine causa autem sine fructu,& temerè *colunt me docentes doctrinas,& mandata hominum*, quæ prauo, & corrupto suo ingenio sine Dei spiritu effingiunt,& hominibus obseruanda tradunt. Istud ab hoc Euãgelista,& Marco ad sensum, non autem ad literam allegatur: quod frequenter contingit vt manifestum est ex Epistolis Pauli. Atque ex hoc loco patet in-
Isa.29 tellectum huius prophetiæ: Væ Ariel, Ariel, &c. ad tempora Christi esse referendum, & admirabilem gentis Iudaicæ fuisse & adhuc esse cœcitatem, quæ eis, quia verum Dei cultum neglexerunt pro quo superstitionem induxerunt, contigit. Quibus hodie similes sunt qui certas preces vtpote horas canonicas aut alias legunt, sacrum celebrant, aut audiunt, his autem peractis ad pocula, aut peiora sese transferunt, existimantes se optimè Deum coluisse, omniáque necessaria ad salutem absoluisse non curantes interim vt mens per prædicta Deo vniatur, & magis, ac magis emendetur. Mandata hominum sunt quæ homines sine spiritu Dei suopte ingenio prauo ac corrupto effingunt. Tale mandatum, est doctrina ipsius Platonis, in multis religioni nostræ repugnans, tale quoque est, nõ tangere peccatorem. Vnde ex hoc loco impijssimè infert Philippus Melanchthon regulam Sancti Francisci non esse bonam, non enim est illa traditio seu mandatum hominum, sed Dei: etenim regula est & norma per inspirationem spiritussancti à sanctis inuenta ad rectius viuendum & Deo seruiendum: mandata autem hominum non sunt regulæ per sanctos Dei spiritu ad melius seruanda mandata conscriptæ, sed (vt dictum est) proprio ingenio confictæ: quæ vel obseruationes legi diuinæ contrarias inducunt vt Pharisæorum de non iuuandis parentibus, vel ad pietatem nihil faciunt, vt de lotione manuum: vel si ad eam faciunt in illis sum-

ſummã religionis pietatem conſtituũt & ea maioris facientes quam facienda ſunt, vt de fimbrijs, & philacterijs, de menta, & ruta decimata: quæ quidem à Deo præcepta erant vt ad interiorem cultũ mouerent, non autem vt per ſe ſanctificarẽt. Vnde hæc tanquam principalia pietatis officia docere, & interiores cultus, perniciosũm eſt, & mandatũ, atq; doctrina hominum. Quod patet, quia ſancti nunquam ſic docuerunt, nec Eccleſia à tempore Christi in tantum prolabi permiſſa eſt, errorẽ. Et quod hæc tam diuerſa in religione viuendi genera inſtituit, inſtinctu & ſpiritu Dei hoc fecit non illis per ſe ſanctitatem conſtituens, ſed bona congruaque eſſe media ad rectius Dei mandata obſeruanda cognoſcens: Cùm fœlix (vt dici ſolet) ſit neceſsitas quæ ad meliora compellit.

Et conuocatis ad ſe turbis rem vtilem eis propoſiturus, *Dixit eis: Audite, & intelligite* verba mea: *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* Nullus cibus qualiſcunque ſit, coram Deo immundum aliquem conſtituit: *ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Ipſa oris verba conuitia, falſa teſtimonia, irriſiones, mendacia, detractiones &c. immundum coram Deo efficiunt, Hieronymus pro (coinquinat) legit (communicat) etiam in Marco hoc pacto legitur. Quæ procedunt de homine illa communicant hominem. Item manducant communi bus manibus. Eſtq; communicare, verbũ ſcripturę proprium, nã apud ſcriptores prophanos ſic vſurpatum nequaquam reperitur. Iudęi omne immundum commune vocabant, quod ipſi ſingulariter à Deo eſſent electi, id quod omnibus gentibus patebat: & quicquid ad eos non pertinebat immundũ, atque commune reputabant.

In cõment. Mar. 7

Tũc accedẽtes diſcipuli eius dixerũt ei: ſcis quia Phariſæi audito uerbo hoc ſcilicet, nõ ꝙ intrat in os coinquinat homi-

hominem, *scandalizati sunt?* A *t ille respondens ait:* O *mnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur.* Oĩs doctrina, vel traditio quæ non est ex patre meo, sed humano adinuenta spiritu & iudicio, euelletur. non miremini ergo quod vsqueadeo in doctrinam Pharisaicam inuectus sum. S *inite illos,* non sitis solliciti vt euitetur scandalum quod ex mea doctrina Pharisæi patiuntur: quoniam *cæci sunt* adeò sunt excœcati, vt veritatem neque per se videant, nec commõstratam videre velint: quin potius ad errores suos alios etiam homines pertrahant. In quo non tantum cæci sunt ipsi, sed duces etiam cœcorum, qui falsam potius eorum doctrinam, quam prædicatam à me veritatem sequi malunt.

E *dissere nobis parabolam istam.* Non quod intrat in os &c. A *t ille dixit,* A *dhuc & uos,* qui discipuli mei estis *sine intellectu estis,* sermonem hunc existimando figuratum, qui sine tropo à me prolatus est. N *õ intelligitis omne quod in os intrat in uentrem uadit,* non autem in cor, aut in mentem, *& in secessum emittitur* secundùm sui partem impuriorẽ: purior enim in carnem transmutatur. Q *uæ autem procedunt de ore, de corde exeunt.* Verba oris ex voluntate proueniunt *& illa coinquinant hominem* si mala sint. D *e corde enim exeũt cogitationes malæ, homicidia, adulteria &c.* Quasi dicat, per ista subiuncta exempla patet illa quæ de corde procedunt coinquinare hominem, qualia sunt cogitationes Pharisæorũ, & doctrinæ ipsorum, præcipuum in externis, Dei cultum ponentes. Ex hac
In commẽt. sententia arguendi sunt, inquit Hieronymus, qui cogitationes à diabolo immitti putant, & non ex propria nasci voluntate: diabolus adiutor & incensor malarum cogitationum potest esse, author esse non potest. Sin autem semper in insidijs positus, leuem cogitationum nostrarum scintillã suis

somiti-

bus inflammauerit,non debemus opinari eũ cordis quoq; occulta rimari: sed ex corporis habitu & hostibus æstimare quid versemus intrinsecus. Verbi gratia si pulchram mulierem nos crebrò viderit inspicere, intelligit cor amoris iaculo vulneratum. Similiter & in reliquis peccatorum inuolucris iudicandum est *fornicationes*. Notandum fornicationẽ simplicẽ à saluatore inter crimina mortalia recẽseri. *Blasphemia est* tã in Deũ,quam in proximũ.

Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem. De traditionibus Pharisæorum contra quas hic agit saluator tractat Augustinus contra aduersarium legis,& Prophetarũm.Et Epiphanius in hęresi Tholomæi,Et quantum ad hunc locum notandum est Pharisæos, & scribas in tantum errorem esse prolapsos,vt iustitiam in externis principaliter ponerent,atq; externas legis cæremonias per se bonas ac Deo placentes arbitrarentur: vnde de externa sabbati obseruatione, tam solliciti fuerunt, ac frequenter Christo eius violationem impegerunt, quinetiam cibos quosdam qui significationis causa in lege immundi dicuntur, animum quemadmodum sordes corporales coinquinare putarunt:hinc corporalem peccatoris tactum hominem inficere putarũt, vt patet ex hoc,Hic si esset propheta sciret vtiq; qualis, & quæ esset mulier quæ tangit eum, quasi tactus peccatricis Christum redderet immũdum : vnde & discipulos Christi accusarunt, vel quod præ festinatione illoti mensam accederent, vel quod non tam crebro,ad singula nimirum fercula manus lauarent, ipsi namque nunquam comedebant nisi frequenter manus suas lauarent & cum à foro redibant nunquam nisi lotis manibus comedere volebant. Contra hos loquitur saluator, præposteram eorum curam qua neglectis interioribus soliciti erant mundare exteriora, reprehẽdẽs ex cu-

Lib.1.c,9.
Hæres.33.
Luc.7.
Luc.11.
Math.23.

ex cuius reprehensione satis patet quod ita corporalem munditiam obseruabant vt propter eam sese Deo placere existimarent. Contra eosdem dicit
Rom.14 Tit.1. Paulus: Scio & confido quod nihil cõmune secũdũ seipsum, & suapte natura sit. Item: Omnia munda mundis. Non improbat Christus traditionem parentum qua filios ciuilitatem docent vt ante cibi sumptionem manus abluant, at superstitiosam traditionẽ crebro lauãdi manus causa placendi Deo, quasi corporalis munditia per se Deo cõmendaret, & sordes ab eo alienaret: quod ex eius verbis patet,
Marc.7 Phærisæi inquit, & omnes Iudæi nisi crebro lauerint manus, non manducant. Sic Hieronymus,
In commẽ. ad illud, tũc accedẽtes. Ex vno (ait) sermone illo (videlicet, non omne quod intrat in os) & oĩs superstitio obseruationũ Iudaïcarũ fuerat elisa, qui in cibis sumẽdis, abominandisq; religionem suam sitam arbitrabãtur. Vnde ex his manifestum est, sententiam istam non facere contra sanctorum veteris, aut noui testamenti ieiunia. Non enim vult saluator hominem nõ posse peccare, cibum aut potum sumendo, aut nihil posse homini de ordine sumendi præscribi, sed tantum docet quod ipse cibus sanctus est, & bona Dei creatura, quando per orationem sanctificatur, licet sordidus appareat, ac proinde stultum est hæreticorũ argumentum dicentiũ licere edere carnes in quadragẽsima & die veneris, nam quanquam cibus in se non coinquinet, verũtamẽ sumẽdi concupiscẽtia contra præceptũ sumẽtẽ coinquinat. *Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis.* in regionem eorum, nempe Phœniciam: siquidem regio à duabus præcipuis partibus hic denominatur. Recessus autẽ iste præsignat Iudæos propter suas superstitiones à Christo relinquẽdos, & ad gẽtiles, gratiã aduentus eius transferendam. *Et ecce mulier Chananæa*, de genere Chananæorũ, quos in gratiam Iudæorũ

Do-

Dñs paucis saluis subuerterat. De Chananæa hac dictum est supra quando de paralitico tractatū est. Hęc quia verā pœnitentiā egit, exaudita est & quia petēs corporalem sanitatem sub illa spiritalē petijt illi pro sua clemētia præstitit saluator. Mysticè mulier ista Chananæa Ecclesia est ex gētibus cōgregata, quæ prius prorsus à Deo deserta videbatur, & inter canes reputabatur, verū postea fidei magnitudine omnibus filijs impretrauit liberationē à dæmone. Quare magna rerū facta est vicissitudo qñ Iudæi canes sunt appellati & gentiles inter filios cōputati. *Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea male a dæmonio uexatur*. Quasi dicat Cognoui Iudæis promissum saluatorē de genere Dauid, quē te esse credo habetq; istud *fili Dauid* emphasim. *Qui non respondit ei uerbū* vt elucesceret mulieris fides, & docendi occasionem assumeret: non enim superbia aliqua respondere dedignatus est. *Et accedentes discipuli eius* misericordia, vel clamoris, mulieris importunitate moti, *Rogabant eum dicentes: dimitte eam, quia clamat post nos*, sequitur nos altè clamās, præsta illud ob quod nos sequitur. Marcus dicere videtur eam in domo clamasse, & ex ipsius collatione cū hoc euangelista patet hāc mulierem primum in domo rogasse, dein saluatorem cum discipulis exeuntē clamoribus in via fuisse prosequutam. Vide Augustinum de consensu euangelistarum. *Ipse autem respondens ait, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel*. Non in hunc mundum veni, vt in persona mea prædicem, vel miracula faciam nisi apud Iudæos, qui per varios errores, atque peccata, æternæ morti facti sunt obnoxij: quorum ego in persona propria pastorem ago, & Episcopatus meus non se vltra Iudæorum limites extendit, quocirca hanc sanare non debeo cum de gente Iudæorum non sit.

Math. 9.

Lib. 2. c. 49

Quæ-

Quęritur an apud Samaritanos non docuerit. Item an non aduenerit ad saluandas gentes: Respō-deo, non sic aduenisse vt in propria persona apud gentes miracula faceret easq; doceret quanquam triduum apud Samaritanos moratus sit. Ita Hiero-

In commēt. nymus has quæstiones expedit. Primùm ergo & præcipuè missus fuit Christus ad Iudæos, quem-

Rom. 1. admodum attestatur Paulus dicens: virtus enim Dei est, in salutem omni credenti Iudeo primum,

Act. 13. & Gręco, sed Iudęis non recipientibus euāgelium, iusta est ad gētes facta trāsmigratio. Vobis, inquit, apostolus oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes &c. Deinde ad gentes non est in propria persona missus, vnde & eas rarissime docuit: & tam pauca apud eas miracula edidit, vt eorum comparatione quæ apud Iudęos fecit, nulla reputentur. Imo &

Math. 10. Apostolis suis ne ad eas accederent vetuit dicens, In viam gentium ne abieritis, *At illa uenit & adorauit eum,* procidens in genùa sua coram eo rogauit. *Dicens: domine adiuua me.* Circa hanc partem notandūm est quod sicut ista pro se rogabat cum tamen filiæ salutē peteret, ita moris esse in baptismo paruulorum vt susceptor pueri cathecizetur, & quasi pro se loquatur, cum tamen infantis negotiū peragat, susceptor enim tunc gerit baptizandi personā cum respondens ait, Abrenuncio, Credo, baptizari volo. *Qui respondens, ait: non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus,* Quasi dicat, Iudæi sunt filij Dei, beneficia mea sunt panes ipsorū, gentiles autē omnes qualis tu es, sunt canes propter idololatriā, indecens ergo est quod tu gentilis mulier beneficiorum meorum, cum tam multi Iudæi sunt egē-tes, particeps fias. Et sic Christus pro precibus multis quasi cōuitia refudit. Dicuntur idololatræ canes

quia

quia comparatione Dei tam viles sunt, quam canes comparatione hominum. vnde & Turcæ Christianorum respectu rectè canes dicuntur. Item propter immunditiam, & impudẽtiam, ac propter inuidiæ rabiem. *At illa dixit, etiam Domine.* Certè Domine verum dicis, attamen non malè videar implorare opem tuam, *nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Quasi dicat, me indignam agnosco, vt inter filios numerer, nec dicere vt mensæ tuæ assideam, aut integros cibos accipiam, canis etenim sum: veruntamen catelli edunt de micis mensę (quod sonat contemptũ). Scio equidẽ Iudęos dominos esse & te ad illos missum, ad quos tua beneficia pertinent: sed ego micam à te postulo. *Tunc respondens Iesus, ait illi, o mulier,* O, magnum dilectionis signum. *Magna est fides tua,* qua me filiam tuam absentem posse sanare credidisti, quaq; in precibus, quantumuis repulsam passa perseuerasti: qua denique patienter tibi nomen caninum obijci pertulisti, rursum qua te iam plurimũ humiliatam coram me exhibuisti dicens: Etiam Domine, nam & catelli &c. Præcipuè fidei huius mulieris magnitudo in eius humilitate eluxit: nã licet fides, & spes excellentiores humilitate virtutes sint, hæc tamen ex illis oritur, illasq; commendat: atque saluator fidem istorum quibus miraculum præstitit, vel eorum propter quos miracula fecit semper commendat. Vnde etiã aliquando quosdam de modica fide increpat, vt Petrum, quemadmodum ex supradictis patet. Cap.14. Magnitudo autem siue excellentia, & paruitas fidei in scripturis ex duobus attendi videtur, nempe ex humilitate magna vel parua, & ex spe magna vel parua. Cùm enim fides maximè quatenus seruit ad aliquid à Deo impetrandum, versetur circa nostras miserias, circa omnipotentiam, ac Dei bonitatem, ex

Q viua,

uiua, actuali, & frequenti malorum nostrorum cõsideratione, siue in quibus summus, vel aliquando fuimus siue quæ impijs sunt parata & ex feruenti diuinæ omnipotentiæ contemplatione humilitas, ex eius verò bonitate erga nos spes, & fiducia oritur. Cùm ergo magna est humilitas, & magna spes, ex magnitudine effectus colligere possumus quã viua, & efficax sit ipsa fides, quæ maximè in sanctis hominibus, qui fide Deo innitentes, & ab ipso solo pendentes aduersa paruipendunt, viget. Ab hac cõmendantur Petrus, Magdalena, Centurio, Hęmorroissa Chananęa, decimus leprosus, & pręcipuè virgo Maria: in his etenim humilitas, & spes petitum vel promissum obtinendi valde excelluerunt. Ab hac etiam laudãdi sunt, qui omnem solicitudinem in Deum proijciunt, qui quotidie humiliter precibus instant. Hancq; nos Ecclesiæ orationes perpetuò docent dum Dei excellentiam diuinam omnipotentiam, & misericordiam, nostrum defectũ & similia commemorant. Huius sollicitudinis defe-
Galat.23 ctu subinde Petrus, & alij, modicæ fidei dicuntur. Sicut igitur Paulus fidẽ sine qua nemo quærit Dei donum, dicit per charitatem operari inchoatam salutem: sic etiam dicendum est fidem per humi-
Rom.10. litatem, & spem operari: Quin & Paulus dum fidem iustificare dicit, de fide spei & charitati coniuncta loquitur: vnde ad Romanos ait credentẽ non confundi, id est, re sperata nequaquam frustrari: quemadmodum iustificationẽ fidei tribuit, ita & inuocationi, subijcit enim: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit, inuocatio autẽ ex spe oritur. Saluator quoq; quod Paulus fidei Mediatoris tribuit, petitioni in nomine suo adscribit. Vnde facilè intelligitur, Apostolum de fide loqui quæ spei coniuncta sit. Id quod eleganter docet
Lib.1.c.7 August. epist. 206. Non enim ob aliud meretur homo

mo ampliora quam agnoſcendo eum à quo habet omnia bona quę habet. Itẽ de prędeſtinatione ſanctorum, vbi docet ideo hominem iuſtificari fide quia fides prima datur, ex qua cætera impetrantur. Item de ſancta virginitate, & Hieronymus in dialogo contra Luciferianos poſt medium. *Fiat tibi ſicut uis.* Ego impero, vt in gratiam tuam fiat filiæ tuæ ſicut vis. *Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.* In hac hiſtoria notandum eſt in primis parentes pro ſalute ſpiritali filiorum debere ita eſſe ſollicitos, ſicut hæc pro ſalute corporali filiæ ſuæ. Deinde Deum in gratiam parentum ſiue propter fidem eorum multa bona præſtare filijs, alias non præſtiturum.

cap.32.

Miſereor, quia triduo iam perſeuerant mecum, & non habent quod manducent, aut quia non contulerant, aut ſi contulerant, ea iam conſumpta erât, vt Auguſtinus tradit libr. 2. de conſenſu euangeliſtarum capite 46. *Et dimittere eos ieiunos nolo.* Addit Marcus, quidam enim de longè venerunt, *ne deficiant in uia.* Obſeruandum hic homini in via vitæ huius qua ad patriam cœleſtem tendit periculum imminere ſi ſe pane cœleſti, Euchariſtia nempe, non ſuſtentet: grandis enim, & difficilis (ſicut dicebat Angelus Heliæ) illi perueniendi via reſtat. Deinde notandum eſt ex magna, & ſingulari miſericordia ſacramentorum Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutum eſſe vt hinc patet, Miſereor turbæ, quia triduo &c. & ſanè admirabile eſt, quòd in vitæ huius deſerto tantæ efficaciæ panem habeamus vnde ſaluari queat tanta Chriſtianorũ turba, vt in via non deficiat: Quod ſignificant diſcipuli dicentes. *Vnde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam?* Prius miraculum ad populum iudaicum, qui quinque libros Moyſi habebat, atq; ex ſe duodecim apoſtolos genuit refertur.

Mar.8

3. Reg.19

Meritò ergo quinque panibus quinque milia ſunt ſaturata,& duodecim cophini ſuperfuerunt. Poſterius verò de quo hic agitur de ſeptem panibus,& paucis piſciculis, ex quarum reliquijs ſeptẽ & amplius ſportę impletæ ſunt,deq́ꝫ replentibus ſeptem ſportas, quatuor milibus hominum ſatiatis ad populum gentilem,ex quatuor orbis terræ partibus congregatum, cui ſeptiformis ſpiritus datus eſt quiq́ꝫ plurimos ſpiritu ſancto eiuſque donis refertos homines habuit. *Vnde ergo nobis in deſerto panes tantos ut ſaturemus turbam tantam.* Mirum eſt quod diſcipuli tam cito fuerunt prioris miraculi obliti, & quod tam ſubito immemores Dei beneficiorũ redditi,infidelitatis vnda fluctuent. Ecce quam facilè etiam iuſti beneficiorum Dei obliuiſcuntur, niſi quotidie illa ad mentem reuocent. *Erant autem qui manducauerunt quatuor milia hominum extra paruulos, & mulieres*,quæ multo plures numero erãt. Verum hoc ſupra in priori miraculo ſufficienter eſt expoſitum. Differentia autem inter illud & hoc miraculum eſt,quod hic panes ſeptem fuerunt, & pauci piſces,& quatuor hominum ſatiatorum milia : Ibi verò quinque panes,& duo piſces, & quinque hominum comedentium milia: ibi duodecim cophini pleni fragmentorum ſuperfuerunt his, qui manducauerant, hic ſeptem ſportæ plenæ: ibi ſaluator rogatus fuit primum à Diſcipulis vt turbas dimitteret, hic diſcipulos præuenit dicens ſe nolle dimittere ieiunos. Sporta autem videtur aliquid maius ſignificare quã cophinus. In vtroq; miraculo myſticè idem ſignificatur, & obſeruandum eſt Chriſtum prius infirmos curaſſe, & tum demum turbas ſatiaſſe,quia Eccleſia nemini tribuit Euchariſtiam niſi is prius per baptiſmum, vel pœnitentiæ ſacramentum ſanatus fuerit.

Cap. præcedenti.

Et dimiſſa turba aſcendit in nauiculam, & uenit in fines

Mage-

Magedan pro quo legit Marcus Dalmanutha, sed quod idem sit cum priori.

IN CAPVT DECIMVMSEXT. Matthæi.

Faciem ergo cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis? Aëris dispositionem discernere nostis, aduentus autem mei tempus ex signis à lege,& prophetis positis discernere nō valetis. Sic assertiuè legit Hieronymus,& non interrogatiuè. Potest tamen etiam interrogatiuè legi. Coarguit ergo Saluator Pharisæos, & Sadducæos quod præpostera cura huius vitæ in quibus exiguus est fructus discerent,necessariò autem ad salutem, quæ lex,& prophetæ continebant negligerent: quorum similes sunt multi hodie Christiani qui in rebus varijs,aut saltem huic vitæ tantū vtilibus,supra modum sunt oculati in his autem quæ ad salutem necessaria sunt, atque vtilia cœci. Ita interpretatur Hieronymus, Augustinus verò in quæst.euangelicis de temporibus duorum aduentuum istud sic interpretatur, quod videlicet Pharisæi signa primi aduentus à signis secundi aduentus nequaquam discernerent. Idem est Chrysost.commentarius:At Hieronymi expositio magis Euangelio Lucæ congruit, nam Lucas habet: Hoc autem tempus non probatis.

In commēt. *In commēt.* *Lib.1.q.10.* *Homil.52* *Luc.12.*

Generatio mala & adultera mala quærit: Incredulitatem eis improperat.

Et cum uenissent discipuli eius trans fretum, id est, vt trans fretū nauigarēt,non enim dicere vult quòd absoluta nauigatione panes secum accipere obliti essent,vt ex Marco manifestum euadit, non enim illis opus erat cum littori appulerant,sed opus fuit eis panibus quum iam in naui in medio freto essent *Marc.8.*

ſent, o*bliti ſunt panes accipere.* Ex hoc patet apoſtolos paruam ventris curam geſsiſſe, *Quid cogitatis inter uos*: In cordibus ſuis vel inter ſe vnus cum alio diſceptabat dicentes, Chriſtus hoc nobis dixit, quia panes nobiſcum in naui non accepimus: & fortaſſe ad tantam famē venturi ſumus vt ad panes à Phariſæis, & Sadducæis ſumendos tētemur *Modicæ fidei* Modicam habentes fiduciam, *Nondum intelligitis, neque recordamini quinq; panum & quinq; milium hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis? neq; ſeptem panum in quatuor milia hominum, & quot ſportas ſumpſiſtis*: Hoc eſt, Non intelligitis quod vos ſaluare poſſum etiam ſi panes non

Mar.8. habeatis? Dominus apud Marcum latius eis miraculorum ſuorū obliuionem improperat, inſinuatque donum Dei ſingulare eſſe diuina beneficia agnoſcere: quodque hoc paulatim hominibus intellectum aperiat, atque expurget. *Quare non intelligitis quia non de pane dixi uobis*: vtpote quem vobis abundè ſuppeditare poſſum, vt non ſit multum neceſſariū anxiari vnde panem habeatis: ſed hoc dicere volo, *Cauete a fermento Phariſæorum, & Sadducæorum* à doctrina eorum, quæ fermentum nuncupatur, quoniam ſicut modicum fermentum totam farinæ maſſam inficit ac alterat, ita peruerſa doctrina ſi vel modicam ſcintillam in hominum pectora ingerat, ingentem ſubito flammam facit, & totum hominem corrumpit. ſimili modo ſi cum pſeudopropheta aliquo diſsimuletur quam primum totus populus eius doctrina inficitur. Quid autem Phariſæi, & Sadducæi docuerunt abundè intelligitur ex ijs quæ dicta ſunt & infrà dicentur.

Luc.11. Quæritur quomodo Lucas fermentū hypocry-
Mar.8. ſim eſſe dicat quum Marcus de Herodis fermento interpretetur? Reſpondeo, vtrumque eſſe fermentum, & peruerſam doctrinam, & ſimulatā iuſtitiā quo-

quoniã his homo inficitur: In vtraque eminebant Pharisæi: Quãquam etiam ipsa doctrina apud Lucam nomine hypocrysis intelligi posśit, quod eorum doctrina de externa iustitia esset, quæ non vera iustitia, sed iustitię est simulatio: fermentum vero Hęrodis non videtur doctrinam significare, non enim legitur peruersam habuisse doctrinam, sed magnus fuit iustitiæ simulator, & hypocryta: quod patet: quoniam se præcursorem Christi diligere, cum odio prosequeretur simulabat, vnde Christus vulpem eum vocat. *Luc.13.*

Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Quæ cognomẽ habet à Philippo Herodis magni filio, Ituræx, & Trachonitidis tetrarcha, de quo supra dictum est. Cęsarea Philippi dicitur ad distinctionem alterius, quam Herodes magnus in honorem Augusti, instaurauit, quemadmodum altera in Tiberi Cæsaris honorem ædificata fuit. Et de hac non agitur in Actis sed de priore. Hęc autem Cæsarea Philippi postmodum ex adulatione Paneas dicta fuit, sita circa radices Libani montis vbi Iordanis oritur. *Et interrogabat discipulos suos.* in via cum orasset, vnde exemplo Christi, viri sancti vt malas cogitationes coerceant in via orationibus vacant. dicens: *Quem dicunt homines filium hominis esse*, Hieronimus in commenta. ait eum ne superbè loquutus videretur, nõn per primam sed tertiam personam loquutum. Eam addit Augustinus, similiter Leo, & Epiphanius. Filius autem hominis vocatur, non quia ex virgine Maria naturam accepit: homo siquidem hoc loco, masculini generis est, sed filius hominis dicitur quemadmodum & Ezechiel per totam pasśim prophetiam propter excellentiã vel miseriam. *Cap.13.* *Concio.1. in Psal. 98 & serm.31. de uer. apo. Leo epi.10. ad Flauia. cap.5.*

At illi dixerunt, alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij uero Hierem. aut unũ ex prophetis. forsitã Hieremias

à quibuſdam dicebatur quia ſimilia opera cum eo faciebat. *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Pulchrè Chriſtus vulgi opinionem præmiſit, ac diſcipulos diſtinctim interrogauit, vt ipſi ſcirētur non ex vulgi opinione, vel vanis rumoribus, ſed ex Dei reuelatione Chriſto credere, ſimul docens vulgi opinionem, vanoſque in rebus diuinis rumores contemnendos. Non enim curare oportet quid quiſque ſentiat, ſed ſyncerè inquirere, atque fateri quæ ſit rei veritas. *Reſpondens Simon Petrus*, Simon nomine proprio dictus, at Petrus Ioannis primo capite à Chriſto vocatus eſt, præuidente nimirum quod hic de ipſo refertur. *Dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Nomine omnium tāquam os, & caput eorum (vt ex interrogatione Chriſti patet) dixit: Tu es Chriſtus &c. Petrus reſponſionem ſuam intellexiſſe videtur, qua tanquam paterfamilias pro tota familia reſpondit. Tu es Chriſtus filius Dei viui. Hæc eſt illa veræ fidei ſyncera confeſsio, ſuper quam Chriſtus Eccleſiam ſuam fuudauit. Omnia autem verba hæc emphaſim habent: Tu ſcilicet quem videmus eſſe verum hominem nobis ſimilem (erat enim in omnibus ſimilis alijs, peccato & ignorantia exceptis) qui nobiſcum quotidie verſaris, tu es in veritate ille Meſsias ſingulariter à lege, & prophetis promiſſus, ſpiritu ſancto præ omnibus electis Dei vnctus ſacerdos, rex, ſummuſq́ Propheta: hæc enim tria genera hominum in veteri teſtamento vngi ſolent. Notandum eſt hoc loco aliter diſcipulos de Chriſto loqui, aliter Scribas, & Phariſæos, quoniam ipſi diſcipuli opinionem ſimplicis turbæ ſequentes explicitè confitentur, & credunt quod ipſa ſimplex turba de eo ſentiebat. Interrogat namque eos Chriſtus non de ſententia Phariſęorum, qui ex mera inuidia ipſi detrahere conabantur, ſed de ſententia ſimplicis populi, qui de eo ſyn-

eo fyncerè opinabatur,tametfi apertè nefciret eum effe Dei filium. Filius infignis,atq; præclarus, non per adoptionem,quemadmodũ Elias, Hieremias, aut aliquis cæterorum fanctorum quantumlibet magnus,fed confubftantialis, atque patri omnino coæqualis. Dei viui,illius, fcilicet, qui folus verus Deus eft viuens,non alicuius Dei gentilium. Hic igitur Petrus Iefum effe verum Deum, eandemq́ perfonam quam in humana natura fubfiftere confpiciebat confeffus eft: dixit etiam in diuina eandẽ fubfiftere. Non autem fic dixit, Chriftus habitat in te(vt impiè dixit Neftorius)nec voluit dicere, Tu es amicus Dei,fed filius Dei viui. *Refpondens autem Iefus, dixit ei*, non cæteris Apoftolis. *Beatus es* fingulariter fœlix es ex hac tua confefsione, *Simō Bariona*, id eft,fili Ioannis. Quem fic appellat quia oftendere vult quam fit per diuinam gratiam exaltatus quum ex pifcatore,& homine peccatore natus fit. Vult ergo Chriftus dicere, Agnofce progeniei tuæ vilitatem, & vide quantum ego à te diftem, & quantum patri meo qui te tam vilem cognitione mei exaltat, debeas. Bariona autem dicitur per cō-tractionem pro Bar, Ioanne: Bar enim Hebraicè filium fignificat. *Quia caro, & fanguis non reuelauit tibi*, id eft, Nullus hominũ(eft enim hoc copulatum,hominis defcriptio) nec tuum ipfius ingenium quod tibi carnalis pater communicauit, aut (vt Hilarius interpretatur)caro & fanguis fcilicet meus, quæ in me confpicis, id eft, mifera mortalis natura mea nō indicauit tibi me effe filium Dei, *fed pater meus qui in cœlis eft*, qui mihi foli per naturam pater eft, quiq́ in cœlis regnat, atque omni creaturæ præeft, ille diuinitatis meę non intellectui tuo veritatem dũtaxat proponendo, verum etiam firmum affenfum & fidem infpirandò reuelauit.

Aduertendum eft Marcum, & Lucam refpon-
fio-

ſionem Petri ſine nomine(filij Dei viui) expreſsiſſiſſe,ex quo patet vel nos nomine Chriſti plura intelligere debere,vel ſcripturam illo nomine plura ſignificare quam vox ipſa per ſe ſignificat, vt comprehendat etiam ipſam Chriſti diuinitatem, ita vt hoc nomine ſignificaretur quod ipſe ſit ver⁹ Deus & homo. Quia verò Ioannes dum refert Petri cōfeſsionē,de filio(vt apparet)naturali loquitur, quēadmodum hic Euangeliſta. videtur illa apud Ioannem confeſsio iſta eſſe poſterior:nam hic primum videtur diuinitatem Chriſti agnouiſſe, ac deinde reliqui poſt eū Apoſtoli. Si autē Petrus hic Chriſtū non confiteretur filium naturalem Dei viui non magni meriti eſſet eius cōfeſsio, nec tā beatus prædicaretur,cùm plurimi antea generaliter eū filium Dei cōfeſsi fuerint,vt qui in naui erant dicētes verè filius Dei es,& Nathanael. Tu es filius Dei,tu es rex Iſrael. Non tamē propterea beati dicti ſunt veluti Petrus, igitur non ita Chriſti diuinitatē agnouerunt,nec eis opus erat ſingulari reuelatione, vt Chriſtus crederetur ſanctus,quum multi hoc omnino ex ſancta eius cōuerſatione apertè perſpicerēt. Deniq; hic notandum eſt prædictam cognitionem ex nulla hominum doctrina,nullo humano ingenio, at ex ſola ſancti ſpiritus reuelatione haberi poſſe. *Et ego dabo tibi* non alijs, *quia tu es Petrus* ſolidum ſaxum immobilisq; rupes. Quaſi dicat: Meo dicto,& iuſſu(quoniā ipſius dicere facere eſt) te in veritate talem eſſe facio qualis eſt rupes immobilis,& firma,vt meritò nomen hoc Petrus ſiue ſaxum tibi vendices, Auguſtinus exiſtimat nomen Petrus,Ioannis cap.1.Simoni eſſe impoſitum: hoc autem loco alluſionem fieri ad nomē olim impoſitum. Hylarius verò hoc loco impoſitum eſſe putat: apud Ioannem verò hanc nominis mutationem Ioannis, mutatio nominis tantū prædictam

Ioan. 6. *Math. 14* *Ioan. 1.* *Lib. 2. de conſ. euang. cap 53.*

& ſu-

& super hanc petram, Hoc est, super te tanquam firmissimam petram. Sic enim interpretatur Cyprianus, Ambrosius, Hieroymus, Cyrillus: Augustinus verò petram quidem Christum intelligit quẽ Petrus fuerat confessus, alteram tamen interpretationem etiam agnoscẽs: Ex hoc loco patet Petrum omnibus Apostolis à Christo esse prælatum, eorumq; pastorem cõstitutum: etenim ipse alijs apostolis pręsentibus solus nomen fundamenti Ecclesiæ accepit, atq; ei soli claues regni cœlorum traditæ sunt: licet enim duodecim apostoli fundamẽta muri ciuitatis, id est, Ecclesiæ dicantur, Petrus tamen quia etiam Apostolorum pastor fuit singulariter præ illis fundamentum est appellandus. *Aedificabo Ecclesiam meam.* Super te tãquam immobile saxum, ac firmissimam rupem Ecclesiam meam per spiritum sanctum mea gratia, & prædicatione congregandam constituam atq; vnicè gubernabo, eáque perpetuo inhabitabo. Fuit quidem omnis electorum congregatio à mundi exordio Christi Ecclesia, atque fide eius saluata, attamen post ipsius resurrectionem collecta, abundantiori spiritus sancti gratia à Christo perfusa, atque incomparabiliter priore latius dilatata fuit, ideoq; singulariter Ecclesia Christi vocatur, vt patet ex priore Petri epistol. *Et portæ inferi:* Quæcunque homines ad ęternam gehennam pertrahunt qualia sunt peccata hęreses, persecutiones, atque ipsi persecutores, & hæresiarchæ. *Aduersus eam non præualebunt,* nunquã Ecclesiam euincere poterunt quin perpetuo firma in fide permaneat, & gehennam euadat. Chrysostomus etiam ad petram refert, sed ad ecclesiam potius pertinere videtur. Quandocunq; enim de domo, & fundamento loquimur ex fundamento tribuitur domui firmitas.

Apoc. 21

1. Pet. 2

Fuit autem super Petrum Christi Ecclesia in die

in die Pentecoſtes ædificata: ſiquidem poſt Chri-
Ioan.21. ſti reſurrectionem quando dictum eſt ei: Paſce o-
ues meas, accepit quod ei hic promittitur, & Eccle
ſiæ fundamentum factus eſt. Veruntamen funda-
menti officium eminenter non exeruit niſi in die
Act.2. Pentecoſtes, quando plenè fuit caput conſtitutus,
& quaſi cæterorum Apoſtolorum lingua. AEdifi-
cata autem dicitur Eccleſia ſuper Petrum ſpiritua-
liter, quaſi cum Eccleſia domui cõparetur ille qui
caput eſt atque totius domus rector merito fun-
damentum domus vocatur. Quia igitur Petrus à
Chriſto paſtor ouium, & totius Eccleſiæ rector
conſtitutus eſt, & per eum Eccleſia fuit conſerua-
ta, meritò ſuper eum dicitur ædificata. Magnifica
ſanè fuit iſta promiſsio, non tamen omnes in Ec-
cleſia exiſtentes de ſua ſalute ſecuros faciens: Pro-
miſit quidem Chriſtus Eccleſię ſuper Petram fun
datæ quod à portis inferi nunquam vincenda ſit,
at non cuilibet iam in Eccleſia exiſtenti quod in fi-
de & Eccleſiæ ſynceritate ſit permãſurus, ſeu quod
à portis inferi non vincetur. Dicitur enim illa in-
uincibilis etiamſi multi in illa deficiant & vincã-
tur, quemadmodum ciuitas aliqua quæ expugna-
ri non poteſt inexpugnabilis vocatur, quanquam
quilibet in ea miles expugnabilis ſit. Quapropter
ex hac & ſimilibus promiſsionibus Eccleſiæ da-
tis nemo blandiri ſibi debet, tanquam perire & ex-
Lib.5.de cidere non poſsit, adimplebitur enim ſemper Dei
bapt.c.27. promiſsio, (quẽadmodum docet Auguſt.) in eius
& lib.27 electis.

Quæritur vtrum iſte primatus Petro mortuo
perierit? Reſpondeo, Quoniam in vtilitatem Ec-
cleſiæ datus fuit, tam diu permanere debet quam
ipſa Eccleſia, nimirum vſque in finem ſæculi: vt
habet Cyprianus in tractatu de ſimplicitate præ-
latorum. Item Bernardus de conſideratione
ad

ad Eugenium papam. Quæritur præterea vtrum saluator hanc promissionem in Ecclesia complendam, seu Ecclesiæ donandam esse per petram scilicet absque Apostoli Petri merito & potestate? Respondeo. Dum parabolam petræ, & fundamenti discutio videtur penitus hæc inuincibilitas Ecclesiæ tribui ratione petræ, quod etiam parabola de ædificante super petram insinuat. Sic Cyrillus in catena Thomæ ex libro thesauri intelligit: cuius tamen verba in illo libro non reperiũtur, sublata vt probabile est, à falsarijs huius temporis hæreticis interpretibus. Promittitur itaq; hic Ecclesię, quod quæcunque ad æternam damnationem deducunt eam non superabunt. Ecclesia igitur Christi in fide, spe, charitate, & iustitia permanet, & si nunc hũc nunc illum diabolus euincat: quoniam Christus semper Ecclesiam suam quæ super Petram fundata est, saluabit. Recurrendum igitur perpetuo dum exurgunt portæ inferi si vinci nolimus more omnium antiquorum patrum ad fundamentum hoc seu, Petri cathedram. Sic Irenæus ad Romanos pontifices confugiendum esse respondit. Sic Augustinus cum suis Aphris ad eosdem recurrit, Innocentium videlicet, Sozimum, & Bonifacium. Hieronymus ad Damasum papam Cyrillus ad Celestinum per quem damnauit Nestorium: atque sic alijs temporibus semper factum est. Quod si obijcias Petro, paruam laudem, & gloriam attribui quod fundamentum Ecclesiæ dicatur, quum interdum scelerati fundamentum Ecclesiæ sunt, & pontificatum obtineant non secus quam ipse. Respondeo, Christum intuitu fidei Petri, ac deuotionis hanc dignitatem Petro, atque eius successoribus contulisse, quemadmodum in gratiam fidei Abrahæ promisit Deus semini eius terram Chanaan, tametsi quidam ex eis qui eam posse-

Math.7

poſſederunt fuerint impij, non tamen ex hoc laus Abrahæ extincta eſt: ſicuti enim ipſe pater omniũ Iudęorum eſt, ita Petrus omnium Chriſtianorum Laus igitur Petri in eo ſita eſt, quod Deus intuitu fidei hanc poteſtatem ipſe contulerit, atque omnibus eius ſucceſſoribus: quemadmodum laus Abrahæ eſt quod intuitu fidei eius, Deus ipſi terram promiſerit, & propter obedientiam eius promiſſam poſteris benedictionem compleuerit, ita vt etiam præſentis Eccleſiæ petra, & fundamentũ meritò dicatur Petrus, propter fidem quæ Chriſtum ad vicariatum ſuum ei, & omnibus eius ſucceſſoribus committendum prouocauit. Sed quæritur quomodo propter Romanum pontificem portæ inferi aduerſus Eccleſiam non præualeant, cum ſępe Romanus pontifex ſcandaloſè, & malè viuat, atque plurimos mala ſua vita ad æternam gehennam inducat? Item quum ſubinde in ſuis determinationibus erret, & quandoque Apoſtolica ſedes diut vacet? Reſpondeo: Mala vita cum bona doctrina conſiſtere poteſt, & nunquam in fidei determinationibus inquantũ põtifex eſt, errat, nã Chriſtus ſemper ei aſsiſtit: quanquam inquantum Ioannes, vel Petrus, vel Paulus errare queat. Licet etiam apoſtolica ſedes vacet, remanent tamen Eccleſiæ columnæ, quæ pontificis ſucceſſorem diuina authoritate eligere valent.

Quæritur rurſum quomodo ſuperſtitione, atq; errore careat aſſerere quod qualitercunque pontifex vitam ſuam inſtituat, Chriſtus ei perpetuo aſsiſtet: & qualeſcunque nos fuerimus, pontifici adhærendo errare nequaquam poſsimus, totam ſpiritalem fidei & euitandi omnis erroris promiſsionem vni homini tribuentes? Reſpondeo in veteri teſtamento dictum eſt à Deo benedicente Adę & filijs Noę ac in ijs, illorum poſteris, Creſcite & mul-

multiplicamini & implete terram (neque enim soli octo homines nisi posteros spectes, terram implere poterant) & tamen non omnes posteri possunt generare, sed impletur Dei promissio, si nunquam desunt qui generent, vnde terra hominibus impleatur. Si ergo Petrus eiusque successores similiter dicantur Ecclesiæ fundamentum eam perpetuo sustentans, nunquam deficiet, idq; futurum est per Petrum & successores eius quorum leges, instituta & regimen etiam ipsis mortuis perseuerat. Non autem per quemlibet Romanum pontificem, vel omnibus futuris temporibus, vt nullũ sit tempus quo Petri successor Ecclesiam actu nõ iuuet: vt notum est vacat interdum defuncto pontifice, Petri sedes. Rursum promisit Deus se Abrahæ, & semini eius benedicturũ, attamen non quilibet posterorum eius benedictionem nactus est. Item promisit Deus Iudæis terram Chanaan vniuersam, tamen nunquam eam propter peccata sua totam possederunt. Quemadmodum autem regum & principum nobilitas ex aliquo primo tanquam stirpe, & alijs posteris simul oritur, & vbi licet intermedius aliquis sit ignobilis, non tamen propterea posterorum nobilitatem tollit: nam Dauid licet ignobilem Achaz genuerit, nobilitatem tamen suam in Mariam transmisit. Ita etsi aliqui pontifices sint morum nobilitate dissimiles, nobilitas tamen fundamenti à Christo donata nunquã tollitur.

Et tibi dabo claues regni cœlorum, Interpretantur id Rabanus, & Magister de scientia dignos ab indignis descernendi, & de absoluendi potestate: estq; metaphora petita à clauibus quibus aliquid aperitur, vel clauditur eo modo quo apud Esaiam de claui parabola vsurpatur, ita tamen vt claues summa rerũ designetur, quia qui potitur quicquid *cap. 22*

facit

facit ratum eſt: quod exprimi videtur per verba ſequentia: & quodcunque &c. quæ regimen Eccleſiæ penes Petrum eſſe ſignificant: non quidem in temporalibus, quēadmodum nec regnū Chriſti ex hoc mundo erat, ſed in ſpiritualibus: ideoq́ Eccleſiam hoc loco regnū cœlorum appellat quāquam impropriè, nam Chriſtus in regno cœlorū proprie dicto per ſeipſum functiones ſuas adminiſtrat non per vicarios. Cōſtat igitur parabolam ab his qui donatione clauium alicui regimen domus committunt eſſe deſumptam. Claues regni cœlorum habet, penes quem ſumma hic poteſtas eſt gubernandi Eccleſiam, per quam ex hac progenie in regnum cœlorum aditus patet: quomodo plenum habet domus regimen, cui ſunt claues eius omnes
Iſa. 22 traditæ. Sic enim & apud Eſaiam. Eliazim enim filio Helchiæ per clauis donationem ſumma poteſtas à Deo committitur. Et dabo, inquit, clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat. *Et quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis.* Explicat donatam clauium poteſtatem, q. d. Omnes actus tuos ratos habeo. Quamcunque ſententiam ptotuleris ſiue in alligandis criminibus, ſiue laxandis legitimè vtēs tua poteſtate, ego etiam illam approbabo, atque efficax erit, jn veritate ſoluens quos iudicaueris ſoluendos, & verè ligans quos iudicaueris ligandos. Idem cæteris quoque Apoſtolis dicitur. Aduerte hic Petri, & ſacerdotum ſententiam qua peccatores abſoluunt non tantummodo eſſe declaratiuam quaſi peccata antea ſoluta fuerint, at in veritate efficere vt homo qui captiuus erat, ab æternæ pœnæ reatu liber euadat. Si enim in abſolutione peccata duntaxat eſſe remiſſa declararentur, Chriſtus dixiſſe debuiſſet: Peccata quæ remiſſa ſunt eſſe remiſſa

missa declarabis. Verùm non sic loquutus est, voluit enim declarare sacerdotis sentētiam verè peccata remittere, atque suam sententiam sacerdotis nequaquam præcedere, sed potius contra, vt Cyprianus inquit, sententia Petri præcedit sententiam cœli. Eadem quoque de baptismo ratio manet. *Lib.1.epi.3*
Petri autem sententia, si per sacerdotem peccata tātum remissa declararentur, sententiam cœli sequeretur. Qua de re vide Augustinum de verbis Domini, & in illud Psalmi: Vt solueret filios interemptorum. Ex quibus patet Deum per se veram pœnitentiam, & à peccatis conuersionem inspirare, sed à pœnæ æternæ reatu per sacerdotes liberare: vt ex Augustino liquet. Ligare autem dicitur Petrus quando aliquem (vt glossa interpretatur) indignum absolutione iudicat. Augustinus verò Petrum ligare dicit quando excommunicat: Ambrosius autem contra Nouatianos nomine ligationis, actionis pœnitentiæ impositionem comprehendit. Ipsius namque tempore magnam sacerdotes imponebāt pœnitentiam, & à reatu non statim absoluebant. Hilarius ligare esse dicit nodis peccatorū innexos relinquere. Verùm nihil vetat ligandi verbo hæc simul omnia intelligere. Porrò non ociosè additum est, *super terram*, quia mortui qui ipsum Christum, non per eius vicarium sententiā suam accipiunt, iudicio Petri minimè subsunt. Anathematizat tamen interdum Pontifex mortuos, declarando eos dum in vita essent, fuisse hæreticos atque ideo honore priuandos: aut propter aliquod peccatū vetando ne pro eis oretur. Cōtra verò interdū absoluit, eos non fuisse hæreticos, ac pro ipsis posse orari declarando. Hoc Chrysostomo contigit, quem Innocentius postmodū absoluit. Quādiu etenim quis in memoria hominum est, atque eorum precibus iuuari potest, super terram quo-

serm.44 *Psal.101.* *Lib.4.con. Donat.c.81* *Lib.1.con. aducr.leg. & prophet. cap.17.* *Epist.75* *Li.1. depœniten. cap.1 & 2.*

dammodo esse dicitur. Cyprianus etiam prohibuit ne pro illo mortuo oraretur, qui exequutorem testamenti ordinauerat sacerdotem. Dignus (inquit) est vt fructu orationis spolietur, qui sacerdotem per sęcularia negotia ab oratione impediuit. Similiter Concilium Africanum mandat anathema post mortem Episcopis dici, qui paganos, vel hereticos hæredes instituūt. Debuerunt enī (inquit) hoc viui procurare ne ad tales hęreditas perueniret.

can. 48.

Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent quia ipse esset Iesus Christ, ne passio quā sustinere debebat impediretur: si enim cognouissent nunquā dominum gloriæ crucifixissent. Hanc rationē sequentia huius capitis verba declarant, quā etiā prosequitur, Lucas. Verū quū Ioannes baptista apertè Iesum esse Dei filiū iussu diuino prædicauit, & apostoli antea idem prædicabant, atq; ipsemet de seipso, mirū videtur cur hic prohibeat, nisi in pœnam Iudæorū qui nec apostolorū, nec Ioannis, neq; suam sententiam recipere voluerunt: vt meritò eis negentur quæ initio pręstita reiecerunt. *Exinde cœpit Iesus ostēdere discipulis suis*, nunquā enim antea tam apertè insinuauerat, *quia oporteret eū ire Hierosolymā* secundū scripturas, *& multa pati a senioribus, & scribis, & principibus sacerdotū, & occidi*. Quod animi dolorē maximè augebat, illi enim erant qui cū defendere deberent innocentem, condemnabant. *Et assumēs eū Petrus* seorsum ne præsentibus discipulis magistrū suū increpare videretur, *cœpit increpare illū*, amantis & optantis affectu dicens: *Absit a te Domine non erit tibi hoc*, Non occidaris, & tam indigna patiaris. Nō erit tibi hoc, id est, non sit, vel vt Græci: Propitius tibi sis Domine: Existimabat Petrus verū Dei filium occidi non posse aut nō licere, redemptionē humani generis in eius passione positam ignorans. *Qui conuersus*, vt respiceret alios discipulos volēs consiliū

Luc. 9.
Ioan. 1.
Ioan. 11.

Petri

Petri noxiũ eſſe indicare. Hic enim habet Marcus. *Mar. 8.*
Dixit Petro: Vade poſt me ſatana, ſequere meã ſẽtẽtiã, & te mihi non opponas, vel ſicut Hilarius interpretatur: Feras etiã mortẽ poſt me, ſicuti ego eam laturꝰ ſum. Quod ſignificatur in verbo (ſequere me) quod Ioan. habet. i. per crucẽ tuã etiã patienter imitator mei ſis. Verũ prior interpretatio quæ eſt Hieron. probabilior eſt, atq; huic loco congruentior. *Ioan. ult.*
Scãdalũ es mihi, tu quãtũ in te eſt mihi ruinã meditatis quoniã volũtatẽ patris mei qui me pro humano genere mori vult, nõ capis, ſed carnalẽ & humanã cogitationẽ & voluntatẽ de me habes, quã impleri deſideras. Carnales enĩ homines quanto maiores ſunt, tãto minus pati volũt, aliter quã Chriſtus ambulare cupientes. *Quia non ſapis ea quæ Dei ſunt* diuinam voluntatem non intelligis, vel te non delectat, nec afficit.

Tunc Ieſus dixit diſcipulis ſuis. Poſtquam Petrũ reprehẽdit, omnes qui eius glorię participes eſſe vellent conuocauit, dicens: *Si quis uult poſt me uenire*, Quicunque me ſpiritaliter ſequi, & imitari vult (non enim volebat omnes corporaliter ſequi, quoniam multis dixit: Ite in domum veſtram, vt paralytico: Idem dixit à dæmonio liberato, Vade in domum tuam ad tuos. Vide Baſilium in quæſtionibus latius diſputatis) *abneget ſemetipſum*, propriã voluntatẽ, & vſq; adeo vt iã ſuiipſius impugnator videatur, *& tollat crucẽ ſuã*, ſicut ego propriũ patibulũ ſupramodũ ignominioſum portaturus ſum. Per quod ſignificat quid in corpore ſuo myſtico ſit agẽdũ. Etenim iuſtus quilibet quotidie carnalẽ ſuã cupiditatẽ mortificat quaſi imponẽs illi crucẽ quod hoĩes ignominioſum, atque laborioſum iudicant. *Math. 7. Marc. 5. Interro. 6. & 9.*
Et ſequatur me, opera mea imitetur. A Luca, additur (quotidie) ex quo patet ſaluatorem non de corporali iniuria, ſeu de ſolis iniurijs ab alijs illatis

loqui,sed de sola propriæ cōcupiscentiæ mortificatione,non enim quotidie ab hominibus iniuria afcimur. *Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam.* Qui proprijs(vt supradictum est)vult obsequi concupiscentijs,perpetua animæ suæ tormēta inueniet. *Quid enim prodest homini si mundum uniuersum lucretur, animæ uero suæ detrimentum patiatur?* Quasi dicat, Animam vestram pro me perdere non deterreamini,quoniam nihil prodest homini, si vitæ suæ voluptatibus prouideat,& totius orbis dominium obtineat,animæ verò suæ immortalem vitam amittat. Loquitur saluator de dominio huius sæculi. Potest tamen idem dici de benè docentis, & malè viuentis doctrina. Quid enim tali proderit si totus mundus per eius doctrinam saluetur, ipse verò pereat. *Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Quod poterit homo in die iudicij pro anima perdita pretium dare? Quasi dicat: Nullum: etenim tunc nulla impijs remanebunt præmia,aut rerum pretia,nec iudex vllis flectetur muneribus, aut pretijs: & hoc est quod consequenter dicitur, quod filius hominis tunc vnicuique secundum opera sua retribuet. Vnde modo quamdiu in hac vita sumus,animam pretio sanguinis Domini,ac vera pœnitentia redimere debemus,nam post hāc vitam nulla est futura redemptio. *Filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui*, id est, Ego quamtumuis nunc mortalis & miser, venturus sum, & ostensurus me eandem gloriam cum patre meo naturali habere,omnibus mihi angelis ministrantibus,& comitantibus(qui mei plenè sunt quia perfectè mihi obediūt,ac ministrant,& quia creaturæ meę sunt) atq; tūc nullā pro anima impij cōmutationem recipiam,at vnicuique tam iusto,quàm iniusto præmium, vel pœnam, secundum quod in hac vita meritus est, tanquam iustus iudex retribuam.

cap.10

buam. Non dicit in gloria quam pater mihi dabit, vel quæ erit ei similis, nā filij & patris vnica gloria est. Hanc sententiam latiùs Paulus prosequitur, eamq; tam de iustis, quam impijs esse intelligendā ostendit. Ex quo patet cōsequenter iustos ita vitā æternā mereri, sicut impij mortē æternā. Augu. ad Vitalē Carthaginēsem scribēs istud de paruulis nō baptizatis etiam intelligendum esse ostēdit, siquidē eis secundum opera quæ per alios dum in Adam peccarent gesserunt, reddetur. *Epist. 107.*

Amen dico uobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis uenientem in regno suo: Quia discipuli meditari poterant, atque dicere: Tu statim occideris, & cruci nos subdis, at gloria quam nobis polliceris, in longum tempus differetur, qualisque illa sit ignoramus, quō igitur spe ignotæ glorię in præsenti tam crudelia sustinere poterimus? Ideo Christus infirmitati humanæ subueniens, promittendo dicit: Sūt quidam, id est, Petrus, Iacobus, & Ioannes, qui donec me oculis corporalibus in gloria qua omnibus electis in regno meo apparebo conspicient, nequaquam morientur: quocirca gloria ista quā vobis promitto omnino ignota non erit, sed aliquibus vestrū manifestabitur. Hæc autem manifestationis Christi promissio in capite proximo in eius est transfiguratione completa.

IN CAPVT DECIMVMSEPT.

Et *post dies sex*, ab illo die quò hæc verba protulit. Die autem octauo, vt Lucas ait, à verbis dictis. Etenim ipse diem verborum, & transfigurationis computat: primum videlicet, & extremum coniungens, præter sex dies intermedios quos cæteri tres Euangelistæ solum compu-

tant. *assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum* maiorem *& Ioannem* euangelistam, fratrẽ Iacobi. Hos tres assumptu Iesus tanquam maximè familiares, quibus ipse etiam in signum singularis gratiæ nomina noua imposuit, Simonem vocans Petrum, Iacobum vero, & Ioannem Boanerges, id est, tonantes. Petrum quidem, propter fidem eximiã, & amorem ac quia totius ecclesiæ præfectum eum facere voluit familiari sibi consortio copulauit (etenim solemus quos rebus nostris prẹponere intendimus, magis alijs arcanorum, & potentiæ nostræ facere participes, atq; ad nostram familiaritatem præ cæteris admittere) Iacobum autem tanquam verbum Dei tonantem, ac primum inter apostolos futurũ martyrem Ioannem vero tanquam castissimum virginem, & singulariter illuminandum, ac maximũ verbi Dei tonitru emissurum, matris suæ custodem futurum, atq; post omnes apostolos in hoc mundo victurum. *Et transfiguratus est ante eos,* non corporis veritatem, vel antiquam figuram suam amittendo, sed secundum splendorem, & lucem: sicut exponitur consequenter ab euangelista per faciei immutationem, quæ immutatio transfiguratio nuncupatur siquidem in figuræ lineamentis splendor apparet. *Et resplenduit facies eius sicut sol* virtute diuinitatis. Per quod ostendit quomodo ipse, & alij sancti in resurrectione corporibus fulgebunt.

Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. ex splẽdore faciei ipsius, sicut spelndor faciei ipsius propriè corporis claritatem designat, ita candor vestimentorum, sanctorum qui Christo sicut vestis adhærebunt charitatem significat. Quemadmodum autem sol claritate in comparabiliter superat niuem, ita gloria Christi sanctorum gloriam, quæ ex ipso orietur, sicuti vestium candor ex splendore

Esaiæ 61.

re vultus eius ortus est. Hoc autem in sanctis accidet ex animæ baetitudine, & diuina virtute, videmus enim in hac mortalite quod affectus aliqui corpus transmutent: tristitia enim corpori pallorem, lætitia claritatẽ, Inuidia liuorem hylaritas agilitatem accersit, sic gloria illa cœlestis perpetuam in nobis sanitatẽ, ac immortalitatem est prę stitura.

Et ecce apparuerunt illis Tribus apostolis, *Moyses, & Helias cum eo loquentes*. Postquam à somno euigilarunt (sicut habet Lucas) corporali videlicet visione vel oculorũ, ex nimia claritate, obnubilatione, apparuerunt illis isti duo cum Christo, de morte eius quam in Hierusalem passurus erat loquentes: vt videlicet Christi gloria sicut habet testes ex nouo testamento, etiam ex veteri tales non deessent, quia ipse non solum noui testamenti homines, sed etiam veteris ad gloriam perducit. Dicitur autem (cum eo loquentes) quia Christo astabant, non autem in nube supra Christum hærebant, de morte autem Christi loquebantur vt ex illi discipuli non turbarentur, at gloriæ quam vidissent recordarentur. Inducti sunt autem Moyses, & Helias, vt Christus legis, & prophetarum non aduersarius, sed protector, ac Dominus ostenderetur. Item vt ostẽderet legem quę per Moysen, & Prophetas, qui per Heliam designantur, principaliter Christi pasionẽ de qua hi duo loquebãtur, prænunciasse. Per quod 4. Reg. 1.
etiam se Dominũ mortuorum ostenderet, Moyses. enim tunc diu vitam finierat. Item viuorum, Elias enim sicut modo ita & tunc viuebat. Venit autem Elias ex loco quo per currum igneum raptus fuit.

Quomodo autẽ Moyses aduenerit, an anima eius tantũ ibi apparuerit, incertũ est August. tamen de cura pro mortuis agenda dicit eum apparuisse, cap. 5.

 quem-

quemadmodum Sauli apparuit Samuel. Hieronymus verò dicit ab inferis resurrexisse. Lucas expresse asserit non solùm eos discipulis apparuisse, sed quod fuerint Moyses & Helias. Augustinus super Ioannem subindicat corpus Moysi ad horam excitatum esse. Sed D. Thomas existimat animam Moysi nō in proprio corpore, sed alieno, veluti angeli apparēt, comparuisse. Verùm si consideremus quid sit resuscitari & resurgere, reperiemus quod sit cum corporibus proprijs apparere. *Respondēs autem Petrus dixit ad Iesum.* Conspectis hisce miraculis Petrus, cùm Moyses & Elias abitum præpararent Christo dixit: *Domine bonum est nos hic esse,* admodùm iucundum, cuperem Moysem, & Eliam non abire *si uis faciamus hic tria tabernacula,* tentoria, seu domus pro solitudine quæ transferri posſint, cupio enim cū ipsis hic perpetuo manere. Petrus ex hac Christi gloria in tantum delectatus est, vt omnium temporalium obliuisceretur, atq; ibi perpetuam sedem figere vellet. Veruntamen dicendo (si vis) obedientiam, ac humilitatem ostendit, illius correptionis dominicæ. (Vade post me Satana) nequaquam immemor. Addit Lucas (nesciens quid diceret) Verè quid diceret ignorabat, etenim beatitudo nostra non in corporis Christi gloria, sed diuinitatis Christi visione consistit. Deinde ignorabat quod beatitudo in qua perpetuo manēdum est, nullis paratur, nisi ijs qui multis calamitatibus, & periculis attriti sunt, & nisi Christus pro omniū salute mortuus sit. Errauit denique quia regnū cœleste electis non alicubi terrarum, sed in cœlis pręparatum posſidetur, nec bātitudo hominis tabernaculum aliquod, vel domū requirit. Errauit rursum dum quinque tantum, vel sex ad hanc gloriam pertingere voluit, non perpendens innumeros debere illius esse participes. Rursum non rectè

Luc. 9.

Tract. ult.

Luc. 9

Domi-

Domini famulos Moysem,& Heliam ipsi Christo connumerabat: non enim dixerat: præclarum tibi præ cæteris extruamus tabernaculum. Petrus igitur cognouit quod hi duo viri essent Moyses, & Helias, vel ex illa claritate. Vel quia Christus ei dixit. Vel ex reuelatione patris cœlestis. Verisimile etiam est ipsos duos viros cum Apostolis esse loquutos.

Adhuc eo loquente Petro scilicet, nec à Christo responsum accipiente, *Ecce nubes lucida obumbrauit eos*, Apostolis appropinquauit, in quam Moses,& Elias intrauerunt, quæ vmbraculo suo Apostolos operuit: non enim Apostoli in nubem intrauerunt sicuti isti duo (teste Luca) ideoq́ (eos) ad Apostolos refertur non ad Moysem,& Heliã. *Et ecce uox de nube* Deum patrem qui in veteri testamento in nube habitare dicebatur designans. Conuenienter prophetæ in hanc nubem, ex qua vox patris descendit intrant, vt ab Apostolis ista vox Dei esse sciatur,& quia lex,& prophetæ cessauerunt quando pater filiũ suum mundo declarauit. *Dicens: Hic est filius meus dilectus* qui nunc apud vos solus est, non Moyses & Helias, qui iam recesserunt. Istud supra latè explicatum est. *Ipsum audite*, in quo lex & prophetæ complentur, id est, redemptorem vestrum, ac saluatorem: quemadmodum Moyses,& Helias omnesque prophetæ prædixerunt: Etenim hic est qui se audientes ad gloriam talem qualem modo vidistis perducit. Istius pronominis (Ipsum) emphasim pulchrè explicat Leo papa primus. *Et audiẽtes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt ualde*, tùm propter patris loquentis maiestatem, tũ propter eam quam erga Christum habebant reuerentiam, quem hic singulariter naturalem Dei filium intellexerunt, tum quia prophetas in nubem intrare viderant, denique quia omnem istam magnificam

Cap. 3.

sermon. de transf. Dom.

cā gloriā, quam humana non fert fragilitas, cognouerunt. *Et accesit Iesus, & tetigit eos* manu, *dixitq; eis surgite, & nolite timere*, ad designandum quod incarnationis suę mysterio homines à fragilitate sua vt immēnsam illam gloriæ lucem intueri posſint sanat: quicunq; enim illius mysterij participes sunt, ita roborantur vt intrepidè eam intueri auſi sint. *Leuantes autē oculos suos nem'nem uiderunt nisi solū Iesum*, vt scirent vocē factā, de Moyse, vel Helia non esse intelligendā, sed de solo Iesu. Atq; sic Iesus in nube non fuisse cōuincitur, nā aliter ignoratū fuisset si in illa oēs tres fuissent, quisnā demōstratus fuisset. In Euangelio bis pater de filio testificatus est dicens: Hic est filius &c. Primo, in baptismo eius. Secūdo in eiusdē trāsfiguratione. In baptismo, regeneratio nostra prima designatur. In transfiguratione secūda, quā in die resurrectionis sortituri sumus. vtrobiq; autē tota apparet trinitas, quoniā ex totius trinitatis operatione vtraq; regeneratio procuratur. Spiritus sanctus in baptismo in specie columbę apparuit ad designandū quod in prima regeneratione gratiā Dei accipimus, qua corporis nostri reformationē expectantes ingemiscamus, nō enim tam perfectè regeneramur quin quotidie columbæ gemitū assumere debeamus. Verum in trāsfiguratione spiritus sanctus in nube clara Apostolos obumbrāte apparuit, ad designandū quod in resurrectione, spiritussanctus sanctos perfecta claritate donabit, atq; à tētationis feruore refrigerabit, ac eos ita obumbrabit vt immensam illā diuinitatis lucē intueri valeant, fragiles confortans, & perfectè infirmos sanans. Quod patuit in beata virgine Maria. Spiritus sanctus enim eam obūbrauit, alioquin imposſibile fuisset virginē vtero mortali gestare diuinitatē. Atq; veluti ingens æstus absq; refrigerio tolerari nō potest, ita nequiuisset Maria Christum ferre,

ferre, nisi singulari præuenta fuisset spiritus sancti gratia. Cur autē pater in baptismo nō dicat, ipsum audite, sicuti in transfiguratione, ratio est, quoniam prima regeneratio in fidelibus à præsenti obtinetur, nec tanquā futura promittitur: secunda autem corporis regeneratio, seu transfiguratio, ac configuratio, vt ait Apost. tanquam futura promittitur, & nōdum habetur. Meritò igitur vbi de secunda regeneratione agitur, præcipitur, vt Christum vitam æternam promittentem audiamus.

Et descendentibus illis de monte, præcepit illis Iesus dicēs: Nemini dixeritis uisionē, donec filius hominis a mortuis resurgat. Causæ huius prohibitionis supradictæ sunt. *Et interrogauerunt discipuli* tres *dicentes: Quid ergo scribæ dicunt quod Eliā oporteat primum uenire.* Quū nos cognouerimus te esse Christū cur scribæ dicunt quod Helias aduentū Messiæ præcedere debeat? An dictum scribarū intelligendum sit quod Helias semel cum Christo apparebit, sicuti nūc tecū apparuisse vidimus? At prius te cognouimus, quō ergo dicūt Heliā debere præcedere. Sicuti enī nos iā prædicamus Antichristū futurū & nasciturū ante iudiciū sic scribæ in synagogis suis Heliā aduētū Dñi præcessurū docebāt. *At ille respōdēs ait eis, Helias quidē uenturus est,* ante secūdū meū aduentū, & per prædicationē suā Iudæos per infidelitatē collapsos restituet. Sic Aug. Hiero. & Chrysost. qui Heliā iudicium extremū in propria persona præcessurū tradūt. In primis Aug. Itē li. 20. de ciui. Dei c. 29. Hylar. in Matth. Chryso. in epist. ad Thessal. Itē Hiero. in Malachiam & epistola ad Marcellā. Et videtur hæc expositio textui congruentior. Titelmannus verò in Matthæum scribens hoc sensu Heliā venturum intelligit: Verè (inquit) à scribis & à propheta prædictum est quod Helias venturus est ante Messiam, & Iudæos cōuersurus: sed ego dico vobis quod illa prophetia, & ser-

Cap. præce.

Lib. 1. quæ. Euan. c. 21. Homil. 58. Tract. 4. in Ioannem.

& sermo scribarum sit iam completus in aduentu Ioannis. Atque ita (venturus est) pro (venturus erat) positum est: patet enim sæpe in hoc Euangelio sic debere exponi, vt quãdo dicit Saluatori Ioãnes est Elias qui vẽtur' est. i. erat. Rursum interrogauit Ioãnes, Tu es qui vẽturus es? id est, qui venturus eras? *Dico autem uobis* quiddam magis arcanum, *quia Helias iam uenit*, etiam primum aduentum meum præcessit: *Et non cognouerunt eum*, dum eius prædicationem reiecerunt, *sed fecerunt in eo quod unq; uoluerunt*, eum contemnentes, & neci tradentes. *sic & filius hominis passurus est ab eis*, tam crudelia perpessurus. *Tunc intellexerunt discipuli* tres, *quia de Ioanne baptista* Christi præcursore, *Dixisset eis*: Istud nimirũ quia Helias iam venit. Ex hoc loco colligimus Scribas, & Pharisęos necis Ioannis fuisse conscios: tametsi Herodes eum occidisse dicatur, attamẽ ipsi verisimiliter Herodi consuluerunt.

Et cum uenisset sequenti die (vt habet Lucas) iam
Mar. 9. enim die vno, & nocte in monte hæserant *ad turbã* cum qua erant nouem Apostoli quos Iesus secum non assumpserat: & videret Scribas cum Apostolis disputantes (vt clarius habet Marcus) *Et obtuli eum discipulis tuis*, Apostolis nouem, nam tres aberant dum hæc contigit oblatio. In Marco pro eo quod hic ponitur (Lunaticus) est (habens spiritum mutũ)

O generatio incredula, & peruersa quousque ero uobiscũ? Non est oratio impatientis animi, sed misericorditer increpantis medici. Iudæos enim infidelitatis arguit: Etenim sensus est: Grauis mihi est vestra infidelitas & ingratitudo, & vsqueadeo vt subito mori cupiam, & à vobis discedere, atque ad gẽtes
Cap. 4. migrare. Apud se enim cogitabat quod post mortẽ
In cõment. suã apostolos ad gẽtes missurus esset. *Afferte huc illũ ad me* puerũ lunaticũ (de quo supradictũ est) *Et increpauit illũ Iesus* spiritũ videlicet, nõ ipsum puerũ, quãquam

quam hoc Hieronymus dicat, quem propter peccata sua huiusmodi passum esse dicit. *Et exiit ab eo dæmonium*, id est, spiritus immundus. In hoc Euangelista de spiritu explicitè nihil præcessit, Lunaticus & phreneticus dæmoniaci sunt. In Marco dicitur quod puer iste ab infantia dæmonium passus sit, ex quo patet omnes sub peccato originali, & potestate diaboli nasci: etenim iniustum esset innocentes tantas sustinere miserias, quod pulchrè tractant venerabilis Beda, & Augustinus. Vnde patet sacramenta magis nobis in die iudicij spem misericordiæ præstare, quam solatium in hac vita, nam filij misericordiæ, & gratiæ tot sæpe imò pluribus miserijs vrgentur, quam filij iræ, & impij.

Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secreto. Nouem illi, qui dum Dominus cum tribus erat in mõte, aberant, *Et dixerunt: Quare non potuimus eijcere illum?* Interrogauerunt secreto, vel remotis alijs tribus, vel remota turba. Est hic notandum quod data sit Apostolis potestas super omnem spiritum immundum at huius potestatis vsus per infidelitatem impediebatur. *Math. 10.*

Amen quippe dico uobis, si habueritis fidem sicut granum synapis plenam, & perfectam, quæ & si parui fiat ab hominibus tam efficax est tamen, vt latissimè se diffundere possit: quemadmodum granum synapis inter olerum semina modicum est quidem, seminatum tamen altissimam arborem producit.

Dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit: & nihil impossibile erit uobis. Poteritis dicere, quia quiduis ab omnipotenti Deo, si in fide perfecti fueritis, impetrabitis. Similiter prius loquutus est de grano hoc dum ei comparauit Ecclesiam, quæ initio vilis, & contempta fuisse videtur, postmodum tamen in immensum excreuit, ac sese diffudit. Nullus autem inutile, aut curiosum petere debet, etenim petitio

illa non ex fide perfecta nascitur. Item nullus facilè sibi necessarium esse miraculum persuadeat, sed
Dan.3. socios Danielis imitetur, qui inter fideles corã rege impio Nabuchodonosor constituti ausi nõ fuerunt dicere quod Deus eos à fornace liberaret, at dixerunt: Deus noster si voluerit nos eripere potest, sin minus, Deus tuus non poterit: atque proinde eum non colimus. Obijciunt infideles: nunquam Apostolos, nec aliquem Christianorũ montem transtulisse, ac proinde nullum fuisse, aut esse perfectæ fidei, aut Christi promissionem esse falsam: quasi omnia scripta essent quæ Apostoli, & alij fideles Christiani gesserunt, & quasi maiora nõ fecissent dum mortuos suscitauerunt, & vmbra sua quocunque morbo oppressos sanârunt. Nihilominus
Lib.7. hist. Eccl. ca.35. Gregorius Neocæsariensis rupem loco montis ponit. Qua de re legatur Hieronymus in vita Hilarionis. Præterea non asserit saluator hoc quãdoque futurum vt Apostoli montem transferant, sed quod hoc fieri posset, si necessitas, vel vtilitas exigeret. Mysticè autem, per fidem montem trãs-
Lib.1. quæ. euang. c.21 Ierem.51 In hũc locũ ferre est fidei humilitate, inquit Augustinus, ex corde fugare elationem. Vel quod coincidit, fugare diabolum: mons enim diabolus est cui dicitur: ecce ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terram: Sic Hieronymus. Etenim diabolus per superbiam, quæ elationis mons est in cordibus nostris habitat. *Hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem, & ieiunium.* Hæc tota (vt ait Chrysostomus) praua dæmonum generatio, non enim de aliquo speciali loquitur, nam dæmones nihil speciale habent: siquidem ipsi omnes suos ad hominibus nocendũ conatus intendunt, non autem superantur nisi ieiunio, & oratione: Cùm igitur vos his non vacaueritis, non mirum est quod dæmones non eiece ritis. In hoc enim quod non statim adhibitis ora-

tionibus, & ieiunijs ad Dominum concurrerint, incredulitas in ipsis fuisse videtur, & exigua de Deo spes. Nullam aliam huius impotentiæ causam assignat Marcus dicens: Hoc autem genus dæmoniorũ. Quasi dicat, quando non primo conatu spiritus exijt, cessastis. Theophylactus hic dæmoniacorũ etiam orationes, & ieiunia intelligi arbitratur non autẽ solum eorũ qui eijciunt, at saluator cum apostolis respondit cur eijcere non potuerint, tantummodo de oratione, & ieiunio quæ ab ipsis apostolis adhiberi debuissent, loqui videtur. Hac breui sententia quomodo nobis hic viuendũ sit instruit Christus, vt videlicet dum dæmonum, vel hominũ tentationes patimur, aut proximos pati perspicimus, vel cũ pro nobis, vel alijs iram Dei placari cupimus, vel aliud impetrare, ad ieiunia, & orationes confugiamus: quæ præcipua Christianorũ arma sunt, quibus hostiũ insultibus, & impugnationibus resistitur, ac quiduis à Deo impetratur. Pulchrè autem hæc duo coniũguntur, siquidem absq; ieiunio vel nõ lubet orare, vel frequẽter remissior est oratio, & ieiunium sine oratione ad Deum non recurrit. Quũ autem vtrumq; coniungitur Deus, oratione agnoscitur, & corporis passiones ieiunio curantur.

Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus: filius hominis tradendus est in manus hominum. Lucas clarius legit tradendus est per proditorem Iudam in potestatem impiorum hominum. Saluator hic repetit quod superiori capite de passione & resurrectione sua dixit, addens tamen aliquid quod ibi nõ expresserat, nempe quod per proditionẽ in manus hostium venturus esset, quod clarius infra repetit. Frequenter autem istud inculcat: etenim salus humani generis propter quam in hunc mundum venerat in passione, & resurrectione consistit.

Luc. 9

Cap. 10

Secun-

Secundo ne adueniente morte turbarentur discipuli, sed sicut viderant mortē quam Christus prędixerat euenisse, ita futuram non dubitarent resurrectionem quam similiter prænunciauerat. Dixit autem istud non tantum Apostolis, sed etiam amicis, vtpote Mariæ Magdalenæ, & similibus, dicēs:
Luc.24. Recordamini qualiter loquutus est vobis quum adhuc in Galilæa esset.

Et contristati sunt uehementer. Propter amorē Chri-
Luc.18. sti: plurimum de morte, sed parum de resurrectione cogitantes. Lucas ideo dicit Apostolos quæ dicebantur non intellexisse, quia amoris, & reuerentiæ Christi magnitudo parabolicum esse sermonem persuadebat, quamuis mali aliquid pręsignantem: vel ignorasse dicuntur, quia nullam mortis causam sciuerunt: ad eundem modum quo admirantes illud cuius causam ignorant, dicuntur non intelligere. Habet Lucas: Ignorabāt verbum istud &c. Causa autem mortis Christi quam ignorabāt fuit redemptio generis humani, & iniquitas quæ illud æternæ morti fecerat obnoxium.

Et cum uenissent Capharnaum, accesserūt qui didrachma accipiebant, ad Petrum. Nomen didrachma pluralis numeri est à didrachmum. drachma numismatis genus est sex obolos continens. Ad recipiendum autem istud numisma positi erant à romanis, & constituti quidam, illi autem à saluatore, quoniam Nazarenus erat, tributum exigebant in Capharnaum, in quo vrbs ipsa Nazaret sita erat. *Et dixerunt ei magister uester non soluit didrachma?* Istud temporis pręsentis est, atq; interrogtiue dicitur. Cuius sensus est, vultne soluere, vel cōsueuitne soluere dicrachma? Potest autē hoc benigne & prauè hoc modo interrogari vult Magister vester bene soluere? vel vult magister vester romanis rebellare? & Iudæ galilæi sectæ (de qua postea dicemus) adhærere?

Ait.

A it, etiam Magiſter meus non recuſat, imo ſolet, & omnino vult ſoluere. *Et cum intraſſet in domum* Ad Ieſum *Præuenit eum Ieſus dicens*: Ieſus interrogationẽ Petri præuenit, quia Petrus iam tributi exactionem indicare ſtatuerat, & ſuper ea Chriſtum conſulere: Ideo autem præuenit eum, ne diſcipuli ad poſtulationem tributi ſcandalizarentur dũ Chriſtũ viderent ea non noſſe quę ſe abſente geſta erãt. *Ergo liberi ſunt filij*. Regum ſcilicet, à vectigalibus in regno patris ſui? Si ita eſt, quantò ego magis, qui ſummi regis filius, atque omnium regum rex ab omni tributo cum mea familia liber ſum? *Vt autẽ non ſcandalizemus eos* exactores tributi, qui dignitatẽ meam non intelligunt, præbendo eis de me ſiniſtræ ſuſpicionis occaſionem, vt me iniquum eſſe tributi detentorem indicent: vel me eſſe ſectatorẽ hæreſis Iudæ Galilæi, qui illicitũ eſſe docuit quod populus Dei Romanis gentilibus tributa penderet. *Vade ad mare, & mitte hamum, Et eum piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem.* Dominum maris & piſcium ſe oſtendit. Creauit autem Deus in aquis ſtaterem, vel ſi prius creatus erat, ad os piſcis illius, qui primus à Petro caperetur deueniret direxit. Per hoc declarat Chriſtus ſe tantam in tributis pendendis velle nos ſeruare iuſtitiam, vt etiam miraculo pecuniam ſoluendam acquiſierit: quẽadmodum de Eliſæo legitur quod multiplicando oleum ita vt vaſa deficerent miraculum fecit, quatenus mulier ſuis creditoribus exſolueret. 4. Reg. 4 *Da eis pro me & pro te*. Pro me tanquam totius familiæ capite, & ſecundo pro te, ſeu pro tota familia mea, cuius tu primus es. De hoc cenſu quẽ Romanis Iudæi pendebant habet Paulus de Maria & Ioſeph, qui cum alijs acceſsit vt Auguſto tributum penderet. Rom. 13. Sic igitur Chriſto illudere conabantur ſperantes quod ſi tributum pendere recu-

Luc.23. ſaret à Cæſare continuo interficeretur, vnde tanquam maximum ſcelus poſtea Chriſto obijciunt:
Math.24. Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & tributa Cæſari dare inhibentem. Cæterum in veritate prorſus contrarium docuit, quod & hic ad noſtram inſtructionem, & vitam formandam facta exhibuit. Quæritur vtrum Chriſtus reuera ab omni tributo liber fuerit? Reſpondeo, ita ſecundum diuinitatem, veruntamen ſubiectus, & obligatus ſoluere erat ſecundum humanitatem, quia
Gal.4. (vt ait Paulus) factus eſt ſub lege, & per omnia nobis ſimilis abſq; peccato. Saluator autem pro more
Cap.12. habet vt ſæpiſsime de principali loquatur non negato, aut contempto minus principali vt patet ex ſupradictis vbi dicit: Qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt, non Mariam matrem ſuam ſecundum humanam carnem eſſe negauit. Sicuti ergo ſecundum humanam naturam imperatorum legibus ſubiectus erat, ſic & mandatis matris ſuæ ſubiectus fuit nam leges naturæ ita Chriſto ſicuti nobis inſcriptę
Gal.4. erant. Vnde per omnia dicit Paulus, Chriſtum fratribus aſsimilatum excepto peccato. porro hic de ſe loquitur ſecundum diuinitatem, quemadmodū
Math.12. quando dicit: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Tantaq; in eo fuit diuinitatis libertas vt pro placito ſubiectionem tollere poſſet, teſte Bernardo ad Henricum Senonenſem archiepiſcopum,
In commēt. Iſtud etiam ad noſtri inſtructionē fecit. Tota enim conuerſatio eius eſt vitæ noſtræ inſtructio, vnde Hieronymus: Nos infęlices, inquit, qui Chriſti cēſemur nomine, & nihil dignum tanta facimus maieſtate. Ille pro nobis & crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filij regis à vectigalibus immunes ſumus.

IN

QVis *putas maior est* id est maxim' erit *in regno cœlorum*? Quanquam hæc in se curiosa sit quæstio, attamen ex hac apparet eos non circa terrena, vti nos sed cœlestia fuisse occupatos, Recteq; id quod in via inter se disceptauerant (nã disputabant quisnam eorũ maior esset) proponunt vel occasione illius quod Petro dixerat Christus Pro me, & pro te dabis. Vel quòd tres discipuli seorsum cum Christo in montem assumpti fuerant. Quæ ex superioribus patent, & abunde ex Marco & Luca. Lucas dicit Christum vidisse cogitationes ipsorum. Christus autem quęstionem ipsorum curiosam vtiliter resoluit, paruulum in medio ipsorum statuendo, atq; dicendo, *Nisi conuersi fueritis* à superbia, & malitia vestra, *& efficiamini sicut paruuli* vitæ humilitate, & innocentia, *non intrabitis in regnũ cœlorum*. Hic præcipue Christus humilitatem docet, vnde subiungit: *Quicunq; ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum*, Hic verè in regno cœlorum maximus est, quoniam omnes ibi maximi erunt. Non autem vult dicere illum cæteros gloria superaturum, at in gloria futurum, nã maximũ esse in regno cœlorũ ei opponitur quod est, Nõ intrabitis in regnum cœlorum. Item alibi *Math.20* dicitur Erunt nouissimi primi: vbi omnes qui in regno cœlorum futuri sunt primi vocantur. Vult omnes paruulo similes esse, qui læsus iniuriæ immemor statim placatur, nec pro honore cõtendit, neq; Dominia concupiscit, *Et qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo*, Videtur absolute, de puero secũdum ætatem loqui. Pueros ergo ætate intellige quacunque ratione pusillos, vel vera modestia humiles, vel mundo contemptibiles, vel in fide infirmos, nam per puerum Christus homines viles, & verè humiles designabat. Ex Luca

patet hunc locum non tantum de hominibus contemptis, modestis, vel humilibus, verumetiam de ætate paruulis esse intelligendum. *Me suscipit* tā gratum mihi officium præstat, quam si personam meā hospitio exciperet. Sub hoc misericordiæ opere cętera intelligenda relinquuntur. In Marco inter pusillos. & minimos Apostoli recensentur, vbi enim Matthæus dicit: Quicunque dederit potum vni ex minimis istis dicit Marcus: Quisquis potum dederit vobis &c. idq́ eo loci vbi historiam huius capitis recenset. Vult ergo Christus hac sententia nos neminem cōtemnere, nulliq́ quantumuis cōtemptibili nos præferre. Quilibet enim quantumcunque in hoc mundo vilis, & abiectus sit, angelū ad sui custodiam designatum habet. Igitur si Deus illos tanta dignatur custodia, quantò magis sunt à nobis honorandi. *Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Melius esset eū saxo alligatum demergi, quam minimum ex istis scandalizare, quoniam incomparabiliter futuri sæculi pœna quæ scandalizantem manet huiusmodi submersionis pœnam excedit. Loquitur Palæstino rum more, apud quos morti adiudicati ligato ad collum saxo in mare præcipitabantur. Non vult autem melius esse vt homo postquam quempiā scādalizauerit submergatur, quasi per temporalē mortem euaderet æternam quam meritus erat dū scādalizauit, quanquam Hieronymus hoc modo exponere videatur, sed quod scandali malitia tanta sit tanquam grauiter punienda, vt potius mos temporalis atrocissima sit eligenda, quam abiectissimus scandalizandus. *Væ mundo a scandalis.* Maxima condemnatio hominibus mundo addictis propter euenientia scandala imminet, dum enim plerique homines secundùm mundum viuentes malis patrandis

Marginal notes: *Marc. 10.* (beside "tera intelligenda relinquuntur"); *Luc. 17.* (beside "saxo alligatum demergi"); *In comment.* (beside "dalizauit, quanquam Hieronymus")

trandis dediti ſunt, fieri nequit quin illa eueniant, quoniam ſic affecti proximum ſcandalizare non verentur,contra Paulum dicentem. Si eſca ſcandalizat proximum meum,non manducabo carnes in æternum. Interea tamen illi qui ſcandali cauſa eſt maxima miſeria imminet. *Neceſſe eſt enim ut ueniant ſcandala,* non abſoluta neceſsitate, ſed ea quæ volũtariam hominum malitiam conſequitur: quemadmodum ſi medicus videns aliquem perpetuo ſe potu obruentem dicat: Neceſſe eſt illũ ſtatim mori,non abſolutam ſignificat neceſsitatem,ſed ex voluntaria potatione conſequentem. Cum igitur infinitus ſemper futurus ſit ſtultorum numerus, atq; ſemper futuri ſint homines ſui amatores, nõ prius ſcandala deficient quam ſæculi conſummatio aduenerit. Scandalum propriè eſt quod in via impedimentũ præſtat. Per tranſlationem autem eſt dictum vel factum minus rectum,prębens alteri occaſionem ruinæ. Vnde ſcandalizare aliquem eſt ex dicto,vel facto malo occaſionẽ ei dare in mortale peccatum prolabendi: Et hoc propriè eſt ipſi ex parte animæ nocumentum inferre,quod eſt cõtra charitatem proximi. Ideoq; qui talem ſic ruere facit,ſi ex intentione faciat, etiamſi dictum vel factum ipſum de genere peccati mortalis nõ ſit,mortaliter delinquit: vt mendacium iocoſum mulieri dictum intentione eam ad adulterium pertrahendi,ex ipſa finis intentione mortale peccatũ eſt. *Si autem manus tua &c.* Nouit vnuſquiſque credentium, inquit Hieronymus,quid ſibi noceat,vel in quo ſollicitetur animus ac ſæpe tentetur. Melius eſt enim vitam ſolitariam ducere quam ob vitæ præſentis neceſſaria vitam æternam perdere. Iubemur hic membra noſtra non corporaliter abſcindere, ſed ab illicito vſu & exercitio peccati cohibere: vt manus ab illicito iactu,oculos ab illicito aſpectu.

1.cor.8.

Math.5. & 15.

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Diligētissimè cauete, ne vel vnum tantum ex his qui in me credunt contemnatis, vt autem ostendam cuiuslibet dignitatem, dico vobis, quod *angeli eorum in cœlis semper uidēt faciē patris mei qui in cœlis est*. Angeli eorum custodes, quorum propria in cœlis habitatio est, sine vlla intermissione diuinæ essentiæ patris mei cœlestis claritatem conspiciunt. Quantumcūque enim ad rerū inferiorū administrationes mittantur, semper tamen per apertam visionem Deo adhærent. Non ergo quisquam contemnendus est, cuius preces & vota per tam præclarū principē ad patrem meū deferuntur, etenim qui talē principem in conspectu Dei semper assistentē habet, de contēptoribus apud patrem meū facillimè querelā de-

Lib. 22. de ciuit. Dei c. 29. ponere potest. Augustinus autem vult Angelos hominum dici, quod post reconciliationē cœpimus esse ciues eorū, & domestici, atq; vicissim ipsi nostri. Constat autem ex Scriptura sacra Angelos esse

Genes. 48. Psal. 90. Psal 33. custodes nostros à multis periculis nos protegentes, iuxta illud: Angelus qui eruit me de cūctis malis. Item, Angelis suis mandauit de te, vt custo-

Tob. 12. diant te in omnibus vijs tuis.

Rursum: Immittet seu castrametabitur Angelus Dn̄i in circuitu timentiū eum, eripiet eos. Offerūt

Apoc. 8. Zacha. 1 Luc. 16. etiā Angeli nostras orationes, vt patet ex Tobia, & Apocalypsi, & pro nobis intercedunt. Rursum animas sanctorū post mortem deducunt, vt patet de Lazaro mēdico mortuo. Periculosè ergo contemnuntur quorum desideria, & postulationes ad æternum, & inuisibilem Deum angelorum ministerio, ac famulatu perferuntur. Sed quærat quispiā, vtrū quilibet tam bonus, quā malus ad sui custodiam angelū habeat? Respon. Secundū Hieron. quemlibet hominē ab ortu natiuitatis suæ habere angelū

Dan. 10. custodē satis consentaneū est Danielis prophetiæ,

qui

qui quoſdam angelos regnorum infidelium, vtpote Perſarum, Græcorum &c. cuſtodes inducit (quāquam Gregorius & Baſilius ad bonos tantum id referunt.) Item Nabuchodonoſor, Pharao, Abimelech angelorū miniſterio ſomnia habuiſſe in Scripturis leguntur, vnde patet etiam impios homines habere cuſtodes angelos. Rurſum quærat aliquis vtrum ſinguli ſingulos habeant cuſtodes? De hoc Magiſter ſententiarum dubitat: ſed D. Thomas aſſerit. Certum eſt autem ex ſcriptura, quod quādoque vni homini multi angeli cuſtodes deputentur vt patet de Eliſęo. Deinde è cōtrario certū eſt quod vnus angelus multos poſsit defendere. Cæterùm D. Thomæ ſententia admodum probabilis videtur, quoniam Deus omnia decentiſsimè diſpoſuit. Aptius autem videtur, vt quilibet ſuum proprium angelum cuſtodem habeat, quam multi vnum.

Lib. 7. moralca. 7
Lib. 3. de ſpiritu ſancto.
Lib. 2. ſent. diſt. 11.
4. Reg. 7
4. Reg. 19.

Angeli autem non ſemper in cœlis manent, ſed ſubinde ad homines deſcendunt, vbicunq; tamen ſint, eorum cognitio per diſtantiam localē nunquā impeditur: atq; ita hominis ſibi commiſsi curā gerant, vt ſtatim quæ agit, quæq; ei vel bona vel mala immineant cognoſcant, quia Deū vident in quo omnia cognoſcunt, Deus autem vbique eſt. Præterea boni angeli bonas cogitationes ſuggerunt, vt contra mali malas, vt patet ex Paulo dicente: vt nō circumueniamur à Satana. Ideoque quando homo ſubito aliquid boni cogitat, præſentiam angelicam reuereri debet: contrà, quando cogitationes malas ſentit, debet ſe ſtatī ſanctæ crucis ſigno, & oratione munire. An verò quilibet malū etiam Angelū habeat in exercitiū ſibi deputatū apud graues authores nō reperi. Magiſter ſent. id tanquā ex Gregorio ſtatuere conatur. Probabilius eſt non habere, abundè enim ex naturæ corruptione ad malū proni ſumus. Gentiles autem id ſenſiſſe vidētur dū

1. Cor. 2. & 11.

genios duos vnum bonum, alterum malum posuerant, sicuti & duos lares, de quibus Prudentius. *Venit enim filius hominis saluare quod perierat.* Secundam adijcit rationem ob quam pusilli cõtemni nequaquam debeât longè priori efficaciorem. Ego enim, inquit, in hũc mũdũ veni, vt genus humanũ quod per Adæ & superaddita peccata perierat, à cœcitate spirituali, æterna morte, atque miseria liberarẽ. Sic, inquam, ad saluandum genus humanum venit, vt ad saluandum quemlibet proditorem venerit. Quis igitur vnum ex illis contemnere audeat. Magna sanè hinc lucescit hominis dignitas

Li.3. cõfes. cap.11. cuius contemplatione exclamat Augustinus. O tu bone omnipotens, qui sic curas vnumquemq; nostrum tanquam solum cures: & sic omnes tanquã singulos. Hanc rationem latius deinde explicat adducta parabola de centum ouibus, & de pastore ouium: quæ frequenter in nouo & veteri testamento proponitur.

Luc.15. Ioan.10. Psal.76. Esa.40. Ezech.34. Psal.110

Amen dico uobis, quia gaudet super eam magis, quam super nonaginta nouem quæ non errauerunt, tum quia magis de ea cogitat, vtpote recenter inuenta, siquidem de nouis rebus magis, quam de veteribus cogitamus: tum quia gaudium magis sentitur, propter oppositam tristitiam quæ in animo gerebatur dũ ouis illa aberrasset. Quod etiam in rebus humanis contingit, nam & ei qui iamdiu esuriem passus est longè suauior cibus est quam saturo. Pastor est Christus, centum autem oues sunt angelicum & humanum genus, quæ integra & recta à Domino instituta perpetuoq; ab eo pascenda fuêre: ex istis autem errauit vna, nempe genus humanum, dum princeps illius generis Adam viam rectam reliquit, & peccato infectus totam posteritatem suam infecit. Reliquit autem Christus angelos, qui in excelsis cœlis perstiterunt, non quidem ab

eis

eis recedendo, ſed naturam mortalem ſecundum quam in eorum conſortio non erat aſſumendo, venitque erraticam ouem quærere à principio incarnationis vſque ad aſcẽſionem, quia omnia quæ in corpore geſsit ad humani generis errabundi ſalutem ordinauit, atque eam inuenit quando per crucem, & reſurrectionem miſſo ſpiritu ſancto homines reſtaurare cœpit. Gaudetque ſuper iſta oue magis quam ſuper angelis, quoniam longè maior in hominũ reſtauratione, quam in angelorum creatione eſt diuinæ laudis materia, mirabiliter quidem homines creauit, & angelos beatificauit, ſed longè mirabilius homines redemit: quod piè in multis quæ in ſacrificio Miſſæ leguntur collectis declaratur. Quidam oues interpretãtur quæ non errauerunt, non angelos ſanctos, ſed ſuperbos, qui ſe putant iuſtos: qui non erraſſe dicuntur, quia errorem ſuum agnoſcere nolunt. Sic Auguſtinus in quæſt. Euangelicis. Hanc eandem parabolam latius deſcribit Lucas. *Sic non eſt uoluntas ante patrem ueſtrum qui in cœlis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis.* Hoc modo parabolam applicat: Sicuti paſtor modis omnibus ouem errantem reducere ſtudet, ſic non vult Deus vt quiſquam pereat, etiã ſi nunc erret, ſed vult vt vitam æternam habeat. Si igitur pater cœleſtis tanti hominem faciat, veſtrum non eſt contemnere quemquam. Paſtorem in parabola non de patre, ſed de Chriſto interpretati ſumus: etenim pater oues nonaginta nouẽ dereliquiſſe non dicitur, nec in humeros ſuos erraticam aſſumpſiſſe, quod addit Lucas. Humeri enim, Chriſti humanitatem quam nobiſcum communem accepit ſignificant, & quia Chriſtus per hanc parabolam, iſtam illud venit filius hominis ſaluare &c. declarare intendit, vbi de ſe manifeſtè loquitur omnino ipſe per paſtorem eſt intelligendus.

Lib. 2. c. 32.
Luc. 15.

Quod

Quod autem dicit: Sic non est voluntas, de patre suo loquitur, non quasi parabola de patre dicta sit, sed quia omnino eadem est filij patrisque voluntas. Dicitur autem Deus velle vt nemo pereat, sed quilibet saluus fiat hactenus, quia nullus electorum Dei perit: sicut in semine Abrahæ benedicuntur omnes gentes, quæ benedicendæ, vel electæ sunt. Vel, quemlibet vult saluum fieri, quoniam nemo nisi ipso volēte saluus fit, quemadmodum Paulus dicit: Per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ, id est, Quicunq; iustificantur, hoc debent Christo. Vel velle dicitur quia cordibus iustorum vt & ipsi quemlibet saluū fieri velint inspirat, quemadmodū spiritus sanctus dicitur clamare Abba, pater, & postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus nō quod ipse Deum oret, sed quia nos orare, postulare, & ingemiscere faciat. Simpliciter verò loquendo Deus *non omnes uult saluare*, sed pro peccatis & malefactis suis iustè damnari. Varias expositiones istas habes apud Augustin. varijs in locis, vt Epist. 107. de prædestinatione sanctorum cap. 8. Enchirid. cap. 103. De cor. & gratia cap. 14. & 15. Damascenus dicit, Deum quēlibet velle saluum fieri, inquantum cuilibet homini media ad salutem tribuit, & inquantum quilibet à Deo creatus est. Quanquam eum vt peccator est, condemnare velit. Quemadmodum de iudice dici potest, quod quemlibet ciuiū viuere velit, quoniam omnibus vitę defensionem prouidet: veruntamen quosdam occidere vult, nō quatenus ciues, sed inquantum malefactores. Vnde Esaias: Heu consolabor super hostibus meis. Voluntatem hanc consequentem vocat, illam antecedentem.

Rom. 5. *Rom. 8.* *Lib. 2. cap. penult.* *Esa, 1.*

Si autem peccauerit in te frater tuus uade, & corripe eum inter te & ipsum. Sententia prorsus moralis est, quæ hūc intellectū admittit. Quisquis es Christiane, siue sub-

ue subditus, siue superior, cuiuscunque conditionis aut sexus si frater Christianus te offendit, correptionem adhibe. Christiani fratres dicuntur, quoniam eundem patrem Christum habent. Hunc inquam, si peccato occulto te læserit (nam de apertè & publicè peccantibus prælato dictum est: Peccantes coram omnibus argue) corripe eum inter te & ipsum solum, vt famæ ipsius quoad fieri potest parcatur. Fama enim ad corporalia, & spiritualia admodum vtilis est. *si te audierit*, pœnitentiam agens, *lucratus eris fratrem tuum.* ex quo patet per peccatum quod commiserat fuisse perditum. Idem apud Iacobum pulchrè habetur. Fratres mei si quis ex vobis errauerit à veritate & conuerterit quis eum, scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vię suę, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. *si autem te non audierit.* Hinc patet quomodo præcepta quæ hîc de fratre corripiendo ponuntur, & adhibendo testes, Item de denunciando Ecclesiæ hominem obligent, inquantum scilicet ad lucrandum fratrem necessaria sunt. Quapropter si verisimile sit quod frater peccans spontè se emendabit, vel ex correptione futurus sit deterior, præcepta de fraterna correptione nullatenus obligant. Simili modo qui tempus opportunius expectat ad corripiendū, pręceptum nullo modo violat, quoniam propter fratris emendationem præcepta est correptio. Quare si quis hoc tempore corripiendum esse non iudicet præcepto non tenetur. *Adhibe tecum adhuc unum, uel duos, ut in ore duorum, uel trium testium stet omne uerbū.* Si per secretam correptionem admonitus te non audierit, adhibe testes corā quibus verecūdetur, & deserto malo conuertatur. Sub vno vel duobus testibus plures intelligi possunt, tot enim adhibendi sunt quot fratris emendatio exigit.

1. Tim. 5

Iacob. 5

Quæ-

Quæcunque enim de correptione præcipiuntur, ex fine qui lucrum est fratris, metienda sunt, tales autem adhiberi debent quos peccans verisimiliter auditurus sit, docti videlicet & probi, qui peccatū ei suum quale sit & quam grande ostendere queât, & quorum ille authoritatem & probitatem reuereri possit. Adhibēdi autem sunt testes vel ad docendum, vel conuincendum, denique vt testes sint admonenti, quod pro salute fratris correptionem non neglexerit, vnde si non audiatur, facere debet quod sequitur: *Quod si non audierit eos dic Ecclesiæ*, vltimi testes isti viri debent esse reuerendi, quibus credatur, & qui peccatum fideliter testentur in iudicio, & admonentem officio suo functum esse confirment, vt sic peccatum in multitudinis notitiam deducatur, & saluetur opprobrijs, qui saluari non voluit pudoris medicamentis. *Si autem Ecclesiam non audierit*, & à Præposito eius quem audire noluit, tanquam rebellis condemnatus fuerit. *Sit tibi*, id est habeatur, *sicut Ethnicus & publicanus*, publicè excommunicatus, non iam tanquam frater, sed extra Ecclesiam existens, Ethnicis & publicanis similis effectus. Quinimo illis deterior, peior enim est impius Christianus homine gentili. Per Ecclesiā non tam ipsa multitudo, vel congregatio quā Ecclesiæ præpositus intelligēdus est, siquidem de illa ecclesia cui correptus subest agitur, talis autē nō tā est multitudo, quam prępositus, qui correptum rebellantem publicè punire potest, vt Augustinus ait lib. quinquaginta Homiliarum tractans illud Apostoli: Si quis frater nominatur ebriosus, vbi docet sæpe publicos peccatores tolerandos esse, & nō vitandos, donec per Ecclesiæ præpositos excommunicationis ferula percussi sunt. Ideoque interpretati sumus de excommunicatione. Quis autem possit excommunicari, & quod solus contumax pul-

Homil. ult.
1. Cor. 5.

pulchrè tractat D. Thurnout. Aduertendum est Saluatorem, quando dicit, Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, non prohibere omnem curam excommunicati, sed tantum eum vult non haberi de numero Christianorum. Etenim pastores, & alij Christiani non tantum oues quæ in ouili pascuntur curare debent, verùetiam summo studio quærere, ac reducere debent extra ouilia abiectas, atque errantes: vnde Dominus pro gentilibus, publicanis, & hæreticis orare præcepit. Quod autem rarò pro istis orationes fundantur causa in nobis est remissior charitas, vt Augustinus ostendit lib. 1. de cap. 9. de ciuit. Dei. *Tom. 4. fo. 62.* *Ezech. 34.*

Amen dico uobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Quoniam Ecclesiæ Præposito peccator dicere potuisset: Si tu me tanquam Ethnicum, & publicanū despicis, ego te vicissim despiciam, & Ecclesiæ sententiam nihili faciā, Ideo Dominus Apostolos, & Ecclesiæ præpositos tali potestate donat, qua sententia eorum per diuinam roboretur, atque obsit, vel prosit, non tantum in terra, verumetiam in cœlo. Licet autem hæc verba cum verbis Petro dictis ferè eadem sint, quædam differentia est: siquidem verba Petro dicta plenam potestatem super omnes etiam Apostolos significant, etenim ei singulariter dicta sunt in præsentia cæterorum Apostolorum, hæc autem verba omnibus Apostolis dicta sunt, nec pleniorem vni quā alteri potestatem tribuunt. Hęretici aliter istud exponunt prauè intelligentes Augustinum, qui dicit illum ligare proximum, qui non vult peccanti in se ignoscere, & illum soluere, qui ignoscit peccanti in se, non enim Augustinus existimandus est docere hanc potestatem penes Laicos esse, sed mysticam duntaxat interpretationem tradit, aut potius *Serm 16. de uerb. Dom.*

tius per quandam allusionem hoc dicit. Quod autem Augustinus penes solos Ecclesiasticos ius ligandi, & soluendi esse senserit clarè patet ex libro 50. Homiliarum supra citat. Item Epistola ad Honoratum quæ ponitur in fine vitæ ipsius. *u omil. ult.*

Iterum vt intelligatis quanti faciam mutuam charitatem, & concordiam, seu quantum velim vos peccantes corripere, & correctis ignoscere: rursum quantum velim corripientes à peccantibus audiri, ac præsertim Ecclesiam. *Dico uobis quia si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint fiet illis a patre meo qui in cœlis est*, id est: Si isti concordes fuerint ac veram pacem coluerint, quicquid voluerint à patre meo infallibiliter impetrabunt. Etenim concordia, & communis oratio ad quiduis impetrandum est efficacissima. Si igitur tantum valet duorum oratio, atq; petitio, dubium non est concordem totius Ecclesiæ orationem plurimum valere. *Vbi enim sunt duo, uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ideoque quiduis impetrare possunt, quoniam ibi secundum diuinitatis meæ singularem gratiam sum cum patre meo, qui petita nequaquam negabit. In medio per gratiam Christus esse dicitur, tanquam inter eos & patrē, mediator, propter quem quiduis pater donare debet, quoniam vnigenitus eius filius per passionem suam hoc promeritus est, & hoc rogat.

Si igitur Christus ibi est, vbi duo, vel tres in nomine eius congregati sunt, multò magis vbi vniuersi, vt in Concilijs Oecumenicis vbi patres Ecclesiæ ad Christi honorem congregati sunt. Quocirca humili animo, alacri deuotione, ac mentis affectu sanctorum societati, orationibus, atque piorum supplicationibus interesse studendum est.

Tunc

Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine quoties peccauit in me frater meus, & dimittam ei: usque septies? Quia Petrus de corripiendo audiuerat, & pœnitẽtiam agenti esse dimittendum, deniq; istud, Quod si duo consenserint super terram de omni re &cæ. accesit ad eum, rogans quoties fratri peccanti dimittendum esset. Non autem interrogat occasione istius dicti (Quæcunque alligaueritis) quoniam ex responsione Domini sequeretur nunquam alligãda esse peccata, quod saluator semper vult ea dimitti. *Dixit illi Iesus non dico tibi usq; septies, sed usque septuagies septies.* Numerum finitum ponit pro infinito, volens (vt patet ex Luca) Vniuersitatem significare, quasi dicat: Semper fratri dimitti volo. Hinc non exiguam peccatores pœnitentes consolationem accipere debent, etenim si Deus nos in fratres tam vult esse clementes, vt quotiescunque nos offendunt, & verã pœnitentiã agũt dimittamus eis, quanto clementior est immensa illa bonitas? procul dubio peccantes dũ à peccatis resurgũt, & pœnitentiam agunt semper in gratiam est receptura.

Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. Quod autem delinquentibus perpetuo ignoscendum sit, similitudine admodum congruenti declarat, dicens: Sic in regno cœlorum seu in populo Dei cœlo destinato agitur, atque si esset rex aliquis qui poneret rationem cum seruis suis &c. *Oblatus est ei unus qui debebat ei decem milia talenta &.* Per hũc designatur quilibet peccator, qui vnde soluat non habet: etenim nemo vnde se à peccato redimat, vel liberet habet, nisi Deus misericordia sua vltro eum præueniat. *Et debitum dimisit ei.* Petebat tantum dilationem, Dominus autem totum debitum dimisit: siquidẽ pietatis suæ abundantia hominum merita, vota, & petitiones (vt canit Ecclesia) excedit.

Egres-

Egressus autem seruus ille inuenit unum de conseruis suis &c. Videntes autem conserui eius quæ fiebant contristati sunt ualde, & narrauerunt Domino suo omnia quæ facta fuerant. Conserui angeli sunt, & homines sancti, quæ de impiorum hominum crudelitate apud Deum cõqueruntur. *Tunc uocauit illum Dominus suus, & ait illi: serue nequam omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui?* qui inferior te non est, sed æqualis, *sicut & ego* qui te superior sum. *Tui misertus sum?* Magna Christianorum confusio, & improperium designatur, qui post tantam à Domino misericordiam acceptam, nullam petẽtibus se impendere volunt. *Et iratus Dominus eius* extrema, & implacabili ira, *tradidit eum tortoribus*, id est, dæmonibus torquendum, *quoadusque redderet uniuersum debitum*, id est in æternum. Etenim nunquam poterit homo post extremum iudicium pro peccatis suis satisfacere: nullus enim pœnitẽtię locus relinquetur. Tractari solet hic quæstio. Vtrum peccata dimissa redeant, de qua consulere licebit Magistrum sent. lib. 4. dist. 22. & eius loci commentat. & B. Thomam in tertia parte.

IN CAPVT DECIMVMNONVM.

Et venit in fines Iudææ trans Iordanem, Non in Iudæã, sed in Iudeæ propriè dictæ fines: quę duarum tribuum est, Iudæ scilicet, & Beniamin. *Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam* Eum tentabant vt in verbis capere possent, nam si quæstioni affirmatiuè respondisset, tanquam contraria docẽtem, & non verum pudicitiæ laudatorem, atq; doctorem accusassent, si vero negatiue, legi Moysi contrarium esse culpassent. Potest etiam istud non calũniosè dictum accipi: Inter Pharisæos enim de

Math 22.

lege

lege matrimonij controuersia magna extitit, nam quidam docebāt vxorem nullo modo esse dimittendam: Cæteri verò è contra, vnde si inielligantur ex Christo scire voluisse quid de hoc problemate sentiret, nequaquam calumnia est. *Quacunq; ex causa*:id est,pro placito,ob quamlibet leuem causam:Sic enim Hieronymus intelligere videtur. Vel sensus esse potest,vtrum vnquam licet ex aliqua causa dimittere? Hanc secundam expositionem innuere videtur Marcus Euangelista,dicens: An licet viro vxorem dimittere? Orta autem hęc quæstio videtur ex Deuteronomio, & ex verbis Domini. *Qui respondens ait eis, non legistis, quia qui fecit ab initio* homines,& cæteras creaturas, *masculũ & fœminam fecit eos*, scilicet primos homines: *& dixit* Dominus per os Adæ,ex immissione diuina prophetantis,vt ex hoc patet(Immisit Dominus soporem in Adam) & ex Augustino super Genesim ad literam. *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*. Quoniam mulier caro viri facta est ex costa eius, in adulterium illius relinquet patrem quoad familiarem conuersationem,quam cũ parentibus vsque ad virilem ætatem habere consueuerat, & adhærebit indiuisibiliter, & firmiter vxori,tanquam suæ carni, nō certo quodam tempore postmodum eam relicturus,sed perpetuo. Nō dicitur(vxoribus) etenim vnica de carne,viri creata est,quemadmodum annotat Cyrillus. *Et erunt duo nec plures in carne una*. Ita rectè noster interpres licet Græci ablatiuo carentes in carnem vnam legant. Hoc est: Erunt vnum secundum carnem, & corpus per carnalem commixtionem,quemadmodum interpretatur Paulus. Neque enim placet hic Græcorum expositio. Nam caro non hic pro toto homine ponitur,sed propriè pro corpore, quoniã Paulus loco citato carnem per corpus interpretatur

In commēt.
Cap.34.
Math.5
Genes.2
Lib.1.c.19
Ioan.17
1.Cor.6.

tur eam contra ſpiritum diſtinguens. *Itaq; iam non ſunt duo ſed una caro.* Ex his verbis concludit ſaluator quod poſt matrimonium initum maritus & vxor ex diuina inſtitutione ita inuicem coniuncti ſunt, vt vnius caro ſit alterius, nec iam duo ſint ſecundũ carnem, ſed vnum tantum, ita vt plenam poteſtatem vterq; in carnẽ alterius habeat. *Quod ergo Deus coniunxit*, In primæua naturæ inſtitutione verbis ſuis per Adam prolatis, coniunctionem coniugum declarans, *homo non ſeparet*, vel dimittendo coniugem, vel dimiſsionem licitã eſſe docẽdo: ſed Deus ſolus, qui quemadmodum coniunxit, poteſt vel auferendo alterum per mortem, vel vtriq; continentiæ votum inſpirando diſiungere. Horum verborum ſenſum myſticum tractat Paulus qui expreſſe interpretatur maritum eſſe Chriſtum, vxorem Eccleſiam, quam nunquam derelinquet, quæ de carne eius, & oſsibus in cruce fabricata eſt: & rurſum in corpus mariti ſui redigitur, eiq; vnitur dum corpus, & ſanguinem eius ſumit: vide Auguſtinum ſuper Ioannem, Hieronymum in epiſtola ad Ephæſios. *Dicunt illi*, calumniam quam ſtruxerant aperientes: *Quid ergo*, ſi videlicet homo non poteſt ſeparare coniuges quia à Deo coniuncti ſunt, *Moyſes mandauit dari libellũ repudij* atq; dimittẽdi modũ præſcripſit. *Ait illis, quoniam Moyſes ad duritiam cordis ueſtri permiſit uobis dimittere uxores ueſtras*, non quaſi exiſtimarit licitũ eſſe dimittere vxorẽ, ſed quia iudicauerit ſatius eſſe minus malũ permittere, quam admittere maius, quaſi dicat: Tam eſtis praui, & ſcelerati, vt ab vxoribus offenſi, à prudentibus & doctis viris (apud quos eſt poteſtas ſcribendi libellum repudij) placari non poſsitis; adeo vt ſi non permitteretur vobis repudium, in vxoricidiũ ſit furor veſter exiturus. Argumentabantur autem à lege ciuili, ad legem conſcientiæ: quæ argumentatio

1. Cor. 6. Ephes. 5.

Tract. 9 Hiero. in 5. cap.

tatio pessima est, etenim licet stuprum nunc in foro fori non puniatur, est tamen peccatum mortale. Porrò Moyses eo pacto id eis dixit, quo nebuloni stuprare virginem volenti diceremus: Potius cũ meritrice quam cum vigine explele libidinem tuam. Pulchrè August. contra Faustum de libello repudij tractat. *Ab initio autem* institutionis naturæ humanæ, *Non fuit sic* licitum coram Deo dimittere vxorem, sicut nec nunc quidẽ, quanquã lege ciuili Moysi sit permissum. *Dico autem vobis quia quicũq; dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Cum tractatus de matrimonio difficillimus sit, ita vt B. Augustinus se ad eius perfectionem nondum pertigisse confiteatur, ea quæ dicimus iudicio melius sentiẽtiũ semper submittimus. Et primũ quidẽ inter se conferendi sunt Marc. ca. 10. Luc. 16. Apostolus 1. Cor. 6. & 7. atq; ad Ephes. 5. Ex quorum inter se collatione, hũc nobis superiorũ verborũ videmur sensum colligere. Est quidẽ ita quod id Moyses vobis permiserit. Sed vt intelligatis quã nõ sit solubile matrimonium, audite quod dico: Quicũque sine vlla exceptione, siue sub Moysi, siue sub naturæ, siue sub mea, id est, noui testamenti lege constitutus, qualemcunq; dimiserit vxorem, siue fornicantem, seu adulteram, siue ebriosam, eaq; superstite aliam duxerit, mœchatur seu adulter est, quia violat fidem matrimonij. Pari ratione quęcunque vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit adultera est. Et quia verisimiliter vxor fornicationem experta non abhorrebit à secundo adulterio, norit qui dimissam à viro quacũq; ratione duxerit, adulterij reũ se esse. Quorũ omniũ ratio est, Quia quãdiu viuũt coniugati, vnũ secundum carnem inseparabiliter coniuncti permanent, ita vt si vxor à primo nuptiarum die seu contractus,

Lib. 19. ca. 26. & 29.

id est, solemnizationis matrimonij à tyranno aliquo in vinculis captiua detineretur, aut incurabiliter ægrota fiat, vel leprosa, aut sterilis, aut meretrix, vel ebriosa &c. marito nullatenus ea viuente aliam ducere permittatur. Dixi supra (siue sub lege Moysi constitutus) siquidem saluator hoc loco non adducit nouam aliquam matrimonij legem, sed ex primæua institutione naturę sententiam suā deducit, declarans coniuges quamdiu viuunt manere coniuges. Quare sententia ista communis est legi & nouæ & veteri, & naturæ. Vnde Apostolus Paulus, Mulier, inquit, viuente viro adultera vocabitur, si fuerit cum alio viro. Atque vt ostendat nō esse id nouo testamento proprium, præmisit: Sciētibus enim legem loquor. Et in Deuteronomio polluta datur mulier, & abominabilis facta, quę repudiata alteri nupserit. Qua de re consulere licebit decretales capit. gaudete, De diuortijs. Vxorum etiam pluralitas legi naturæ contraria est: nec vnquam licita fuit, nisi ex speciali Dei reuelatione. Quia sicut declarat Apostolus: Maritus & vxor, pares sunt in actu matrimonij, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: quare si vir dat corpus suum alteri, iniuriam facit vxori: Et Saluator demonstrat hoc loco, ex primæua matrimonij institutione, quod omnis qui dimittit vxorem suā & aliam ducit sit adulter. Igitur multo magis, qui priore retenta aliam superinducit. Iusta enim, vel iniústa vxoris dimissio nequaquam ipsi ius secundam ducendi affert. Vnde adulteriū vocatur quod alter coniugum non cum suo, sed cum alio est, non autem ex vxoris dimissione, vel retentione, vt ex eodem capitulo supradicto patet. Quin & leges Romanæ, seu gentilium pluralitatem vxorum vetant vt est apud Augustinum. Sed fortè obijciat quispiam: Patriarchæ plures habuerunt vxores. Et Augusti-

Rom. 7.

Deut. 24

1. Cor. 7

Li. de bono coniug c. 17

gustinus non vno in loco dicit illud non esse cōtra naturam: ergo est licitum. Respondeo, Polygamiam patriarcharum dicit Augustinus non fuisse contra naturam concubitus, vel nuptiarum, hactenus, quia non lasciuiendi sed gignēdi causa pluribus vxoribus vtebantur: tum quia plures fœminæ ab vno viro fœcundari possunt, at contra naturam concubitus est fœminā pluribus viris coniungi: nam & prolis procreatio impeditur, & certitudo patris à quo proles ad cultum Dei educāda est, tollitur. A peccato autem excusantur Patriarchæ, quod prophetica eorum facta essent, ac proinde ex diuina reuelatione intelligendi sunt pluribus vxoribus vsi. Quemadmodum sine peccato iussu diuino voluit Abraham filium suum Isaac interficere, & sine peccato castam Agar domo suo eiecit. Qua de re vide eundem Augustinum: ex quo etiam videtur resolutionem suam sumpsisse Innocentius tertius cum dicit, nulli vnquam fuisse licitum plures habere vxores, nisi cui diuina reuelatione id fuerit concessum. Igitur certò tenendum est vxoris fornicatione, liberum viro non fieri, vt alteram ducat, quia (vt iam ostensum est) illicita est vxorum pluralitas: & quantumcumque fornicetur vxor, manet tamen mariti prioris vxor (vt ex Paulo liquet) qui dicit: Vocabitur adultera si fuerit cum alio viro. Item, Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit. Ostendit ibi Apostolus mulierem si à fornicario merito discesserit, debere ex præcepto Domini manere innuptam aut viro suo reconciliari. Si enim de muliere sine iusta causa discedente ageret tantūmodo diceret, reconciliari debere viro priori, & nō in eius arbitrio sitū vel innuptam remanere vel reconciliari viro. Patet igitur mulierē, quātumuis eius maritus fornicatus sit, alteri nubere nō posse, ac proinde for-

Lib. contra Faust. c. 17 & 17. & 25. De bono coniugali.

Li. de bono coniug. cap. citatis & etiam c. 19.

In ca. Gaudete de diuortijs.

Rom. 7.

1. Cor. 7

Marc. 10.

Ierem. 3.

nicationẽ mariti matrimonium nõ ſoluere. Igitur nec vxoris fornicatio: melioris alioquin conditionis, maioriſq; libertatis foret mulier nocens & fornicaria, quam innocens & caſta. Nam quandocũque pertæſa eſſet mulier impudica coniugij, videretq́ ſe marito diſplicere, poſſet diſſoluere matrimoniũ per ſuam fornicationẽ ob quã vir ſuus dimiſſurus eam eſſet. Porrò quod hoc loco dicitur, non eſt ſupradictis contrariũ, quaſi ſi quis fornicãtem vxorẽ dimiſerit, aliamq́ duxerit, non ſit futurus adulter: *Niſi ob fornicationem*. Hoc enim ſi ſaluator ſignificatũ eſſe voluiſſet, hoc modo expreſsiſſe debuerat: Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, & aliã duxerit, niſi ob fornicationem, mœchatur: nũc verò ſic ait: Quicunq; dimiſerit vxorem ſuã, niſi ob fornicationem, & ſubſequitur proximè, & aliã duxerit. Particula igitur hæc (niſi ob fornicationem) ad priorem, non autem ad poſteriorem partem refertur. *Lib.1.c.6.* Auguſtinus in lib. ad Pollentium de adulterinis coniugijs accipit, niſi, pro, ſi nõ. quaſi ſignificauerit ſaluator eum qui caſtam, & non fornicantem dimittit vxorem, & aliam ducit eſſe adulterũ, non autem illum qui fornicantem dimittit, & aliã ducit. Sed intelligendum hoc eſt, quod maius adulterium ſit caſta dimiſſa alteram ducere, quam dimiſſa fornicante qua ſimili loquutione ait Iacobus: *Iacob.4.* Scienti bonum facere, & non facienti peccatũ eſt illi: non quaſi peccatum non ſit ignoranter non facere bonum, ſed quia grauius eſt peccatũ, ſcientẽ non facere bonum, peccamus enim & ſæpe ignoranter: *Pſal.24* Vnde Pſalmiſta, Delicta (inquit) iuuentutis meę, & ignorantias meas ne memineris Domine. Cæterum iuxta hanc D. Auguſtini interpretationem non videbitur Dominus ad quæſtionem ſibi à Phariſæis propoſitam reſpondere, nec vllum ponet, quo liceat vxorem dimittere: neq; hic eadẽ

cum

cum ea quæ ſuperius habita eſt doctrina tradetur. Ideo conuenientior videtur huic loco expoſitio D. Hieronymi, quam etiam habet Auguſtinus in libro contra Adimantum Manichæum,& de ſancta virginitate. Ea autem hæc eſt: Quicunq; dimittit vxorem ſuam (niſi ob cauſam fornicationis id faciat) facit eam mœchari: ſi verò alteram ipſe duxerit, adulter erit. Vt (niſi ob fornicationem) per parentheſim legatur,& defectiua ſit oratio, ſcripturis. Vult igitur ſaluator non eſſe dimittendam vxorem, niſi cum fornicata fuerit: nullo autem caſu licere ea dimiſſa aliam ducere. Atque hæc expoſitio ſatis ex Paulo confirmatur, qui haud dubiè reſpicit ad hunc locum Euangelij dum ait: Matrimonio iunctis præcipio non ego, ſed Dominus: vbi eandem de muliere, quam hic Chriſtus de viro, doctrinam tradit. Diuino autem ſpiritu factum eſſe putandum eſt, vt quod Euangeliſta de viro aſſerit, de muliere vero tacet, id ipſum Paulus nulla viri facta mentione de muliere aſſerat, vt in hac materia pares ambos coniuges eſſe ſciremus. Cap. 5. In commēt. Cap 3. Cap. 23. 1. Cor. 7

Fornicatio autem huius loci, de carnali & corporali eſt intelligenda, & quicquid illa grauius eſt, vt Sodomia, quæ ideo non nominatur, quia rara ſit. Vtrum autem fornicationis nomine etiam ſpiritualis comprehendatur, vt hæreſis &c. dubitant Doctores, quorum magiſter opiniones refert. Cap. 5.

Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, vt videlicet marito non liceat dimittere, quantumuis malam, & ſceleſtam vxorem, niſi fuerit fornicata: & fornicante dimiſſa non licere aliam ducere, ſi hoc (inquiunt) habeat natura coniugij, *non expedit nubere*. ſatius eſt nunquam vxorem ducere, ne in tantam deueniatur ſeruitutem.

Qui dixit illis non omnes capiunt uerbum istud. Vera sunt quæ dicitis, non expedire scilicet vxorem non ducere, sed huic veritati non omnes afficiuntur, *sed quibus datum est*, sed soli illi verè amant, & præstant continentiam, quibus singulari sancti spiritus gratia id donatum est. Nemo enim continens esse potest, nisi Deus ei det. Nec putetis omnibus qui vxore carent hanc singularem continentiæ gratiam datam esse: Sũt enim tria genera eunuchorum: quorum prima duo nullam continentiæ laudem habent (Existimare enim poterant Apostoli eos omnes, qui vxoribus carerent illa gratia donatos.) *sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt*, carẽtes videlicet membris genitalibus, vt alij oculis, auditu, vel ita frigidi, vt nullo concubitus affectu naturali tangantur. *Et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus*, scilicet in bello, vel vt sunt custodes matronarum nobilium, vel qui continent ex præscripto hæreticorum, vel philosophorum, nam & apud Turcas non desunt continentes. *Et sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt*, non quidem membra genitalia, sed vsum omnium venereũm abscindentes. *Propter regnum cœlorum*, vt commodius ea quæ ad diuinum cultum pertinent, ac tandem ad regnum cœlorum perducunt, cogitare valeant: Et hi demùm sunt, quibus singulari gratia spiritus sancti continentiæ donum largitum est. Istud directè Iouiniani hæresim euertit, qui æquale asserebat coniugum, & virginum esse meritum: nec meliorem virginum continentiam ad maius in cœlis præmium obtinendum, sed valere tantũ ad euitandas huius sæculi molestias. Contra quem Augustinus in libro de hæresibus, & de sancta virginitate. Seipsum verò membris genitalibus priuare, sicut de Origine dicitur, nefandum atque illicitum est: nõ enim hoc ad continentiam est vtile, quum libido

Sap. 8.

Hæres. 82. Cap. 13. & sequent.

non ex membris ſed ex animo diſſoluto, & impudico procedat. Hinc Nicænum Concilium eos omnes à clero reijcit, qui ſe hoc modo caſtrârunt: & in Leuitico mandauit Dominus ne in terra Iudæorum vllum omnino animal caſtraretur: quod quanquam ceremoniale ſit, ex parte tamen morale erat. *Cano. 1.* *Leuit. 22*

Qui poteſt capere capiat, id eſt, qui cor ſuum ita ſpe diuini auxilij dilatare poteſt, vt afficiatur continẽtiæ, ac ſuijpſius caſtrationi, cõtinentiam amplectatur. Quicunque autem verè cõtinere cupiunt, poſſunt, ſi modo ſeriò diuinum auxilium ab eis inuocetur, Deus enim gratiam ſuam omnibus ſe petentibus dare paratus eſt, iuxta illud, Petite, & accipietis, quod non de his ſolum quæ præcepta ſunt, ſed de conſilijs etiam intelligendum eſt: Nunquam enim Chriſtus, & Apoſtolus cõſilium continẽtiæ omnibus proponerent, ſi Deus paratus dare omnibus petentibus non eſſet, quemadmodum tradit Auguſtinus. Peruerſa autem eorum eſt opiniò qui quoſdam propter corporis calorem, vel aliam cauſam, quàntumuis Deum inuocent continere non poſſe, autumant, atque ideo talibus etiam coniugatis vxorem ſecundam viuente adhuc prima, eſſe concecedendam: nimirum ſi prima incurabili morbo infirmaretur, vel captiua teneretur: Imò & tertiam, ſi in ſecunda eadem quæ in prima cauſa exiſtat: quod ſi abſurdum eſt, & illud ſanè ex quo id conſequitur. Qua de re vide Auguſtinum de adulteri coniugijs. Cùm dicitur, Qui poteſt capere capiat, non ſignificatur aliquos eſſe qui abſolutè capere nequeant, ſed tantùm ſecundum præſentem affectionem, vel diſpoſitionem, quomodo & ibi. Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem quæritis? Significatur non potuiſſe ipſos credere quamdiu in affectu inanis gloriæ permanerent, *Lib. 6. de cõfeſs. c. 10. & li. 8. c. 11* *Lib. 1. c. 13. 19. & 20* *Ioan. 5.*

rent. Ita quamdiu non amat quis cōtinentiam, nec pro ea Deum sollicite orat, & media reliqua huc necessaria amplecti recusat, capere eam posset.

Genes. 48. *Tunc oblati sunt ei paruuli.* Moris erat Iudæis infantes, senioribus & prophetis benedicendos offerre, sicut fecisse Ioseph constat, vnde & nūc veterum Iudæorum, ac parentum exemplo fit hic mentio, Christiani parentes pueros suos sacerdotibus benedicendos offerre debent. Nam si Dominus ad benedictiones sacerdotum veteris testamenti qui benedicebant filijs Israel, etiam paruulis benedicturum se eis pollicitus est, quantò magis benedictionibus sacerdotum noui testamenti est affuturus? *Vt manus eis imponeret, & oraret,* id est, oratione benediceret. *Discipuli autē increpabant eos* qui infantes adferebant, non quod benedictionem Christi paruulis inuiderent: sed quia putabant Dñm cæterorū more, mulierculari importunitate offendendum, aut harum exemplum imitantium multitudine fatigandum vel dignitatem eius non decere, vt circa infantes occuparetur. *Iesus uero ait illis,* Indignè ferens quod Apostoli offerentes increparent. *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me uenire.* Hæc increpatio appositè in Pelagianos, Anabaptistas, Zuinglianos quadrat: quorum quidem Anabaptistæ paruulos baptizari nolunt, Pelagiani verò cum Zuinglianis originale eos habere peccatum negant. atque ita vtrique excludunt paruulos à vero medico Christo, vt Augustinus pulchrè contra Pelagianos scribens, declarat. *Talium est enim regnum cœlorum.* Ideo nolo paruulos arceri, quia quodammodo in ipsis electos meos conspicio. Qui enim per gratiam meam tali sunt humilitate & innocentia præditi, quali paruuli in ætate puerili, hi demum sunt qui ad regnum cœlorum perueniunt. Talium enim iuxta Hieron. Ambros. Au-

Num. 6.

Serm. 36. de uerb. Dom.

Hieronym. in commēt. Ambrosius super Luc.

August. ponitur pro similium. Facit pro ea expositione quod à Marco & Luca adijcitur. Quisquis nō se humiliauerit, seu non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud, vbi haud dubiè de maioribus loquitur. Inquirendum tamen relinquo, an possit hic esse sensus, Talium, id est, ad me Christum venientium. *Aug. lib. 1. confe. c. 19.*

Et cum imposuisset eis manus, abijt inde. Addit Marcus, & complexatus esset illos vlnis suis, & orasset pro eis, benedicendo eos. Vel secundum editionem vulgatam, & complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos. Quidam Doctores volunt Chistum hic aliquod sacramenti confirmationis exhibuisse specimen. Quod quidem, etsi piè dicant, & scripturæ non repugnet, certò tamen inde statui non potest. *Et ecce unus accedens* in via, genibus eius prouolutus. Putat enm Hieronymus tentandi animo accessisse, sed negant id Basilius & Venerabilis Beda. *In commēt. Math. 22.*

Magister bone, id est, bone Doctor, *Quid boni faciam* quæ bona opera præstabo, *ut habeam uitam æternam? Qui dixit ei, quid me interrogas de bono?*

Cæteri Euangelistæ dicunt quid me vocas bonum? id est, quare me interrogas de bono opere faciendo? aut quare me vocas bonum? An me vnum ex vulgo Doctorem putas? Certè si sic sentis non rectè me bonum vocas: nullus etenim bonus nisi solus Deus, à quo solo potes ea bona quæ ad vitam æternam necessaria sunt discere.

An me amplius aliquid esse existimas, quam sunt cæteri Doctores? & ex fide diuinitatis meæ vocas me bonum, & interrogas me de bono? Quasi dicat. Dicis me Deum? Atque ita non renuit Christus appellationem boni, sed potius suam diuinitatem insinuauit.

Vel

Vel aliter. Quare mihi laudem magistri boni ascribis? Et cur ex me doctrinam bonam vis audire quum nemini nisi soli Deo laus boni debeatur? talis, inquam, boni laus, quæ non debeat in alium
Ioan. 7. referri, vel alterius laudi seruire. Et hoc sensu Christus verba adulatoria humanáq; laudẽ detrectat, vt & alibi cùm ait, doctrina mea nõ est mea, vt sit sensus. Ego secundundum humanam doctrinam à te laudari nolo, sed magisterij laudem, & sanę doctrinæ in solum Deum referri cupio. *Vnus est bonus Deus* quia nulla creatura ita bona est, vt eius bonitas vlterius referenda in Deum non sit. Alij dicunt nullus doctor bonus est sicut Christus, id est, sine omni peccato. Tertiam expositionem indicat Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 13. *Si autem uis ad uitam ingredi*, quasi dicat. Tu nunc in morte es, & extra vitam æternam, si ad illam venire vis, *serua mandata*, ambula syncerè in mandatis Dei. *Dicit illi, quæ?* Putabat enim saluatorem noua aliqua mandata præscripturum, sicut prædicabat regnum cœlorum (de quo Iudæi perparum ante audiuerant.) *Iesus autem dixit, non homicidium facies &c.* Enumerat hic tantum mandata, proximum non autẽ Deum concernentia. *Omnia hæc custodiui a iuuentute mea, quid mihi adhuc deest?* August. & Hieronym. pu-
Epist. 89. tant mentitum fuisse: quod equidem nõ ausim dicere, cùm Marcus dicat: & intuitus Iesus dilexit
Marc. 10. illum, quasi dicat benignè & amice est eum intuitus, significans placere sibi aliqualẽ hanc eius perfectionem. Deinde habetur consequenter, eum tristem abijsse, quod simulatores, & Pharisæi non faciebant.

Et ait illi Iesus: si uis perfectus esse in obseruatione mandatorum Dei, siue in his quæ ducunt ad vitam æternam, ostendam quid tibi desit, seu quo à perfectionis assequutione impediaris. *Vade, uende*

omnia quæ habes & da pauperibus, & ne putes te tuas diuitias perditurum, etenim *habebis magnum thesaurũ in cœlis*, quem, seruatis diuitijs tuis, non consequeris: neque hoc sufficere arbitreris, sed *ueni* pauper factus, *& sequere me* corporis gressibus, & virtutũ quas in me esse vides imitatione. C*um audisset autem adolescens uerbum abijt tristis* recusans facere id quod saluator ei consulebat. Quod tamen multa milia hominum sponte, persuasu bonorum concionatorum postea fecerunt. Non est arbitrandum paupertatem ad vitæ æternę consecutionem sufficere, perfectio enim Christianæ vitæ non in paupertate sed in imitatione Christi consistit, ideoq; perfectus quis esse potest etiamsi pauper non sit: valde tamẽ commodum medium ad perfectionem est voluntaria paupertas, & sine ea raro quis inuenitur perfectus.

Quæritur an Christus eum vouere velit paupertatem, ita vt ad diuitias redire ipsi non liceat? Respondeo, quamuis expressa hic non sit mentio voti paupertatis, possitq; voluntariè quispiã pauper esse sine voto, hortari tamen videtur ad vouẽdum saluator, quod velit hominem ab onere diuitiarum penitus esse expeditum. Qui enim paupertatem non vouet, non omnino diuitiarũ impedimentum tollit, nam potest quando placebit, rursum optare diuitias. Sic Hieronymus votum paupertatis hic intelligit, & Augustinus, seipsum dicens hoc Domini consilium sequutum, ac dimisisse totum mundũ, quia & quod habebat, & quod habere optabat dimisit. Ex eo quod saluator mandata legis distinxit ab hac excellentiori perfectione & dixit: Si vis ad vitam ingredi serua mandata, constat eos qui mandata seruauerint, quanquam sua non vendant, & pauperibus elargiantur ad vitam peruenturos. Vnde consilium tantùm fuisse patet,

In commẽt.
Epist. 89

patet, & non præceptum. Quod tamen docuit Pelagius, & Apostolici, de quibus Augustinus lib. de Hæresibus, hæresi Apostolicorum, & Epistola citata. Quam hæresim habet etiam Casianus in quadam Homilia. Eodem dicto improbatur hæresis Vigilantij qui satius esse prædicabat diuitias seruare, & aliquas inde paulatim eleemosynas facere, quam semel omnes relinquere, & postea ab alijs pendêre. De hoc Hieronymus in Epistola cōtra dictum Vigilantium doctè agit. *Erat enim habens multas possessiones*. Egerrimè relinquuntur ea quæ possidētur, multo enim arctius adepta quam concupita constringunt. Qua de re Augustinus consulatur epistola ad Paulinum, & Tharasiam.

epist. 34.

Iesus autem dixit discipulis suis, occasione tristitiæ adolescentis. *Amen dico uobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum*. Non hoc dicit quasi adolescens non esset regnum Dei ingressurus, sed ad declarandum quàm salubre consilium diuiti, vt expeditè & facilè regnum cœlorum ingredi posset, suggesserit. Huius rationem apud Marcum assignat repetendo quod dixerat: Filioli quam difficilè est confidentes in pecunijs &c. Quasi dicat, Difficilè est diuitem non confidere in diuitijs suis, siue non extolli per diuitias, ideo difficulter regnum cœlorum intrabit. Hanc difficultatem etiam patiuntur religiosi magnam habentes administrationem. *Et iterum dico uobis, facilius est camelū per foramen acus transire, quam diuitē intrare in regnū cœlorum*. Hoc est, Impossibile est diuitem rectè vti diuitijs, ideoq; impossibile est eum intrare in regnū cœlorum, sicuti impossibile est camelum animal prægrande per foramen acus transire. Magna hoc loco humanæ naturæ corruptio designatur, testatur enim saluator multo plus repugnare corruptæ natūræ nostræ diuitiarum bonum, & legitimum

Marc. 10.

vsum

vſum,ad quem tamen lege diuina obligamur,quã repugnet naturæ cameli tranſitus per foramẽ acus: qui quomodo ſit poſsibilis nullo modo humanum capit ingenium. *Auditis autem his diſcipuli mirabantur valde*,ſcilicet ex commiſeratione ſuper damnatióne diuitum,*dicentes: Quis ergo poterit ſaluus eſſe?* quaſi dicant, vix vlli patebit in regnum cœlorum ingreſſus. Ex hac quæſtione patet diſcipulos Chriſti pro eodem habere hæc duo(ſaluum eſſe)& (intrare in regnum cœlorum) quod eſt contra Pelagium: qui infantibus nõ baptizatis negabat regnum cœlorum,ſalutem tamen eis tribuens. Vnde peccatum originale tollebat,& baptiſmi ad peccati originalis deletionem negabat neceſsitatem.Quod eſt contra ſymbolum:Quicunq;enim poſt reſurrectionem non regnabunt in cœlo,perpetuo cruciabuntur in inferno. Cũ autem pauci ſunt diuites cõparatione multitudinis pauperũ, intelligendũ eſt Apoſtolos,omnes eos qui ad diuitias anhelant,diuitum numero comprehendi,animaduertiſſe,vt Auguſtinus loco citato dicit. *Aſpiciens autem Ieſus*,hylari vultu,vt timidam eorum mentem leniret. *Dixit illis: Apud homines hoc impoſsibile eſt,apud Deũ autem omnia poſsibilia ſunt*,ſcilicet diuitem bene diuitijs vti,ac intrare in regnum cœlorum, & tranſire camelum per foramen acus. Hæc humanos exuperant conatus, ſed quod tollit humana fragilitas, hoc ſuperaddit diuina gratia & benignitas, nihilque Deo impoſsibile eſt. Hæc duo (difficile) & (impoſsibile) non diſcrepant: quod enim impijs hominibus impoſsibile eſt, id pijs eſt poſsibile etiam ſi arduum, nam diuitibus iuſtis quoniam magno labore eo peruenire debent, difficile eſt. etenim hoc mundo vti debent tanquam ſint non vtentes: Impijs verò quoniam ad hoc vires humanæ non ſufficiunt, impoſsibile.

Ex

auſpicatus eſt ab ęterni ignis cōminatione à ſceleri-b'iudicio extremo,& periculis propter peccata imminentibus. His autem præmiſsis, poſtquam ſatis terrorem incuſsit, & timoris vulnere læſit,tum demum diuinæ gratiæ malagma appoſuit:etenim non prius medicus eſt adhibendus, quam morbus agnoſcatur, vt ait Auguſtinus.Quæ autem illa ſint quæ dicit eſſe poſsibilia Deo,oſtendit D. Thomas prima parte ſummæ,vbi de omnipotentia Dei tractat atq; oſtendit Non pertinere ad eius omnipotentiam mentiri,peccare,vel mori,hæc namq; impotentiæ ſunt: deinde nec illa quæ contradictionē implicant,vt quod vnus,& idem homo ſimul ſtet, & ſedeat, & vt idem ſit verum, & falſum eodem modo conſideratum. *Tunc reſpondens Petrus* cum lętitia, ſe & ſocios ſuos conſiliū Domini adimpleſſe recolens, *Dixit ei: Ecce reliquimus omnia*,& quæ habuimus,& quæ habere potuimus voluntariè deſeruimus, & paupertatis viam ingreſsi ſumus. Petrus quidem reliquit nauiculam,& retia, quæ vel pauperibus dedit,vel reliquit vxori,intrantes enim religionem non neceſſario pauperibus omnia erogare debent,at ſuis amicis relinquere poſſunt, *Et ſequuti ſumus te.* corporali greſſu, & vitæ imitatione, *quid ergo erit nobis?* id eſt quid mercedis pro eo reportabimus. Petrus non fuit in peruerſa illa opinione in qua hodie multi ſunt, Chriſtum propter opera noſtra,bona nihil præſtare dicentes,vt Caluinus & alij. *Iesus autem dixit illis*,ſcilicet Petro, & alijs Apoſtolis. *Amen dico uobis quod uos qui ſequuti eſtis me in regeneratione* .i. in die extremi iudicij, quādo mortui reſurgent,& quaſi rurſum generabuntur, & redibunt ad vitam,quæ libera erit ab omni miſeria. Sic Hieronymus,& Ambroſius, citatus ab Auguſtino, Hylarius vero iungit particulam hanc cum præcedenti verbo(ſequuti eſtis)ac per regeneratio-

Lib. de ſpir. & lit. c 17.
Quæſt. 25. art. 3.
Hie. in cōment.
Lib. 2. cont. Iulianum.

nem, sanctificationem intelligit, quæ in baptismo confertur. Verum prior expositio est probabilior. *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis*, id est, in throno iudiciali. *Sedebitis & uos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*, id est, cōdemnantes populū Iudaicum, quia in me credere noluerit. Hinc patet Christū multū tribuere sanctorū operibus, magnā enī ijs qui sequūtur se mercedē promittit. Sequūtur autē eum qui ei obediūt & in ijs quę ad vitā ducūt æternā permanent: vnde Iudas quia in ijs nō permansit, cum illis non sedebit. Igitur huius dicti ratione certi nō fuerūt Apostoli se in sequela Christi permansuros. Quomodo autē ipsi iudicaturi sint habet Magister sent: & dicit eos iudicaturos nō tātum approbando Christi sententiā, verumetiā tanquam iudices Christo assidentes, sicut expressè patet ex hoc loco. Ipsum enim iudicare plus est quam iudicis sentētiam approbare, vt ex Aug. liquet. Nec soli Apostoli sedebunt iudicantes, etenim Augustinus ibidem docet ex Apostolo, non solos 12. Apostolos iudicaturos cum Christo, sed sub illis vniuersitatem iudicum comprehendi. De ipsis quoq; iudicandis par est ratio, nam sub duodecim tribubus Israel, cæteri iudicandi intelliguntur. De eis autem expressè loquutus est, quia inter eos versabatur. Qui cum Apostolis Christi assessores futuri sint, tractat Augustinus dicens: Qui voluerunt esse, & verè fuerunt perfecti, cum Domino iudicabunt. Et alibi dicit. Quod Martyres etiamsi non fuerint voluntariè pauperes, cum Christo iudicabunt. Atque huic sententiæ satis consonat hoc euangelium, quod Apostolis sedem iudiciariam promittit, quia eum sequuti sunt, & euangelium Lucæ, quod promittit, quia eis thronum iudiciarium, quia permanserunt cum Christo in tentationibus. *Et omnis qui reliquerit domum &c. propter nomen*

Lib. 4. dist. 47.
Lib. 10. de ciuit. Dei cap. 5.
1. Cor. 6.
Tract. 1. super Psalm. 90.
Psal. 110.
Luc. 22.

men meum. Quoniam ea retinẽdō mihi seruire nequit. Istud intelligi debet pro eo tempore quo vel rebus nostris, & hominum amicitia, vel diuino amore carendum est, nam præter hunc casum impium est relinquere vxorem, aut filios, vel subtrahere se à debito obsequio parentum. *Centuplum accipiet*, id est, centies tantum accipiet nunc, in hac vita. Pro vna domo centum, pro vno fratre centum fratres, & pro vxore vna centum vxores, quia erit quasi nihil habens, & omnia posſidens, Christiani enim alij parentum, & cognatorum locum supplebunt, & omnia necessaria ei subministrabunt. Addit Marcus centuplum accipiet cũ persequutionibus, vt intelligamus Christum nõ promittere omnia eum pacificè habiturum, nec vbiq; benignè tractandum, aut recipiendum, sed nihil ei defuturum eorum quæ ad vitam necessaria sunt, imo verò his abundaturum. *Et uitam æternam possidebit.* Igitur hoc si ei promittã, qui domum vnã necessitate compulsus reliquerit quantò maius vos consequuturi estis præmium, qui spontè, non persequutionibus coacti, non vnam domum, sed omnia dereliquistis, vobis certè non modò non deerunt, sed abundè suppeditabuntur necessaria omnia in hoc mundo & post, in futuro sæculo, singularem vitæ æternæ coronam accipietis. Augustinus per (centuplum) non certum aliquem numerum, sed vniuersitatem intelligit, vt Paulus quum ait, 2. Corinth. cap. sexto. Quasi nihil habentes, & omnia posſidentes. Hieronymus hoc modo interpretatur, Dona spiritualia accipiet, quæ corporalia derelicta excedunt sicut centenarius numerus vnitatem. Cæterùm Augustini interpretationi magis cõsonat Marcus. Quomodo autem istud consistat cum eo quod Deus subinde maximam sanctos permittet pati inædiam,

Lib. 10. de ciuit. Dei cap. 7. Epist. 89 Tract. 119. super Ioan.

& miserijs atque cruciatibus vitam finire, dictum est supra. *Multi autem erunt primi nouißimi, & nouißimi primi.* Non est quod admiremini dixisse me vos iudicaturos mundum, insuper omnē qui reliquerit mundum, vitam ęternam possessurum, quia plurimi nunc, qui vel ob sæculi huius gloriam, vel etiam quia præ cæteris legem & prophetas acceperunt, primi habentur, vt Iudæi, maximè contemptibiles erunt in die iudicij, dum à regno cœlorū excludentur. Et qui in hoc sæculo, hominum iudicio, vel ob magnam rerum penuriam, & persequutiones, vel quia legem & prophetas non acceperunt abiectisimi videntur, futuri sunt in altero sæculo primi, dum repulsis alijs vitę æternæ coronam sortientur, & ad iudicandum eos qui hic primi fuerunt assumentur. Dixit, multi, non, omnes, siquidem ex potentibus, & diuitibus huius sæculi aliqui primos (sicuti hic) obtinebunt accubitus. Nec ex Iudæis omnes nouisimi erunt: quidam enim primi futuri sunt. Nouisimi autem ibi futuri nullum cum primis ordinem habebunt: propterea enim nouisimi dicuntur futuri, quia regno cœlorum eijcientur.

Luc.13.

IN CAPVT VIGESIMVM. Matthæi.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias &c. Pro huius parabolæ intelligentia, obseruandum est horas Iudæorum incœpisse oriente sole, ita vt eorum hora prima mane icœperit, cum apud nos incipit sexta, & hora vndecima quando quinta, & hora duodecima quando sexta vesperi. Hac autem parabola confirmat saluator prçcedentem sententiam: Multi primi nouisimi, & nouissimi primi.

An oculus tuus nequam est, quia ego sum bonus? Huic oculus nequam est,qui proximo prosperitatem inuidet. Vult significare, quod sicuti contingit subinde operarios,qui à principio diei laborauerunt, in recipienda mercede fieri alijs operarijs, qui nouissimi venerunt ad opus,posteriores, prioresque spe magnæ mercedis nouissimè frustrari ob magnam patrisfamilias liberalitatē erga nouissimos ooperarios.His namque misericordiam faciendo alijs non facit iniuriam. Ita & summus ille paterfamilias Deus,in die iudicij sine vlla iniuria,eos qui in hoc sæculo magni videbantur, vel esse saltem cupiebant, abiectissimis, & vilissimis quibusdam in hoc sæculo postponet, idq; ex magna, & mera sua liberalitate: vt in Iudæis patebit, qui ab antiquo tempore conducti fuerunt à Deo, vt seruirent ei, non autem gentiles nisi in fine temporum, & tamen Iudæorum eiectorum coronas accipient, & cum fuerint hic nouissimi, ibi primi erunt,& Iudæi nouissimi,quorum cuilibet dicetur, *Tolle quod tuum est,& uade*: temporalia recepisti quondam, illis esto contentus: discede à me in ignem æternũ: Dabit autem gentibus Dominus denarium æternum. *Sic erunt nouissimi primi,& primi nouissimi,* in die iudicij,sicut contingit in dicta parabola. *Multi sunt enim uocati pauci uero electi.* Nam qui primi putabātur in hoc mundo,in die iudicij futuri sunt nouissimi,quia & si multi sunt vocati ad gratiam Christi(inter quos etiam ij reponuntur, qui primi sunt in hoc mundo)ex ijs tamen pauci sunt,qui à perdita massa,seu genere humano per gratiam Dei sunt separati,& ad vitam æternam præordinati, atq; electi.quoniam paucos reperias qui se contemni patiantur,plures qui velint,atq; ambiant esse primi: vnde mirum non est hos in futuro sæculo nouissimos,illos verò primos futuros.Hunc sensum sa-

tis declarant ea quæ dicta sunt de voluntariè paupertatẽ suscipientibus, ac sua omnia propter Christum relinquentibus. Et occasione paucitatis eorum qui arctam salutis viam ingrediuntur ista dicuntur. Vel aliter, Iudæi qui primi erant per vocationem in hoc mundo, ad Dei gratiam, ibi nouissimi sunt futuri: Gentiles vero nouissimè vocati primi propter fidem. Neq; iuuabit Iudæos quod per prædicationem Christi, & prophetarum vocati sint: multi enim sunt per prædicationem vocati sed pauci electi. Hunc sensum habet Lucas vbi de quodam refert, qui Domino dixit, Domine si pauci sunt qui saluantur. Vocatio hic sumitur pro ea qua Deus nos per prædicatores vocat, non pro illa quam Paulus vocat secundum Dei propositũ, hæc enim propria electorum est. Pro qua re consule Augustinum. Aptè vocat saluandos, electos, quia nisi speciali Dei gratia ex massa humani generis perdita, & damnata, à cæteris secernerentur, & eligerentur, saluari non possent. Porro nõ tantũ pauci sunt electi totius generis humani comparatione, sed & inter christianos pauci, imo et arbitratur Diuus Augustinus, inter sacerdotes. Quidam sic intelligunt, vt tam primi, quam nouissimi sint iusti: & Augustinus diuersis in locis non reijcit hunc intellectum. Sed quæritur tunc quomodo iusti mumurauerunt, qui ad numerum electorum pertinuerũt. In primis hoc asserentes diluculum ab Adam, vsque ad Noe faciunt, Tertiam horam, à Nöe vsque ad Abraham, quando omnes ad otium idololatriæ defluxerunt. Sextam, ab Abraham vsque ad Moysem. Nonam, à Moyse vsque ad Christum. Vndecimam, à Christo ad finem vsque sæculi: dicuntque nouissimè vocatos prius mercedem accipere, quia, cum omnes sancti simul per resurrectionem à mortuis exitandi sint, meritò

Luc.13.

Rom.8.
Lib. de præde. san. cap. 16. 17. 18.

b.

a

merito illi nouissimi præponi dicuntur, quia minus eorum dilata est resurrectio: primi etenim illi parentes, sanctiq; patriarchę & prophetæ, plurimos annos expectarunt: illi non item, qui nihilominus corporis simul cum eis resurrectionem sunt accepturi. Pro quo Augustinus consulatur. Murmur autem priorum operariorum sic intelligendum erit, vt quoniam tanta post Christi passionẽ effusa est gratia, merito videantur ratione humana murmurare potuisse sibi tamdiu vitam æternam esse dilatam, posteriores vero pares sibi factos, imo quadam ratione (cum minus eorum dilata sit resurectio) priores. Per responsionem autem diuinam (Amice non facio tibi iniuriam) intelligenda est spiritus sancti reuelatio, qua declaratur sanctis non esse murmurandum de diuinis operibus, nullamque apud Deum esse iniquitatem. Alij per primum mane intelligunt pueritiam, & sic consequenter, quæ quidem expositio licet vera sit, & pia, huic tamen loco congruere minimè videtur. Circa illud (Dixit Dominus vineæ procuratori suo) aduertendum est procuratorem de spiritu sancto intelligi non posse, is enim non est seruus, sed Dominus, quia non est creatus: & Commentarius ille, qui opus imperfectum Chrysostomi in Matthæum inscribitur sic explicans planè impius est, quem frater Mahusius minorita Aldernardensis sacræ Theologiæ doctor, se ab Arrianorum fœcibus repurgasse dicit: in hac tamen materia non omnino repurgatum ~~videtur~~.

Lib. de spir. & lit. c. 24

Acceperunt singuli, singulos denarios. Quomodo omnes sancti accepturi sint vnum, & eundem denarium, nempe vitam æternam, cum tamen futurum sit, vt pro diuersitate meritorum diuersa sit gloria sanctorum, tractat Augustinus. Lib. de sancta virginitate cap. 26.

Quemadmodum enim vas dicitur plenum vino, & cantharus, at vtrumque pro suo modo, & capacitate, licet plus contineat vas cantharo, plenus tamen est, sic & de sanctis erit, singuli enim pro sua capacitate accepturi sunt. *Amice non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum est.* Augustinus citat hunc locũ, docens non esse iniquum, si ex massa perdita generis humani, quosdam sine vllis eorum meritis eligat ad vitam æternam, alijs omnino parem habẽtibus causam relictis in æterna damnatione.

Lib.1 cont. 2.epist. Pel. c.7. & lib. de bono per se. 4. c. 8.

Et ascendens Iesus Hierosolymam ex Galilæa, vel ex finibus Iudææ. Ascendisse autem dicitur quia Ierusalem in monte sita erat, comparatione Galilææ. *Assumpsit duodecim discipulos secreto*, nolens alijs communicare quod erat illis prædicturus. *Et ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam.* Ego vobiscum vltro, & voluntariè Ierusalem ascendo, cum tamen ibidem mala multa mihi immineãt, vt vos hæc mihi præcognita fuisse cognoscatis, eademq; effugere potuisse. *Et filius hominis tradetur* per proditionem, *principibus sacerdotum, & scribis,* & senioribus (teste Marco) *Et condemnabunt eum morte* sacerdotes, scribæ, & seniores, *& tradent eum gentibus* Pilato & militibus eius, *Ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendũ eum* Saluator pasionem suam multis in locis prædixit, ac semper aliquid adiunxit, & hoc loco adijcit, quod à tribus supremis statibus, tanquam sceleratus, sit infidelibus tradendus, ac morte turpissima condemnandus. Latius autem hic probrosissimam pasionem explicare voluit, quia iam proxima erat. *Et tertia die resurget*, mortis ac resurrectionis suæ sæpius meminit, quoniam in illis fidei nostræ mysterium continetur.

sup. c. 19.

Cap. 16. 17 & 20.

Tunc accessit mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans flexis genibus, magno illi honore exhibito, *& petens aliquid ab eo, hoc modo,* non abnuas quod à te

peto

peto, *Dic*, id eſt, iube, & fiet, *Vt ſedeant hi duo filij mei*, Iacobus & Ioẽs hic præſentes, *unus ad dexterã tuã*, *& unus ad ſiniſtram in regno tuo*, id eſt, prima & ſuprema loca habeant. Petiuit autem iſtud occaſione eius quod dixerat Saluator, ſe die tertia reſurrecturum, ſubornata à filijs ſuis, qui putabant ſaluatorem ſtatim poſt reſurrectionem regnaturum: videnturq́ intellexiſſe regnum Chriſti à terrenis regnis non fore diuerſum, etenim ſi rectè id intellexiſſent nũquam ſe per matris ſuæ ſolicitationem adepturos fuiſſent arbritrati. Nonnulli eam acceſsiſſe ad Chriſtum cognationis fiducia dicunt. Cæterum nullus probatorũ hoc dicit: atq; ideo non videntur fuiſſe cognati, alioquin, ſi ita eſſet, daretur hic declarandi occaſio. *Reſpondens autem Ieſus*: Non matri, ſed filijs (vnde Marcus ipſoſmet acceſsiſſe dicit) *Neſcitis quid petatis*. Non intelligitis quale ſit regnum meum futurum, nec quomodo peti debeat. *Poteſtis, bibere calicem quem ego bibiturus ſum*. ? quaſi dicat non aduertiſtis quod ego dixerim me prius multa paſſurum, quam reſurgerem: vos autem prius de trumpho, quam de certamine cogitatis. attamen antea certamen cõmittendum eſt: poteritis ergo talem ſuſtinere paſsionem, qualem ego mox ſuſtinebo? Calix ſecundum phraſim ſcripturæ, paſsio, vel tribulatio dicitur, quoniam ſicut vnus alteri calicem propinat epotandum, ita Deus nobis tribulationem, & paſsionem ſuſtinendam propinat) quam prius filio ſuo pro humani generis reconciliatione propinauit, quãque ille lubens tolerauit. *Dicunt ei poſſumus*. Neſcientes quid Chriſtus per calicem ſignificaret, vel quiduis, vt cupita adipiſcerentnr, pollicentes: aut nimium de ſe præſumentes, quandoquidem ad mortem pro Chriſto ſubeundam nondnm erãt idonei: ſiquidem nec Petrus Chriſtum ad mortẽ ſequi valebat. *Ait illis, calicem quidem meum bibetis* quẽ

mox

mox bibiturus sum. Ioannes hunc calicem bibit,
Ioan. 13. nam pro confessione Domini multa est passus, & tandem pro fide in insulam Patmum fuit ablegatus: vnde de se dicit, ego Ioannes frater, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia. De quo Tertullianus refert quod in dolium olei feruentis à Nerone coniectus sit. Iacobus etiam gladio peremptus fuit. *Sedere autem ad dexteram, uel sinistram non est meum dare uobis.* Lectio Græca, sicut & plurimorum Latinorum non habet (vobis). Huius partis sensus est, Nemini regni cœlestis gloriam, seu primum locum in regno cœlorum secundum humanam naturam dare possum, sed illis continget hæc gloria, quibus ab æterno per misericordiam suam proposuit pater meus conferre. Vel non est meũ, id est, gloria cœlestis nemini ex humano fauore, aut propter importunam sollicitationem dabitur, sed illis quibus pro bona vita, & meritis ab æterno à patre meo præparata est. Sic Augustinus, Ambrosius, Cyrillus, Hieronymus & Epiphanius. Hieronymus in commentarijs per, sedere à dextris, regnum cœlorum intelligit, etenim Christus carnali discipulorum imaginationi respondere nõ debebat quemadmodum nec supra, dum discipuli interrogarẽt, quisnam esset maximus in regno cœlorum futurus, respondit. Atq; istud cõformiter dictum videtur, nam cum infrà subiungit. Hic est primus &c. intellexit in regno cœlorũ primum futurum, non autem maximum.

Act. 5. Apoc. 1. Lib. de præscripto aduers. hæres. Act. 12. Lib. 1. de trinit. c. 10. Lib. 5. de fide cap. 3. Li. 10. Thesa. c. 5. Epi. in hæresi Arriano. Cap. 18

Et audientes decem, quod duo discipuli omnibus præferri ambirent. *Indignati sunt* de duobus fratribus, non autem de matre, quoniam eam à filijs suis subornatam existimârunt. Permisit autem Saluator eos sic appetere sublimitatem, vt ipse occasionem haberet docendi humilitatẽ, præuidens quod hæc adhuc inter corruptorum hominum consor-

tia

tia imposterum essent futura. *Iesus autem uocauit eos ad se* decem scilicet, vt cum duobus illis simul instruerentur: Illi, de sua inuidia, & æmulatione, hi verò, de sua ambitione, *& ait*, non durè, sed suauibus verbis. Docens in hoc sæculo nullatenus appetendum esse primatum, nec illi qui eum adeptus est inuidendum: *scitis quia principes gentium dominantur eorum*, id est, ad propriam vtilitatem regimen suum ordinant. Lucas affirmatiuè legit Reges gentium dominantur eorum. Et *qui maiores sunt potestatem exercent in eos*, id est, Qui potentes sunt inter gentes, ius sibi vendicant, & authoritatem in subditorum dispendium: Subditi autem oppressi verbis humilibus eis adulantur, & quos duros experiuntur, beneficos vocant: *Non ita erit inter uos*, gentilia facta vobis non conueniunt, ideoque superiori non licet subditis dominari, aut ex ipsis commodum suum quærere: *sed quicunque uoluerit inter uos maior fieri*, id est caput, *sit uester minister*, cogitet quod debeat aliorum vtilitatem propria neglecta quærere. *Et qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus*, vobis prorsus addictus, nullatenus liber. Vnde vos duo filij Zebedæi nullo pacto ambire debetis, nam malum est gentiles imitari, & oneri, ac seruituti se subijcere magnæ dementiæ est: Vos autem cæteri Apostoli mei, nullo inuidiæ zelo aduersus hosce duos fratres, etiamsi vobis essent prælati stimulari debetis, quin potius ipsorum miseriæ compati. Quāquam saluatoris verba hoc loco ad Apostolos propriè, qui Ecclesiastici erant non sæculares dirigantur, eadem tamen de principibus sæcularibus est ratio: siquidem illi secundùm Christi legem, populi, pacem, & salutem quærere debent, nō autem proprium commodum, alioquin non principes, sed tyranni dicendi sunt.

sicut

sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare: & dare animam suam in redemptionem pro multis. Quasi dicat, Si vos nec gentilium exemplum, nec prælaturæ onus moueat, saltem ad exemplum meum erubescatis, ego enim omnipotens, miserijs & mortalitati subiectus sum: atque hunc in mundum veni, non vt mihi (cum tamen omnium seruitute dignissimus essem) seruiretur, sed vt alijs obsequerer: atq; tali obsequio, quo vitam meam tanquam pretium pro captiuorum redemptione profunderem. Redēptio hoc loco propriè pretium est, quod pro captiui redemptione exsoluitur siquidem humanū genus æternę dānationis vinculis, propter peccatū captiuum tenebatur, vnde Christus sua morte patrē placando vinculum soluit, atque ideo vita eius aptissimè pretium, seu redemptio nuncupatur, etenim illam in ara crucis pro nostri redemptione offerre non est dedignatus: non quidem pro omnibus, sed pro Dei electis tantum, nam non omnes mortis eius fructum percipiunt. Consule Prosperum in articulis falsò Augustino impositis. Art. 1.

Apoc. 7. Electi multi dicuntur licet comparatione reproborum pauci sint quia secundum se cōsiderati multi sunt.

Et egredientibus illis ab Iericho &c. Hæc historia eadem est cum ea quam recitat Marcus, verū Marcus vnius cœci duntaxat meminit, quoniam ille notior erat: vnde nomen eius, ac nomen patris cōmemorat. Cæterū alia est historia quam refert Lucas, etenim illa contigit antequam saluator ingrederetur Hiericho, hæc autem postquam egressus est, vt annotat Augustinus. Si verò eadem esse dicatur historia Lucæ cum hac, intelligendus erit Lucas per anticipationem historiam de cœco illuminato recitasse, quia ipse solus spiritalis cæcitatis discipulorum mentionem fecit, quanquam hic euāgelista

Cap. 10. Cap. 18. Lib. 2. de consensu euang. c. 65. & lib. a. qu. euan. c. 48.

gelista & Marcus ambitionem duorum fratrum & decem Apostolorum indignationē declararint. Quia igitur solus Lucas recitat ea quæ facta sunt in Hiericho, & meminit spiritalis cæcitatis Apostolorum, hanc historiam maluit anticipare, quam eā suo loco ponere, vt cæcitas spiritalis & corporalis iungerentur. Mysticum huius loci sensum habet Augustinus. Duo cæci sunt, populus Iudaicus, & gentilis. Transitus Iesu est quicquid in humana natura gessit, scilicet natiuitas eius, mors, passio, &c. Clamor cæcorum, oratio est, ac vitæ bonæ inchoatio: per quæ pro perfecta sanitate, & illuminatione obtinenda clamamus. Turba clamantes increpans, Christiani tepidi sunt, qui nomine tenus Christum sequūtur, à vita tamē bona quantum in se est alios auocant, sed tandem bonorum perseuerantia victi, eosdem quos acerbè prius increpauerant laudant, & admirantur, & ad Christum venire hortantur. Statio Iesu, est æterna eius diuinitas, immobilis semper permanens. Per ea igitur quæ Christus gessit in carne: clamando perueniemus ad eius diuinitatem, quæ oculos cordis nostri restaurat, & sanat.

Lib. 1. quæ. euan. ca. 28 et ser. 18 de uerb. Dom.

IN CAPVT VIGESIMVMPRIM.

QVæcunque nunc sequuntur vsque ad finē ferè euangelij hebdomada immediatè ipsum pascha præcedente contigerunt, atque ad Christi passionem pertinent.

Et cū appropinquassent Hierosolymis, et uenissent Betphage ad montem Oliueti. Ex Bethania videlicet, vbi pernoctauerunt nocte præcedente. Betphage viculus est in latere mōtis Olìueti situs, ad sacerdotes pertinens, estq́ propinquior Hierosolymis quam Bethania ipsa, & interpretatur domus maxillarū, vel

buccæ

buccæ quia ſacerdotes habebant maxillas boum, quibus oris,& fidei confeſsio ſignificabatur, iuxta illud: Corde creditur ad iuſtitiam,ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Mons autem iſte vocatur mõs Olıueti quia in eo erant multa olıueta,id eſt, loca oliuis conſita. Plurimum hic locus montis Olıueti Chriſti oratione, & aſcenſione decorabatur. De hoc conſulatur Venerabilis Beda in Homelijs.

Rom.10

Tunc miſit Ieſus duos diſcipulos. Qui fuerint illi non exprimitur, tamen Ambroſius, Chryſoſtomus, & Hylarius dicunt fuiſſe Petrum,& Philippum. *Dicens eis, Ite in caſtellum quod contra uos eſt*, id eſt,in illum pagum qui vobis eſt è regione oppoſitus. Alij caſtellum hoc interpretantur Ieruſalem abiectionis cauſa ſic à Domino vocatum,propter diſcordiam quæ in ea erat. *Dicite quia Dominus his opus habet*,ego ſcilicet. Cæteri Euangeliſtæ de hac hiſtoria, & de pullo vberius dicunt. *Et confeſtim dimittet eos*. Vnde patet Dominum in manu ſua omnium hominum habere voluntatem, quòdq; manibus inimicorum ſuorum ſe eximere potuiſſet, ſi voluiſſet. *Euntes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus.* Prompto animo iumenta adducturi iuêre,nos commonentes vilia, alacri & lubenti animo propter Dominum aggredi debere. Hunc locum doctè ad ſacerdotes myſticè transfert Auguſtinianus in Homelijs. Ad literam dicitur quod in Hieruſalem ad vſus pauperum aſina communis conſeruabatur: nam pauperes iumenta habere non non poterant propter fortunæ tenuitatem. Ad eundem etiam vſum (teſte Hieronymo, & Rabano pullus reſeruabatur. *Hoc autem factum eſt,ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem*: Zachariam, quem ad ſenſum non ad verbá & magis iuxta interpretationem 70.aut caldaicam

Hom. Dominicæ Palmarũ & lib 5. hiſt. gentis Angl.c.18.

Marc.11. Luc.19. Ioan.12

Dom. prim. aduent.

cam versionem, quam hebraicam citat Euangelista. Etenim hebraica sic habet, Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, ecce rex tuus veniet tibi iustus, & saluator ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Quod vtique contigit, vt suo prophetæ Iudæi crederent, ac tandem eum esse Mesiam cõfiterentur. *Dicite filiæ sion*, Ioannes autem sic, noli timere filia Sion, id est, vos omnes qui ad diem festum Paschæ conueniſtis, clamoribus, & magno gaudio atque applausu populo Hierosolymitano istud proferte. Ecce rex tuus veniet &c. Sion nomen montis est in Hierusalem, in quo arx erat quam cœpit Dauid. Ponitur aliquando pro tota ciuitate Hierusalem, sicut hic. Atque apud Hebræos talis est loquendi modus, etenim illi pro alicuius ciuitatis, vel pagi populo filiam ponunt: vt, Habitauit in ciuitate, & filiabus eius, id est, pagis, seu villis. Item in Dibon, & in filiabus eius. Rursum in Bersabea, & filiabus eius, & filia Tyri pro tyrijs. Quo hebraismo frequenter prophetæ vtuntur, vt, derelinquetur filia sion vt vmbraculum in vinea, & filia Hierusalem, & filia Sion *Ecce rex tuus* Christus, non deuastans, sed dirigens, ac fouens, cui regnum non adfert augmentum dominij, sed humilitatem, atque admirabilem virtutem seruiendi, & obediendi. Rex tuus. i. tibi varijs modis promissus & à te semper expectatus: Pro quo toties ex intimis cordis affectibus, suspirarunt patres vestri dicentes, atq; clamantes, vtinam cœlum disrumperes, ac descenderes, *venit*. nunc ad salutem tuam adest, non vt meritus de te pœnas sumat, non vt ad instar crudelis tyranni te perdat, sed vt tibi inseruiat, & ab omnibus hostibus tuis te liberet. *Mansuetus*, non crudelis, non amarus, sed tanquam agnus pro salute tua immolandus. Asino insidet, ad pugnã maximè

Ioan. 12
2. Reg. 5
2. Esdræ 11
Isa. 1.
Thre. 2
Ierem. 48.
Philip. 2.
Isa. 64.

maximè inidoneo: quæ omnia quale regnum (inquit Hofmesterus) auspicat urus sit, præsignant. Nō dubites ergo tam humilem regem accedere, qui non equo insidens potentiam significat, sed asino innitens humilitatem manifestat, more pauperum qui eodem quo agros suos arant, iumento vehuntur. hoc enim significat subiugale. Euangelista
cap.9. omisit (iustus, & saluator) quæ apud Zachariam reperiuntur, & allegat hanc prophetiam, vt pateat Iudæos nullam infidelitatis suę excusationem habere etenim manifeste quod prędictum erat de Meßia, à prophetis, quod videlicet in primo suo aduentu pauper esset & humilis, & in signum humilitatis vehendus esset asina, & pullo eius, nunc completū viderunt. Cæterùm adhuc non intellexerunt, imò nec Apostoli, licet post resurrectionem omnium sint recordati, quia hæc scripta erant de eo, & hæc fecerunt ei, scilicet Iudæi ingredienti Hierusalem. *Et eum desuper* id est super vestimenta, vel super asinam & pullum *sedere fecerunt*. id est imposuerunt, verisimiliter lassum valde, atq; ex itinere præcedentium dierum, & pernoctatione in oratione fatigatum. Sedit autem vicißim (vt ait Gagneius in hunc locum) super vtrumq; animal, vel per synecdochen, quia super pullum sedit, vt clarè ex tribus euāgelistis patet, neminē adhuc insedisse pullo dicentibus. Quod autem quidam legunt in propheta super pullum filium subiugalis, vt tantum pullus significetur, non est probabile, cum Matthęus prophetiam istam adducat ad declarandum id quod
Marc.11. dixerat de vtroque iumento adducto. Tres autem
Luc.19. alij euangelistę meminerunt tantum pulli, quia
Ioan.12 scripserunt suum euangelium gentibus ad Christū conuersis, qui mysticè designantur per pullū: quia sicut nemo super pullum illum vnquam sederat, ita gentes nunquam acceperant legem, sed sine lege pec-

ge peccauerant: quod clarissimè explicat Beda in Homilia supradicta. Matthæus autem qui etiam Iudæis conuersis scripsit Euangelium, non potuit omittere asinā, quia hæc electos Iudæos significat qui iugū legis ab antiquo portauerāt: atq; illa asina electorū Iudæorū, ex quibus spiritualiter nati sunt gentiles, synagoga est, Apostoli enim qui carnaliter fuerunt Iudæi, ac iugū legis portârunt, sua prędicatione gētiles spiritualiter genuerunt. *Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia*, ostendens reuerentiam, qua Christum reuerebatur, quod mirū est, tāto honore, & applausu plebem Hebræam Iesum asino insidentem, quem prius populi seductorem dicebant, excepisse. Propterea autem tantam impendi sibi gloriam Christus permisit, qui tamē cum eum rapere, atq; regem facere conabantur solus fugit in montem orare, vt verus Messias esse ostenderetur. *Alij autem scindebant ramos de arboribus* frugiferis, quibus mons olíueti consitus erat. In Palæstina citius quam apud nos virescunt, & frondent arbores. Christus autem decima Luna primi mensis, id est, 12. Calendas Aprilis, in Hierusalem venit, illo enim anno, octauo Calendas Aprilis, id est, die 25. Martij erat parasceue Paschæ, quo die & mortuus est saluator, quemadmodum tali die cōceptus fuerat: atque ideo Ecclesia extra tempus passionis Christi, conceptionem celebrat: septimo verò Calendas Aprilis erat dies festus Paschę ipsorū, die videlicet sequenti vsque ad vesperum, eoq; virides ramos tunc habebant, mandatum enim eis erat, vt in die festo Paschæ spicarum manipulos ex nouis frugibus offerrent, *& sternebant in uia*. In signū lætitiæ, & reuerentiæ ferè omnes istæ arbores oliuæ erant, quæ pacis, & misericordiæ, siue lenitatis signum referebant, nam oleum vulnera lenit: vnde quando ira deferbuit in diluuio, & aquæ siccari cœ-

Aug. tract. 51. in Ioan. & Hieron. super Zac. cap. 9

Ioan. 6.

Leuit. 23.

ri cœperunt, venit columba ad Noe, ramum oliuæ portãs. Rami ergo ostendunt Christum, verum esse animarum medicum, siquidem ex oliuis oleũ exprimitur, quo vulnera vncta leniuntur, & demũ curantur: vt videre licet in homine qui in latrones lapsus est. Item oliuarum rami, ipsum Iesum pacis authorem, pacemq; inter Deum, & homines facientẽ, præsignarunt. Adijcit Ioãnes, quod Christo cũ ramis palmarũ obuiã præcesserint, victoriã qua Dominus moriendo mortẽ erat superaturus, prænũciantes, Palma enim apud veteres victoribus dari cõsueuerat, vnde de martyribus qui tyrannos in martyrij certamine superârunt datur, Et palmæ in manibus eorũ, itẽ palmæ natura est oneri imposito non cedere, imò aduersum pondus consurgere, atq; reniti. Quæri hic potest quare asino vestimenta strata fuerint? & an ramos arborũ cædentes, Dominis damnum intulerint? Verũ facilè responderi potest, hoc supra modum laudandũ esse, quod pia mens in Dei honorem, ei sanctorum reuerentiam facit: vnde luminarium in templo clara luce accensio, ac radiante sole, dũ sacrificium Deo offertur, etiã laudabilis est & Deo accepta. Nec mirũ quum August. referat per flores ex altari Sãcti Stephani acceptos & ad caput cuiusdam nomine Martialis vt ad Christum conuerteretur positos, orationibus S. Stephani mediantibus, ad Christum esse conuersum. Per asinam, & pullum mysticè peccatores designantur, qui per peccatum stolidi, infirmi, ad bonum pigri, atq; varijs oneribus subiecti facti sunt: ministerio autem apostolorum, & prædicatorum soluti, & ad Christum adducti sunt, vesteq;, id est, apostolicam doctrinam, ita vt Christus illis insidere posit, id est, in illis per gratiam habitare, atq; omnes eorum actus dirigere, assumpserunt. Sternentes autem vestimenta in via,

Luc. 10.

martyres ſunt, qui vt fides Chriſti in alijs firmaretur, ſua corpora in mortem tradiderunt. Ramos autem de arboribus cædentes, qui ex ſcriptura ſacra, & exemplis ſanctorum, varia pietatis dogmata, ad Chriſti honorem, populiq; eruditionem, tanquam ramos abſcindunt, & colligunt. *Turbæ uero quæ præcedebant, & ſequebantur*, id eſt, veteris & noui teſtamenti ſancti, qui vnanimiter Chriſtum pro rege ſuo ſuſcipiunt, & eius aduentum laudant. Eadem enim, inquit Beda, fide illi ſaluati ſunt de futuris, qua nos de præteritis. *Clamabant dicentes O ſanna filio Dauid. benedictus qui uenit in nomine Domini* patris noſtri cœleſtis. Nullo modo propriam, ſed tantũmodo patris ſui, in omnibus operibus gloriam quærens, ideoq; merito eſt glorificandus, Sic Cyril. in illud Ioannis, Ego veni in nomine patris mei, & non accepiſtis me. Minus autem rectè intelligitur in nomine Domini, id eſt Chriſti. Ex hoc loco ſumpta eſt pars hymni (Sanctus Sanctus &c.) quã tanto affectu dum ſacrificatur decantamus, collaudantes aduentum Chriſti ad nos: de quo Concil. Vaſenſe ſub Leone primo celebratum, cui & Proſper interfuit, ait, quod tam ſuauis & deſiderabilis vox eſt, vt etiam ſi diu, noctuq; dici poſſet, faſtidiũ generare non poſſet: Quod ideo dixit, quoniam quidam erant tali zelo commoti, vt putarent tam iucundum canticum in miſsis matutinalibus, vbi totus populus non adeſt, nec in miſsis pro defunctis, aut in diebus ieiunij, non eſſe decantandum. Hyeronymus in epiſtola ad Damaſum, quæ ſic incipit, Multi ſuper hoc &c. dicit O ſanna compoſitũ eſſe ex (Hoſia) quod ſignificat Salua, ſiue ſaluũ fac, & (Anna) quod Hebræis eſt interiectio obſecrãtis, ſiue optãtis, ſicut latinis eſt obſecro, vel o, ſeu, o vtinam: docet etiam iſtam acclamationem, ex hoc verſiculo Pſalmi, O Domine ſaluum me fac,

Psal.117 O Domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini, desumptam: qui manifestè de Christo prophetat, & quia crebro in synagoga legebatur, populo notior erat: vnde Pharisæi cùm audirent à populo Psalmum referri ad Iesum indignati sunt. Addit etiam Hieronymus, Lucam, quia

Luc.19. vidit se sermonis Hebræi proprietatem transferre non potuisse, subticere maluisse, quam legenti quęstionem mouere. Cæterùm verisimilius est Lucā (pax in cœlo)&(gloria in excelsis) pro eo posuisse quod alij (osanna in excelsis ponunt) atque proinde quid Osanna significet, non videtur omnino suppressisse. Deinde cur Matthæus dixisset, Osanna filio Dauid, & non potius filium Dauid, si ad verbum Osanna significat Salua, siue saluum fac. Videtur igitur Osanna, significare(obsecro) (salus) vel(o salus)scilicet sit: vt sensus sit, o vtinam sit salus filio Dauid, &, Osanna in excelsis idem sit, quod, obsecro sit salus Deo, habitanti in excelsis, quemadmodum Angeli decantant. Et hoc satis expresit Lucas, ponens gloriam pro salute, optare

Luc.2. enim Deo salutem, nihil est aliud quam gloriam eius quærere: quod verò adiecit pax in excelsis, scilicet habitanti, expresisse videtur, quod dicit psalmi versiculus, O Domine, bene prosperare, seu bona tibi sit prosperitas, nam nomine pacis, significatur rerum fœlix successus, & omne bonum. Signi-

Apoc.7 ficatum vocis (Osanna) optimè expresit Ioannes dicens: Salus sit Deo nostro, qui sedet super throno, & agno. Per Thronum enim cœlum significatur, & per agnum filius Dauid. Atque hoc ipsum, licet plerique ignorarent, verè confesi sunt, ac verum iam aduenisse saluatorem contestati sunt: cui testimonium omnes Prophetæ perhibebant, & opera tam sublimia penitus manifestabant, atque vt efficacius eorum de Iesu esset testimonium, Dauidis

dis oraculo diuino vtuntur, dicentes. Benedictus &c. quę precatio merito eos erigere deberet ad credendum, Christum non venisse destructionis legis causa, quasi Deo contrarius, quin potius secũdum eius beneplacitum, vt legem, & omnia quæ in Prophetis scripta erant, adimpleret. Ioannes habet Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel, non quidem vt cui tributum soluerent, sed qui hominum mentes optimis ligibus, iuxta illud, ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius, prædicans præceptum eius, recturus esset. Licet ergo cæteri tres Euangelistæ dicant, populum acclamasse Christũ quod Dauidi erat promissum, esse regem, hic tamẽ Euangelista existimauit abundè se hoc explicuisse, dum Christum dixit à populo, filium Dauid vocatum: iuxta illud Ecclesiæ, Israël es tu rex, Dauidis & inclita proles. Cap. 12. Psal. 2

Et cum intrasset Hierosolymam, commota est uniuersa ciuitas, tantum Christi triumphum admirans, tantãque populi frequentiam Christo, voce & opere honorem deferentis, *dicens: Quis est hic* quem tam celebri honore excipitis? vel, quem se facit, vt sic Hierusalem ingredi non vereatur? *Populi autem dicebant* oĩbus Hierosolymitanis, *Hic est Iesus propheta, a Nazareth Galileæ*. Hic dies ingressus, fuisse dicitur dies Lunæ post Dominicam in ramis palmarum, quanquam nos hunc ingressum ipsa die Dominica palmarum recolamus, ob lætitiam enim hoc facimus, gaudium gaudio coniungentes: siquidem die Dominico mysterij resurrectionis lætitiã celebramus. Prætereundum non est, quod apud Iudæos primus dies cuiusque mensis in initio nouilunij fuerit, & anno quo Dominus passus est pẽthecostes festum 15. Maij celebratur. *Et intrauit Iesus in templum Dei*, instruens nos, vt cùm ad aliquem

locum appulerimus, primò templum, seu oratoriũ orationis causa ingrediamur. *Et eijciebat omnes ementes, & uendentes in templo* oues & boues, & reliqua quæ in sacrificio offerebantur, *& mensas nũmulariorũ* qui pauperibus, prætextu misericordiæ vsuram palliatam exercentes, pecuniam mutuabant, *& cathedras uendentium columbas euertit,* zelo honoris patris sui incitatus, ac tanquam Dominus templi purgans domum Dei. Et quia ex peccatis Sacerdotum omne malum in populo oriri considerabat, vitia sacerdotum primum resecabat. Circa istud factum saluatoris consule historiam quã recenset Hieronymus in Commentarijs. Cùm enim toto terrarum orbe vnicum esset augustissimum, & celeberrimum Dei templum, atque illuc ex omnibus regionibus Iudæorum, ad offerendum Domino sacrificium populus conflueret, accidebat, vt qui de longè venerant, victimas non haberent. Ne igitur quicquam sacerdotibus decederet, atq; hanc non offerendi excúsationem quis prætexeret, certi quidam à sacerdotibus in templo constituti erant, qui genus omne animalium, quæ offerri possent, venientibus diuenderent: & quoniã multi veniẽtium pecunias quibus sacrificia emerent, non habebant, nũmularij ab ijsdem constituti erant, qui sub cautione, talibus pecunias mutuarent. Et quia lege præceptum erat, vt nemo vsuras acciperet nũmularij autem sine lucro mutuare nollent, adinuenerũt modum, quo pro pecunia fœnebri, diuersi generis munuscula, vtputa poma, vuas passas, reciperent: vnde huiusmodi munera ex mutuo accipiẽtes hoc loco nummularij, siue potius (colibistę vocantur) Græcè enim colyba vilia munuscula dicuntur. Vt autẽ huius miraculi magnitudo intelligatur. quo tam multi emptores, & venditores admodũ potentes per Christum infirmũ, atq; despe-

ctum

ctū eijci potuerint, consulatur Hierony. qui dicit, quod igneū quoddā,atq; sydereū ex oculis Christi radiabat,& diuinitatis maiestas,quando vendētes, & ementes eiecit,in faciē relucebat. Non est autem existimandū idē miraculū istud esse cū miraculo quod refert Ioan.etenim miraculū illud initio prędicationis Christi cōtigit, istud verò in fine,atq; in illo mitius colūbarū vēditores,& emptores aggreditur,nō eos eijciēs,sed admonendo,dicēs: Auferte ista hinc,quia fortasse pauperes erāt,ex simplicitate colūbas vendebāt. Cōtigit autē hoc miraculū quod refert hoc loco Euang.nō die qua ingressus est Hierusalē,sed die sequēti,vt ex Mar.patet:poniturq; per tēporis anticipationē:aut sicut August. dicit,eodē die contigit,sed tunc Marcus per recapitulationem recitasse intelligendus est. Mysticum sensum huius dant Hieronymus, & Augustinus. *Scriptum est: Domus mea,domus orationis uocabitur*, Quēadmodum templum Salomonis,quod mysticè Ecclesiā meā designat,ad orandū dedicatū est,ita Ecclesia mea in qua nō ab vna gente Iudaica,nec vno orbis loco,sed ab omnibus gētibus,per vniuersum terrarum orbem,orationes fundētur. *Vos autem fecistis illam speluncam latronum*,eiusmodi in tēplo quibus misera plebs spolietur,atq; Dei ira prouocetur, exercentes. Quemadmodū enim in suis specubus latrones spolijs inhiātes,grauissimè Deū offendūt, sic & vos longè grauius sacrilegium committentes, deliquistis, propter loci sacri reuerentiā. Augustinus & Beda aiunt, venditionem, & emptionem eorū,quæ pro cultu Dei necessaria sunt, etiāsi extra templum licitè fiant,in templo tamen nullo modo licito fieri posse. Vnde eadem de omnibus, quæ natura sua orationis, vel diuinæ laudis, aut prædicationis attentionem impediunt, esse ratio videtur, etiamsi illicita non sint, quantò ergo

In coment. huius loci.

Ioan. 2.

Cap. 11.

Hieronym. in commen. Aug. tract. 10. in Ioā.

Esa. 56.

Tract. 10. super Ioan. Beda in 11. ca. Marci.

magis ea, quæ nusquam licitè, vtpote lites, conuitia, discursus inordinati &c. fieri possunt, locũ Deo dicatum violant. Quam graue autem ementium, & vendentium sacrilegium fuerit, ex zelo Saluatoris, quo contra eos commotus est, expendere possumus, qui non permisit vt quisquam vas per templum Salomonis, & veteris legis transferret, incõparabiliter igitur maior templis Christianorum, vbi Christus etiam corporaliter habitat, reuerentia debetur, vt patet ex Pontificum, martyrumq́ Christi statutis: In primis Xisti, qui à beato Petro sextus fuit, & Stephani, id est, qui ab eodem Petro fuit vigesimus secundus: etenim Xistus statuit, vt vasa sacra ab alijs quam à sacratis hominibus non contrectarẽtur. Quia indignum (inquit) valde est, vt sacra Domini vasa, quæcũque sint, humanis vsibus seruiant, aut ab alijs, quàm à Domino famulantibus, eiq́ dicatis tractentur viris: ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus, plagam populo suo imponat. Stephanus verò de vestibus sacratis dicit, Quod alijs in vsibus cum Deo, eiusque seruitio consecrata, & dedicata sint, nemo debet eis frui, quam ecclesiasticis, & Deo dignis officijs, quæ nec ab alijs contingi debent, aut ferri, nisi à sacratis hominibus: ne vltio, quæ Balthasar regem, quia ex vasis domus Domini in mensa bibebat, comprehendit, super hos transgredientes, & talia presumẽtes, diuina veniat. Quęritur, vtrum peccatum occultum, in loco sacrato perpetratum violet illum? Respondeo hoc pendere ex intentione, & oratione Salomonis, nam si templum ad orationem mentalem etiam dedicatum fuerit, is qui in illo aliquid eam impediens agit, illud violat. Indubiè autẽ negotiatio, & cereorum venditio in templis illicita est, quoniam, Beda, & Augustino testibus, iuri diuino repugnat, quod

Epist. 2.

Epist. 1.

Dan. 5.

quod nulla consuetudine aboleri potest. Similiter proclamationes, quas in templis faciunt principes, vel procuratores, de domibus, agris, suppellectilibus, aut alijs rebus vendendis, omnino illicitæ censendæ sunt, neq; ab Episcopis locorũ tolerãdæ.

Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos. Si eiectio vendentium, & ementium primo die (vt sentiunt Augustinns, & Hieronymus) facta est, cæcorum, & claudorum curatio, ipso die ingressus Christi facta fuit.

Videntes autem principes sacerdotum, & scribæ mirabilia quæ fecit. In eiectione tantæ multitudinis, & claudorum, atque cæcorum sanatione, *indignati sunt*, cõtra Christum, qui sic à pueris laudabatur, *Et dixerunt ei, Audis quid isti dicunt?* Quasi dicant, Ignoras horum puerorum blasphemiam, & talem laudem tibi deferri permittis? *vtiq;*, intelligo quid sibi velint pueri, non tamen quasi blasphemos compesco, nec reprehendo: *Nunquam legistis?* Quasi dicat, Sacram scripturam, quæ infantium laudem collaudat expendite, dictum enim est à Dauide Deo patri, *Quia ex ore infantium, & lactantium perfecisti laudem:* Hoc est: Per ora paruulorum, qui quodammodo adhuc lacte viuunt, vixque lactare possunt, perfectam laudem tuam declarasti. Ad literam paruuli intelliguntur, quorum laude Deus pater delectatur quia prauis moribus corrupti non sunt: nam non est speciosa laus Dei in ore peccatoris. Augustinus tamẽ, de infirmis Ecclesiæ mẽbris quæ perficiũtur vt postmodum perfectius Deũ laudent, intelligit.

Et relictis illis, Sacerdotibus, & Scribis, *abijt foras* animaduertens quod à nullo ad hospitium vocaretur (vt annotat Marcus) *in Bethaniam*, id est domũ obedientiæ, vel affectionis, quæ à Hierusalẽ stadijs quindecim, id est, duobus milibus passuum, di stabat: vbi singulares eius amici, Lazarus videlicet, Martha

Martha,& Maria Magdalena morabantur:*ibiq; mãſit* illa nocte,atque tota hebdomada,vſque ad paſsionis ſuæ initium:die in templo Hieruſalem docens: nocte verò,in Bethania hoſpitans, ſaltem vſq; ad
Luc.21. feriam quintam,quando in Hieruſalem cum Apoſtolis ſuis cœnauit,& paſcha comedit. *Manè autem reuertens in ciuitatem,eſuriit* verè. *Et uidens fici arborem unã ſecus uiam, uenit ad eam.* Sic ſe gerens quaſi fructũ in illa,ad fami ſuccurrendum,quæreret,cùm tamẽ nondum eſſe tempus ficuum non ignoraret(vt habet Marcus) *Et areſacta eſt continuo ficulnea*, radicitus ex maledicto Chriſti. Ex quo patet quod non ſolum verba parabolica protulit,ſed etiam eius facta fuerunt parabolica,& aliquid ſignificantia. Atque iſtud miraculum ſingulariter ad aliquid ſignificãdum factũ eſt,alioquin ſtultum eſſet,extra tempus fructuum,fructus in arbore quærere. Eſuries igitur Chriſti deſiderium ſalutis generis humani ſignificat,ſicut & cibus eius,myſticè eſt ſalus hominum, nam alibi dicit,quod cibus eius ſit, facere volũtatem patris ſui,id eſt,ſaluare homines. Cùm igitur hanc ſpiritalem famem ſedare cuperet, venit ad populum Iudaicum,qui per arborem fici deſignatur, & qui erat ſecùs viã,id eſt, legem Moyſi,cupiuitꝙ hunc populum perducere ad verum fructum pœnitentiæ,ſed ille nihil fructus,ſed tantummodo folia protulit,iuſtitiæ videlicet oſtentationem, verba ſancta,externas cæremonias, & ſimilia, omnis bonorum operum fructus expers, ideoꝙ Chriſti maledicto exaruit,ſpiritalis gratię ſucco deſtitutus. Nec ad tempus tantummodo deſertus eſt,quẽadmodum prioribus temporibus,quando poſt miſeriam redijt ad pœnitentiam,ſed æterna damnatione eſt condemnatus. Quod tamen dicitur, Nũquã ex te fructus naſcatur in ſempiternũ, nõ ſic intelligendũ eſt, quaſi nullus poſtea Iudæorũ verũ pœniten-

nitentiæ prolaturus esset fructum, sed prædicitur, quòd potissima & multo maxima pars Iudaici populi esset peritura. Adeò enim pauci ex eis conuersi sunt, vt comparatione pereuntium nulli reputētur, præsertim si ad multitudinem conuersorū ex Gentibus conferantur. Obseruanda est autem in hoc facto, magna saluatoris misericordia, qui dum ostendere voluit, quàm esset erga homines misericors, sanitatum miracula in illis est operatus: cæterum, seueritatis exhibiturus exemplum, nō hominibus, sed arbori maledixit, malēs id in signo prius quam in re signata facere. Nullam autem arboris Domino & possessori iniuriam intulit, ipsius enim est terra & plenitudo eius, ipse Dominus oīs creaturæ. Frequēter etiam sanitatis miracula est operatus & hominibus benè fecit, ad idem declarādū: semel autem tantùm creaturæ suæ maledixit. Ad quam rem ficum potius, quam aliam arborem delegit, vt illustrius foret miraculum siquidem ficus arbor humidissima est. Quidam putant fici arborē, scientiæ boni, & mali ficum fuisse: tum quod Christus ad Nathanaelem dicat: Cùm esses sub ficu, vidi te, quod Diuus Augustinus de Adam in paradyso interpretatur, Tract. 7. in Ioannem. Tum quod ex foleis ficulneis perisomata sibi consuerint. Sed incertum id est, nam & iuxta lignum vitæ ficus esse potuit. Ioan. 1. Genes. 3.

Et uidentes discipuli mirati sunt, sequenti die, vt ait Marcus, Vide Augustinum libro secundo de consensu Euangelistarum capite 68. *Dicentes, quomodo continuo aruit?* scilicet ad verbum Christi, nam eam statim ad verbum ipsius aruisse cognouerunt, non enim præsentes erant cum malediceret, quia illinc transierant, non retrospicientes. Monemur hac parabola, vt bonis operibus operam demus: alioqui enim si externis tantùm cære-

cæremonijs & sola pietatis specie fuerimus exornati, periculum est ne & ipsi planè tandem exarescamus.

Amen dico uobis si habueritis fidem, & non hæsitaueritis aliqua diffidentia, *non solum de ficulnea facietis* quod ego feci, *sed & si monti dixeritis: tolle & iacta te in mare, fiet.* De montis translatione supra in ca. 17. dictum est. Hinc discimus, fidem grano sinapis comparatam, intelligendam esse perfectam. *Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes accipietis*, cōfidentes quod fiet vobis: credere enim hoc loco pro sperare, & confidere ponitur, vt ex Marco patet dicente. Quęcunq; orantes petitis credite, quia accipietis, nō autem fide propriè dicta, credere debemus nos impetraturos quæcunque à Deo petimus, cum nemo de vita æterna sine singulari reuelatione certus sit: at sicut credebat Dauid dicens, Credo videre bona Domini, in terra viuentium, & sicut Petrus, Credimus saluari, quemadmodum & ille. Vide Damascenum lib. 4. de ortho. fide ca. 11. Alij hoc modo interpretantur, quod omnia quæcunq; petierimus, credentes accipiemus, scilicet seruatis certis conditionibus: quæ expositio nō est improbabilis. Quomodo autem intelligendum sit, quod omnis qui petit accipiat, supra ca. 7. explicatum fuit.

Psal. 26 / Act. 15.

Et cum uenissent in templum, accesserunt ad eum docentem *Principes sacerdotum, & seniores populi*, id est summi sacerdotes, & vrbis præfecti, & scribæ *dicentes, In qua potestate hæc facis* miracula & præcipue quod vendentes, & ementes ex templo eijcis, & tam celebri triumpho ciuitatem hanc ingredi præsumis? Hæc contigerunt feria quarta hebdommadæ sanctæ. *Et quis dedit tibi hanc potestatem?* Non enim es sacerdos de genere Leui, nec aliquam à Romanis habens authoritatem. *Respondens autem Iesus dixit eis: Interrogabo uos & ego unum sermonem: quem si dixeritis mihi,*

& ego

& ego dicam uobis in qua potestate hæc facio. Christus malo nodo malum quæsiuit cuneum, & quæstionem opposuit quæstioni eorum dicens, *Baptismus Ioannis unde erat, e cœlo an ex hominibus?* id est: Quomodo Ioannes baptizauit populum illo baptismo, qui ante non erat notus? an iussu patris cœlestis, an verò ex proprio ingenio, vel aliorum hominum consilio baptismum illum confinxit? *At illi cogitabant inter se dicentes:* disputantes forsitan hoc verbis expresis, posteaquam à Christo secessissent, vel interna tãtum cogitatione voluentes. *Si dixerimus e cœlo, dicet nobis: quare ergo non credidistis illi?* dum prædicauit me esse iudicem mundi, filium Dei peccata mundi tollere, deniq; me baptizare in nomine spiritus sancti. *Si autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam,* ne nos lapidet. *Omnes enim habent Ioannem sicut prophetam*, id est, omnes existimant Ioannem à Deo missum, qui proprio ingenio nihil confinxerit. *Et nescimus,* mẽtientes. *Ait illis & ipse, Nec ego dico uobis in qua potestate hæc facio.* Sed obijcias, non litem soluit, qui litem lite resoluit, ergo malè sic respondit Christus· dicere enim debuit se patris potestate hæc facere. Respõdeo, Quæstio Christi de baptismo Ioannis non erat curiosa, sed plurimum vtilis ad dissoluendam quæstionem quam ipsi rogabant si enim ex syncesitate respondissent Ioannis doctrinã ex Deo fuisse, statim manifestasset eis Christus quod diuina virtute hæc faceret.

Dicit illis Iesus: Amen dico uobis, quia publicani, & meretrices præcedunt uos in regno Dei. Publicani id est manifesti peccatores, & scelerati homines, quales sunt auari & raptores. Meretrices id est impudicæ, & otiosæ mulieres. Præcedunt, quoniam pœnitentiã agunt. *Venit enim ad uos Ioannes in uia iustitiæ, & non credidistis ei,* Ioannes veram iustitiæ viam vos verbo, & exemplo docuit. Et quanquam professi estis vos

vos Deo seruituros, nihilominus tamen Ioanni credere & pœnitentiam agere renuistis. publicani autem & meretrices, qui ob malam vitam suam seruire Deo recusarunt, Ioanni crediderunt, & pœnitentia ducti, ad Deo seruiendum humiliter accurrerunt. Hæc parabola optimè in malos sacerdotes, & religiosos quadrat, qui singularem licet Dei seruitutem professi sint, malè viuunt, nec populi pœnitentis exemplo mouentur, vt pœnitentiam assumant. Item in superbos quoscunque, qui longè insanabaliores sunt, quā homines in sceleribus apertè volutātes, curabilior enim est qui medico vulnera ostendit, quam qui ea tegit.

Aliam parabolam audite, Sacerdotes, Scribas, atque plebem vniuersam, vt ex Luca patet, alloquitur: Quia in Iudæa multæ vineæ sunt, in scripturis frequenter parabolæ à vineis desumuntur, quemadmodum supra vnā habuimus, hoc verò loco duas. Atq; hæc parabola ferè eadem est cum illa, quā habet Esaias: Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ suæ &c. & Hieremias, & Psalmista: Etenim hæc propriè contra sacerdotes, & Pharisæos (vt ex fine huius capitis liquet) prolata est, illa autem contra populum, id est, subditos ipsos. *Homo erat paterfamilias, qui plantauit uineam, & sæpem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis: & peregre profectus est.* Paterfamilias Deus pater est: vinea populus Iudaicus, seu domus Israël, agricolæ, & vinitores, sunt Scribæ, & Pharisæi, siue sacerdotes, qui infra ædificatores, siue cæmentarij nuncupantur, quemadmodum Ecclesia nunc ager, nunc domus vocatur. Hanc vineam elocauit agricolis quando populum doctrina bona, & exemplo, commisit eis erudiendum: vt ipsi inde proficerent apud Deum, & populus etiam bonæ vitæ Deo fructum afferret. Per sepem, torcular

Cap. 20.
Cap. 5.
Ierem. 2.
Psal. 79.

cular & turrim, summa Dei significatur diligentia, qua in exculēda synagoga vsus est. Nec est necessariū ista singulati exponere, multa enim in parabolis adijciuntur, ob rerum, vnde parabola desumitur, continentiam, non autem quasi habeat quodlibet, specialem significationem in ipsa re principali. Sunt tamen nonnulli qui per sepem custodiam angelorum intelligant, & per torcular altare. quia sicut vuæ omnes ad torcular, vt ibi exprimantur, deferuntur, ita etiam populi oblationes ad altare ferebātur. Per turrim, templum vbi lex Dei docebatur, qua populus protegebatur: vel sacram scripturam, quòd per eam aduentum Christi contemplari poterant rectores, ac spiritualium bestiarum incursum cauere. Peregrè autem profectus Dominus dicitur, quia libero rectorum arbitrio dimisit populi regimen, vel potius, quia iam per talia miracula non adfuit Iudæis, sicuti dum eam plantarent, pascens eam 40. annis manna, ab æstu in die nube protegens, & columna ignis nocte tenebras discutiens. *Misit seruos suos ad agricolas*, id est, prophetas, qui sui officij agricolas commonefacerent. *Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt*, vt Ieremiam, Michæam: *alium occiderunt*, vt Esaiam & Amos *alium uero lapidauerunt*, vt Zachariam sacerdotem, inter templum & altare, & Naboth. *Iterum misit alios seruos plures prioribus*, id est, duodecim prophetas. *Nouißime autem misit ad eos filium suum dicēs: Verebuntur filium meum*. Eos decet filium meum vereri. Significatur agricolarum libertas qua poterāt, si voluissent, vereri filium: non enim ex ignorantia putandus est hoc dixisse Deus pater. *Agricolæ autem uidentes filium, dixerunt intra se, Hic est hæres, uenite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* tum securè, & impunè populum premere ac spoliare poterimus, amplius diuinæ legis curam non habebit, quam

quam hic adeo prædicat, & inculcat, quasi nos curã eius nullam haberemus, & quasi, ipse verus populi huius esset Dominus: Sacerdotes omnes quę sua sunt ex populo quærentes, & salutem populi negligentes, hæreditatem Christi occupare volunt, ac spiritualiter Christum extra propriam vineam, eijcere, vt populus fiat eorum hæreditas, atq; hoc est quod dicit. *Et apprehensum eum eijecerunt extra uineam,* id est, extra populum Iudaicum, dum extra portam, & castra, loco maleficorum supplicijs destinato, *Et occiderunt* eum crucifixerunt.

Cum ergo uenerit Dominus uineæ ad vindicandũ filij sui sanguinẽ. *quid faciet illis? aiũt illi: Malos male perdet.* Primum Scribæ, & Pharisæi sese proprio ore cõdemnauerunt, quemadmodum & seipsum nescius Dauid condemnauit, proposita parabola Nathan.

2. Reg. 12. Hanc condemnationem quam contra seipsos protulerunt explicat Matthæus, & sententiam illorum postea probauit saluator: ita tamen vt ex verbis saluatoris, vel eius gestibus se malos agricolas esse intelligerent, quod explicant Marcus, & Lucas: vnde audito responso Saluatoris dixerunt, Absit vt nos tales agricolæ simus, qui seruos, & filium Dei occidamus: ideoq; Saluator aliam parabolam adducit qua probet principes Iudæorum Christum

Psal. 117 esse reiecturos. Hic quæritur an Christi occisores verè cognouerint Iesum esse messiam, & Dei filiũ. Respõdeo admodum probabile esse id eos in principio cognouisse, sed partim neglectu rerum cælestium, partim ambitione & auaritia, in primis autem odio & inuidia exçæcatos fuisse. id quod parabola de conuiuio nuptiarum satis significatur: *Dicit illis Iesus: Nunquam legistis in scripturis: lapidem quem reprobauerunt ædificantes hic factus est in caput anguli?* Quasi dicat, Attendite num vos Christi occisores non sitis, Scriptum est enĩ de populi Iudaici rectoribus

ribus, quod qui deberent ſpiritualiter populum Dei ædificare,ac pro fundamento, & primiario lapide iacere Meſsiam ipſummet reprobauerunt: verumtamen quantumuis reprobatus,factus eſt ſummus angularis lapis,id eſt,primarius dux,& rex totius domus Dei, tanquam angulus duos parietes antea diſtnctos,Iudæos nimirum,& Gẽtes in vnũ connectens. Frequens huius parabolæ, ſeu lapidis in ſcriptura fit mẽtio,vt ſignificetur Chriſtus per paſsionẽ factus caput Eccleſię,ex Iudęis,& gẽtibus per eũ cõgregatæ,atque iudex, maieſtatis ſuæ grauitate opprimens omnes aduerſarios. *A Domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* i. diuina potentia factum eſt,vt reiectus lapis factus ſit angulare caput,cùm tamen omnes quantùm poſſent populi Iudaici primates obſiſterent. Nihil autem tam eſt mirabile in omnibus Dei operibus quàm quòd homo vilis,& contemptus renitentibus huius populi principibus omnibus, rex ſit factus, & caput omnium gentium. *Ideo dico uobis* quia vos eſtis illi ædificantes,qui me reprobatis, & qui tandem crucis patibulo affigetis. *Auferetur a uobis regnum Dei*, id eſt,cognitio myſteriorum ſacræ ſcripturæ, vt ait Hieronymus, per quã Deus regnat in hominibus. Vel regnum Dei,id eſt,vitæ ęternæ regnum quod à Iudæis auferri dicitur, inquit Auguſtinus contra aduerſarium legis,& prophetarum,quia poſtquam à Chriſto Domino deſerti ſunt, ad illam ſicut antea,pèrtingere non potuerunt. *Et dabitur genti facienti fructus eius* populo gentili, qui ex cognitione myſteriorum Chriſti, bonorum operum fructũ proferet meliores vobis agricolas habebit, Apoſtolos ſcilicet,& Apoſtolicos viros,quos ad regnum cœlorum eſt perducturus. Sicut autem Chriſtus Iudæis dixit, Auferetur à vobis regnum Dei, ita & multis regionibus Chriſtianorum dici poteſt, Au-

Iſa 8. & 28. Dan. 2. Zach. 3. Ephe. 2. 1. Pet. 2.

In cõment.

Lib. 2. c. 4.

feretur à vobis Christi cognitio, & alijs gentibus dabitur verũ pœnitentiæ fructum facientibus: ficuti completum videmus in Ecclesia orientali, à qua Christus ablatus est, ac nouis insulis donatus. *Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur*, Et vt nõ arbitremini Christum ob firmitatem tantùm fundamenti, vel capitis, lapidem vocari, dico vobis, quod etiam lapis vocetur, propter inimicorũ confractionem: Qui enim ceciderit, id est, peccauerit, in huius tamen lapidis fide remanendo, confringetur, id est, spiritualiter perdetur: ita tamen vt adhuc per pœnitentiam reparari & iustaurari possit quia fidem seruauit. *Super quem uero ceciderit, conteret eum*, id est, qui verò fidẽ lapidis abijcit, penitus conteretur, nihil sibi quò redire possit reseruãs. Sumpta est parabola à testaceo vase cõfracto quando enim non omnino confractum est, adhuc aquã retinere potest, at quando penitus contritum est nulla testa remanet integra, qua aliquid aquæ conseruari possit. Sic Hieronym. in comment. Aliter Augustinus vbi illum super lapidem cadere & cõfringi intelligit, qui in hac vita peccat: siquidem quamdiu hic viuitur de nemine desperatur, nam superest adhuc pœnitentiæ locus. Super illum autem cadit lapis Christus, atque conterit, quem in die iudicij condemnat: nullus enim tunc restat fructuosæ pœnitentiæ locus. Aliter Theophylactus, Iudæorum animos dicit spiritualiter fractos, quãdo in Christum peccauerunt: quando verò Christus super illos cecidit vlciscẽdo, tunc penitus sunt contriti, quia per totum orbem dispersi, & sacrificijs, templis, ac sacerdotibus destituti. Pro qua re consulatur Beda circa illud: Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Lib. 1. quæ. euan. c. 30.

Luc. 11.

IN CA-

ET *respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis, dicens: simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Hanc parabolam subiungit Dominus, ad declarandum quod à populo Iudaico regnum Dei auferretur: Priores verò parabolæ dictæ sunt cõtra populi rectores præcipuè. Prædicitur etiam hic gentium vocatio. Homo rex *Matth.13* Deus pater dicitur, qui Christo Dño nuptias fecit, quando hnmanã naturam vt sibi Ecclesiã vxorem sociaret assumpsit. *Et misit seruos,* id est, prophetas, aut (secundũ Hiero.) seruum, id est, Moysen vocare Iudæos, qui quondã inuitati erant, dum patriarchis Deus Messiam, & salutem æternam promisit: *Ephes.5* *Apoca.19.* quod cantus Ecclesię (quam olim Abrahæ promisisti, & semini eius) exprimit. *Vocare inuitatos ad nuptias,* vt participes Christi incarnationis essent, & Ecclesiæ electorũ sociarentur: *& nolebant uenire,* dũ prophetis credere recusarũt, & à via sua mala reuerti abnuerũt. *Iterum misit alios seruos,* apostolos, *dicens: Dicite inuitatis* Iudæis, *Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias.* Per omnia ista, metaphoricè significantur in mysterio Christi magnificentissima quædam, & regia fercula, id est, dona conuiuis præparata. Quidam per tauros, patres veteris testamẽti intelligunt, per altilia verò noui testamenti. Alij prophetas qui sacerdotes, & duces populi fuerunt, quales fuêre Ieremias, Ezechiel, & Dauid: Per altilia verò, prophetas quidem, sed eos qui duces populi non fuerunt, quales fuerunt, Amos, & Ionas. Atq; hoc modo intellexerunt, quia taurus animal immolatitium est, & quia prophetæ sapientia Dei, & spiritus sancti consolatione saginati fuerunt. Tertio per tauros, alij martyres accipiunt.

Per altilia, viros ſpiritales, vel prophetas, qui ſpiritu ſancto afflati, à terra elati, atq; pro illo conuiuio æterno ſunt occiſi. Omnia autem parata eſſe dicuntur, quia per Chriſti incarnationem, & paſsionem, totius gratiæ fons apertus eſt, & quicquid prophetæ de Chriſto paſſuro, & eodem glorificando prędixerunt, completum eſt. Patres enim veteris teſtamenti futura prædixerunt, Apoſtoli vero cōpleta monſtrârunt. *Illi autem*, ſcilicet inuitati. *Neglexerunt, & abierunt, unus in uillam ſuam, alius uero ad negotiationem ſuam*, Quia diuitijs inhiabant, honoribus & alijs hujus ſæculi vanitatibus immerſi erant, prædicationem apoſtolicam reiecerunt. Hoc enim per, ire in villam, & ad negotiationem, ſignificatur: quamdiu enim homo huiuſcemodi inhæret, quaſlibet ſuæ ſalutis occaſiones negligit. Commodè verò totum genus humanum per hęc, vanitatibus huius ſæculi deditū ſignificatur: nam omnes manu operantes pulchrè per laborantem in villa omnes verò ingenio, & induſtria ſpeculantes, per negotiatorem ſignificantur. *Reliqui uero*, inuitatorum, rectores nimirum populi Iudaici tenuerunt ſeruos eius in vincula conijcientes, *& contumelijs* varijs conuitiorum generibus *affectos occiderunt*. Sub occiſis prophetis, cædes Chriſti ſponſi intelligenda eſt, quæ ideo hic ſubticetur, vt parabola non interrūpatur. In rebus enim humanis occiſo ſponſo, ceſſat nuptiarum feſtiuitas, & nullus ad illas amplius inuitatur, cum ergo alij poſtea adhuc vocentur, occiſio ſponſi ſubticeri debuit: quæ tamen omnino intelligi debet, quoniam ira regis propter necem ſponſi filij ſui maximè efferbuit. His peſsimis prophetarum occiſoribus ſimiles ſunt hodie, quicūq; veritatis doctores ſcōmatis excipiunt: & inuitatos ad nuptias præpediunt, ne doctrinæ ſynceritati acquieſcant.

Rex autem cum audisset iratus est, non per affe-ctum, sed per vindictam, & punitionem. quem-admodum pœnituisse dicitur, quia per diluuium hominem perdidit, quem fecerat. Et hoc more nostro dictum est, quia opus quod nos fecisse pœnitet destruere solemus. *Et missis exercitibus suis*, militibus Romanis *perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum succendit*: Milites eius ducibus Tito, & Vespasiano Deo sic dirigente, Iudæam, occisis homicidis & ijs, qui apostolicam imitationem neglexerant & metropoli Iudææ Hierusalem succensa, euerterunt. a Thess.6

Tunc ait seruis suis, id est, clarè per spiritum sanctũ Euangelij prædicatoribus reuelauit Christi gratiã, à Iudęis, qui per superbiam, & magnitudinem eam repulerant ad Gentes transferendam: quæ tametsi indignę essent, quadam tamen ratione indigniores erant Iudæi, quia sposum Christum, & seruos eius prophetas occiderunt. *Ite ergo ad exitus uiarum*, id est, ad gentes, quæ in viarum exitibus esse dicuntur, quia legem, & prophetas, qui sunt via ad Deũ nondum receperant. *Et quoscunque inueneritis, uocate ad nuptias*, siquidem prædicator Euangelij, omnibus euangelium prædicare debet. *Et egressi serui eius in uias*, ex Iudęa videlicet, quæ ab antiquo domus Dei fuerat, *congregauerunt omnes quos inuenerunt*, ex omnibus generibus hominum, qui sequi non recusarunt, *bonos, & malos*. Mali vocantur, qui Christi seruos fallentes, se credere, & verè pœnitere simulabant: boni verò, qui syncerè crediderunt, & pœnitentiam egerunt. Aut mali dici possunt, qui postquam locum conuiuij ingressi sunt, malè vixerũt: boni verò qui vitam suam benè instituerunt. Aut tertio, boni, & mali dicuntur, qui secundùm vulgi existimationem tales reputabantur, eo modo intelligendo, quo illud: Rogate, quis in illa dignus sit, Matth.ult. Marc.ult.

Matth.10. id eſt, dignus habeatur. Sic Auguſt. *Et impletæ ſunt*
De fide & *nuptiæ diſcumbentium*, id eſt, locus celebrãdis nuptijs
operib.c.17 dicatus, diſcumbentibus plenus fuit. Quod futurũ eſt in fine ſęculi, vbi omnes electi Eccleſiam intrauerint, tunc enim nullus deinceps Eccleſiam intraturus eſt.

Intrauit autem rex, ut uideret diſcumbentes: & uidit ibi
Lib.22.cõ. *hominem non ueſtitum ueſte nuptiali* Per hominem hũc
Fauſt.c.19 omnes impij intelligẽdi ſunt, qui Chriſti ſacramẽtis communicant, veruntamen quod nomine & verbo profitentur, opere, & conuerſatione deteſtãtur: & hoc eſt non habere veſtem nuptialem. Pro quo conſulatur Auguſt. *Et ait illi: Amice, quomodo huc intraſti non habens ueſtem nuptialem?* Qua audacia te pro Chriſtiano gerere, & Eccleſiæ ſacramentis vti auſus es, cùm Chriſtianam conuerſationem deteſtatuş ſis? Amicus vocatur, vel per ironiam, vel quia plurima amicitiæ ſigna ei, dũ in Eccleſia eſſet oſtẽſa ſunt. *At ille obmutuit*, quia negandi peccata deerat
Matth.13 facultas, omnibus enim illa aperta erant. *Tunc dixit rex miniſtris*, angelis videlicet bonis. Theophyl. etiam de malis intelligit. *Ligatis manibus & pedibus eius*. Omiſſa parabola, occultè tranſit ad rem ſignificatam. Hieronymus ſentit membra impiorum in
In cõment. futuro iudicio liganda, tamen poſteriores hoc per tropum dictum intelligunt: vt manus & pedes dicantur ligati, quia perficere nõ poterunt, quod praua voluntate cupient damnati. Auguſtinus vincu-
Lib.11.de la intelligit prauarum atque diſtortarum volũta-
Trin.ca.6. tum implicationẽ. Siquidẽ vna cupiditas aliã poſt aliã velut anſa anſam & catena catenã trahit. Cui
Prouer.5 expoſitioni ſatis conſentaneum eſt illud Prouerb. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Et illud Eſaiæ, væ
Eſa.5. qui trahitis iniquitates in funiculis vanitatis, Theophyl. ligari intelligit manus & pedes quod nihil tũc

operis

operis boni præstare damnati poterūt vtile ad remissionem peccatorum. Dionysius Carthusian.& Francisc. Titelmannus per ligationem accipiunt, ineuitabilitatem ignis æterni : vt enim submergendis manus pedesque ligantur ne quo pacto enatēt, ita in gehennam mittendi, quoniam nulla inde ratione effugere nec resistere poterunt, dicuntur alligari.

Mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus & stridor dentium. Verisimile est quod damnati verè in tenebris corporalibus erunt, & fletu, atq; igne corporali cruciabuntur. In hoc vno homine omnes impij intelligendi sunt, qui in magno numero sunt futuri. *Multi sunt enim uocati, pauci uero electi.* Augustinus de Iudæis istud intelligit, & dicit: Meritò Iudæi quondam vocati, & multi etiam locum cōuiuij ingreßi reijciuntur in tenebras exteriores, quia multi sunt vocati pauci verò electi. Matth. 8 Li. post col. cōt. Donat. cap. 20.

Tunc, Eodem die, cū audissent de seipsis grauia parabolicè prophetari, *consilium inierunt, ut caperent eū in sermone*, ex quo præsidi Pilato accusare possent, vt habet Lucas, hoc fine, vt in corpore puniretur, & punitione prouocatus facilius ad aliquid cōtra Cęsaris potestatem dicendum induceretur. In opere nullo modo capere poterant, proinde conabantur in verbo eū capere: in quo (teste Iacobo) facilè offēditur. *Et mittunt eos discipulos suos* Pharisæos, qui magnum iustitiæ zelum simularent. Isti iuris Cæsarij protectores fuisse videntur, & Herodis tetrarchæ milites, *cum Herodianis*, qui Romanis tributa soluebant: ad quæ exigenda Herodes magnus huius Herodis tetrarchæ pater, prius à Romanis erat cōstitutus. Sic aūt sunt vocati quia Herodis partes fouere videbātur. Sic Hiero. *dicētes: Magister scimus quia uerax es, & uiā Dei in ueritate docēs.* Hęc verba sunt adulatoria, & insidiosa, *& non est tibi cura de aliquo*, vt Iacob. 3. In comm.

 alicu-

alicuius metu contra veritatem, & legem Dei doceas, sed in veritate omnia dicis. Quidam putant fuisse quandam sectam Herodianorum, quæ defendebat tributa persolui debere, quæq; sectæ Iudæ Galilæi contraria erat, qui dicebat nullum præter vnicum Deum vocari debere Dominũ. Quæ hæresis in tantum creuerat, vt etiam Pharisæos, & multam populi partem perturbaret, ita vt ad Dominum hæc quæstio referretur: quæ etiam tempore Pauli viguit, quoniam contra eam disputat. Qua de re consulantur Hieronymus, & Iosephus. *Quid tibi uidetur*, Scimus enim quod quicquid tibi visum fuerit, certissimum sit: *Licet censum dare Cæsari* nobis? qui populus Dei sumus, & Deo primitias, & decimas in templo offerimus, *an non?* sicut omnino apparet, cùm Cæsar gentilis sit, nos autem populus Dei, & æquandus non sit in accipiendo tributo Deo, cui munera offerre debemus eum nostrum Dominum agnoscentes.

Rom. 13.
In commẽt. in 3. cap. ad Titum.
Iosephus li. 18. Antiqu. Iudaicatũ.

Cognita autem Iesus nequitia eorum, qua eũ illaqueare tentabant, ita vt si licitum esse responderet populo, qui inuitus soluebat, & Iudæ Galilæo assentiebatur, odiosus fieret: si verò illicitum, extẽplò ab Herodianis caperetur, & Pilato præsidi: & Romanis tanquam seditiosus, & rebellis traderetur: si autem taceret, timoris redargueretur. Porrò prudentissimè respondit, dicens: *Quid me tentatis hypocritæ, Ostendite mihi munisma census*, id est, nummum, quem quilibet vestrûm pẽdere debet, in subiectionis signum. *At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris* Tiberij scilicet, qui fuit priuignus Augusti. *Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Quia in commutationibus, & negotiationibus vestris, nũmis publicis vtimini, quos Cæsar cudi iussit, & suã imaginem insculpi, iustum est, vt illi tributum pẽ-

datis.

datis. *Et quæ sunt Dei, Deo.* Non putetis propterea vos liberos, quia Deo primitias, & decimas secũdùm legem offertis: vtrunque enim à vobis exigitur, quasi dicat quemadmodum Cæsar à vobis exigit, sic vult Deus suam quam in vobis condidit (animam scilicet ad similitudinem suã creatam) incontaminatam habere. *Et audientes mirati sunt* non sibi esse responsum, sicuti expectauerant. Ex hoc loco Augustinus ostendit Cresconium stultè sibi pro crimine obiecisse dialecticum, & disputandi artem. *Et relicto illo abierunt:* siquidem diuersi mores vnitatem non habent. *Lib. 1. cont. Cresconiũ ca. 17. & sequent.*

In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt nõ esse resurrectionem, id est, nunquam futuram. *Et interrogauerunt eum dicentes. Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium &c.* Hanc subijciunt quæstionem, vt per eam, errorem suum stabilire queant. *In resurrectione ergo cuius erit de septem,* inconueniens enim est, vt mulier vna, septem simul maritos habeat, quod tamen videtur futurum in resurrectione, quia æquale ius omnes septem in illam habent. Vnde non rectè Lex à Moyse lata videtur. Refert Iosephus Sadducæos etiam negasse Deum actuum humanorum prouidentiam habere: scripta itẽ prophetarum non recepisse, sed tantùm Pentateuchũ. fatebantur quidem resurrectionem mortuorum, sed eam per liberorum procreationem in successis sione ponebant, quemadmodum Ambrosius, & Oecumenius testantur, in illud, dicentes resurrectionem iam factam. Idem dogma tribuit Philaster Samaritanis. Contra horum Sadducæorum errores, directè scriptus videtur secundus liber Machabæorum: vnde & eius Author vbicunq; potest, immortalitatis animę resurrectionis mortuorum diei iudicij angelorum, spiritussancti mentionẽ facit, ac sæpe Deum omnia inspicientem vocat. *Lib. 2. belli Iudaici.* *2. Tim. 2.* *2. Mach. 6. 7. 14. & 15 3. 9. 11. 10.*

Con-

2. Tim. 2. Cõtra hos, vt testatur Hiero. scribit Paulus 15. cap. 1. ad Corinth. Ex horũ secta erant Hymenæus, & Act. 5. Philêtus, de quibus Paul. quæ plurimũ post Christi mortẽ inualuit, rebus Iudaicis ad finẽ vergẽtibus, vsq; adeo vt Sadducæi, populi regimẽ occuparẽt. *Respondens autẽ Iesus ait illis: Erratis nesciẽtes scripturas, neq; uirtutẽ Dei.* Habet Marc. Nonne ideo erratis, quia non intelligitis scripturas, quibus resurrectio mortuorũ astruitur, cæteraq; vera erroribus vestris contraria dogmata? ex ignorantia enim scripturarũ de omnipotẽtia Dei infidelitas oritur. Cuius cõsideratio, etiãsi nullæ sacræ scripturæ extarẽt vos ab errore reuocare deberet. Hinc etiã hodie in his quæ ad religionẽ spectãt oritur oĩs error, vel quia nõ intelligũtur sacræ scripturæ, vel quia nõ putatur plura Deus posse, quã capit, aut naturaliter intelligit ingeniũ humanũ. *In resurrectione enim neq; nubẽt, neq; nubẽtur.* Vos futurã resurrectionẽ ad vitã carnalẽ existimatis, atq; proinde resurrectionis dogma scripturis Moysi aduersari dicitis: cæterũ resurrectio futura sine omni carnalitate, nulla prolium successione egens, merè spiritalis, & angelica futura est. Ex hoc argumẽtatur Orig. Si post resurrectionẽ vxores ducẽdæ nõ sint, ergo nõ habebũt hoĩes genitalia, & per cõsequẽs, neq; cætera mẽbra atq; ita carnis resurrectionẽ tollit, quasi nullus in futura vita mẽbrorũ vsus nisi carnalis esse queat, cũ tamẽ in hac vita sexus per gratiã Dei viuat sine operibus sexus. Imò ex hoc loco potius sequitur, in resurrectione hoĩes in diuerso sexu resurrecturos, & oĩa mẽbra citra matrimonialẽ cõiunctionẽ habituros. Quoniã de his qui nuptijs per naturam vti nõ valent, sicuti de angelis, vel lapidibus, ne- Lib. 22. de ciuit. Dei cap. 17. mo sapiens dicit quod nõ nubẽt, cũ hoc luce meridiana clarius sit. Cõsulatur Hiero. epist. con. errores Hierosolymitani & Epipha. in hęresi Origenis, & Au-

& Auguſt. Certè ſi ſexus fœmineus ibi futurus nõ eſſet, facilè Saluator reſpõdere poterat, non erit ibi fœmina, neq; ſexus. *Sed ſicut angeli Dei in cœlo erunt.* Iſtud facit contra illud dogma Origenis, quo docebat ex animabus hominum fieri angelos, nõ aduertens quod Saluator angelicã ſimilitudinẽ, non naturã promittat. Pro quo Hieronym. & Epiphanius locis prædictis cõſulendi ſunt. Habet Lucas: AEquales enim erunt angelis Dei, per quod ſignificatur æqualis fœlicitas, & vitę ſpiritalitas. Ex quo tanquam fidei dogma colligit Auguſt. quod nullus ſanctorum angelorum de ſuprema fœlicitate ſit caſurus. Refutat etiam ſaluator hoc loco alterum eorum errorem, quo angelos eſſe negabant. *Lib. 11. de ciuita. Dei cap. 13. De correp. & gra. ca. 10.*

De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis, quod dictum a Deo eſt, dicente uobis. Ego ſum Deus Abrahã, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Iſtud in Pentateucho Moyſi, quem vos ſolũ recipitis clariſsimè habetis. Alioqui clariora ex Prophetis teſtimonia adduci poterant, vt ex Dan. cap. 12. *Non eſt Deus mortuorum, ſed uiuentium.* Non dedignatur Deus pater earum rerũ quæ penitus interierunt Deus vocari, ſed tantummodo illarũ quæ adhuc ſubſiſtunt, ſi igitur animæ Abrahã, Iſaac, & Iacob, cũ corporibus ſuis (vt dicitis) interijſſent, nunquã illorum diceret ſe eſſe Deũ. Dicitur autẽ peculiariter Deus Abrahã, Iſaac, & Iacob, quoniam hi ſingulari in Deum fide vniuerſo mundo ad idolatriam declinante, emicuerunt, & quia ſingulares Dei promiſsiones de Chriſto, & patria cœleſti ante cæteros illis factæ ſunt, vt ſcribit etiã Apoſtolus. Auguſtinus aliam myſticam aſſignat rationem, quod videlicet ex ſemine iſtorum propagatum eſt omne genus humanum. De ancillis & liberis. *Heb. 11. Tracta. 11. ſuper Ioan.*

Vt ipſi quidem gerant Dei perſonam, ancillę autem & liberę matres, baptizantiũ, filij baptizatorũ.

Act.3. Sicut ergo verus baptismus cōfertur malis per malos & bonos: & malis per malos & bonos: ita ex sancto Abrahā natus est ex Sara libera bonus Isaac, ex Agar ancilla malus Ismahel. Ex sancto Isaac sanctaq; Rebecca, malus Esau & bonus Iacob. Ex sancto deinde Iacob boni etiam ex ancillis. Quæ autem persona hoc dixerit. Ego sum Deus Abraham &c. dubitat Augustinus: verum tamen cuilibet personæ tribui potest: vnde Petrus patri tribuit. Atque magis conueniens est quod vna persona, quàm tota trinitas loqui intelligatur.

Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina eius, quia tanta cum authoritate ostendebat quamobrē Sadducei in errores suos incidissent, & qualis esset post resurrectionem sanctorum vita futura: denique quia breuiter eorum fundamentum, quæstioni illudens, prorsus euerterat.

Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, quos ex scripturis erroris conuicerat, *conuenerunt in unum, & interrogauit eū unus ex eis legis doctor* id est scriba, & legisperitus, *tentans eum* fallere cupiens, sperans quod aliquid legi contrarium responsurus esset vel legem Moysi non magni faciendo, vel corrigere eam prę sumendo. Sic Teophylactus. Vnde dicere, oportet hunc scribam Domini responsione fuisse correctū, quoniam Marcus ait Dominum ei dixisse: Non es procul à regno Dei. Augustinus aliter, vt ipsam tentationem non accipiamus malam, tanquam decipere volentis inimicū? sed cautam potius, tanquā experiri amplius volentis ignotum. Vt autem melius intelligi possit cur hic scriba Dominum tentauerit, expendendum est quod in euangelio Marci dominicam approbans responsionem, dicat dilectionem Dei, & proximi, cunctis holocaustis, & sacrificijs præferendam: ex quo ostēditur inquit Beda, grauem sæpe inter scribas

Marc. 12. *Lib. 2. de consensu euange. c. 73* *super Mar.*

bas

bas & Pharisæos quæstionem esse versatam, quodnam esset primum mandatum diuinæ legis: quidā enim hostias, & sacrificia, atq; sabbati obseruationē omnibus præferebant, alij verò dilectionis opera, quod plurimi patrum ante legem ex fide tantùm, quæ per dilectionē operatur, Deo placuissent. Istud sentiebat hic scriba, & experiri cupiebat vtrū Christus idē sentiret. Ex his, & quia Lucas quosdā Scribarum, Domini responsionem Sadducæis factā laudasse dicit, apparet Pharisæorum conuenticulum cuius meminit Matthæus, contra Dominum non fuisse factum: quin potius vt quæstionis resolutionem audirent. Porrò Augustinus probabilius putat eundem non esse legisperitum, cuius in Luca fit mentio, quia alio ordine recensetur, & malus fuisse dicitur. Potest tamen non idem intelligi fuisse, ita videlicet, vt scriba interrogauerit, Quod est illud mandatum quod maximè facit ad assequendā vitam æternam, & Christus illi responderit, nonne scriptum est in lege, diliges Dominum Deum tuū: hoc mihi videtur inter mandata maximum. Magna inter Scribas erat cōtrouersia, quisnam proximus dicendus esset, vnde saluti suæ consulens merito hoc interrogauit: quidam enim Pharisæi docebant licitum esse odio prosequi inimicum (vt patet quia in hoc Dominus eos reprehendit) *Diliges Dominū Deū tuū ex toto corde tuo, et in tota animata tua, et in tota mente tua.* In quatuor scripturæ locis istud mādatum eodem sensu, verbis tamen discrepantibus habemus. Per Cor, voluntas, per mentem intellectus intelligitur vt ex Marco patet, Per animam vero vita, vel appetitus sensitiuus, & per fortudinē (quæ in Deutero. ponitur) exequutiua potentia. Subinde ex his vnicum nempe (ex toto corde) ponitur, vt hic: Confiteor tibi Domine in toto corde meo: interdum duo, interdum tria, interdum etiā qua-

Cap. 10.

Deut. 6.

De præcepti huius intelligentia, & in hac uita quatenus impleatur habes cap. ult. explicationis in Decalogū eiusdem authoris.

Psal. 9.

quatuor explicationis gratia. *Hoc est maximum, & primum mandatum*, quia charitatem Dei præcipit, quæ virtutum maxima, & dignissima est, ad quam cętera præcepta ordinantur. Aliter etiam maximum dicitur, quia cætera mandata tanquam maximè generale comprehendit: qui enim diligit Deum, omnia mandata eius obseruat, qui autem in aliquo delinquit, istud non complet. *Secundum autem simile est huic*, quia etiam dilectionem præscribit. Secundum autem vocat, quia post dei dilectionem, proximi dilectio maxima est, dilectio enim sui ad quam homo naturaliter fertur, non habet speciale mandatum, & omnia quæ de proximo præcepta sunt ad eius dilectionem referuntur. *Diliges proximum tuum*. Propinqui nomine quilibet homo intelligendus est, quia natura, & capacitate æternæ gloriæ nobis est socius, vt ait Aug. Vnde & angeli sancti, quia socij nostri in æterna gloria erunt, proximi dicendi sunt, quin etiã Christus secũdũ humanã naturã. malè ergo Origenes inimicũ exclusit. *Sicut teipsum* rectè scilicet, & ordinatè diligis, vel diligere debes teste Augustin. Multi enim peruersè se diligũt. In hoc quod dicit (sicut teipsum) vult dilectionem sui præcedere dilectionem proximi, exemplar enim id præcedit, quod ad illud formatur, vnde ex hoc præcepto Aug. ordinẽ esse ponendum docet. Quare audiendi non sunt, qui in annotationibus suis, vt Erasmus, & alij, hunc ordinẽ peruertunt, nã scriptũ est. Miserere animæ tuæ placens Deo. Charitas autem primò omnium à Deo incipit. Secundò à seipso. Tertiò ad proximum dirigitur. *In his duobus mãdatis vniuersa lex pendet, & prophetæ*. Dicit Augustin. Dominus in duobus præceptis dixit legem & prophetas pendêre, vt intelligeremus quicquid aliud diuinitus præceptũ est, in his duobus finem habere, & ad hæc duo esse referendũ. Aliam interpreta-tio-

Aug. penul. ca. Ench.

Lib. 1. de doctri. christ. ca. 23. 29. 31

Hom. 2. in Cant.

Lib. 1. de doctri. christ. c. 22. & 25.

Ench. 76

Eccles. 30

Lib. de perfect. iustitiæ cap. 30.

tionem habet lib. de doctrina Christiana,& in Enchiridio: Quare autem scriptura frequentius dicat in dilectione proximi legem,& prophetas pendêre supra abundè dictum est. Lib. 1. c. 35. & 36. & in Enche. penult. cap. 7.

Congregatis autem Pharisæis, qui scribæ, vel inter quos scribæ, id est, doctores legis erant, vt ex Marco patet, *Interrogauit eos Iesus,* non vt disceret, sed vt totum populum Iudaicum doceret incarnationis suæ mysterium, ex cuius ignorantia vsqueadeo scandalizati sunt, vt eum tandem crucifigerêt: etenim purum hominem Christum existimârunt, atque ideo dum se æqualem patri diceret, tanquam blasphemum persequuti sunt,& crucifixerunt. Vt igitur Christus hoc scandalum amoueret, ex pluribus scripturis vnam proponit, ex qua discere possent eum esse Deum. *Quid uobis uidetur de Christo?* id est, de Messia in lege,& prophetis promisso, quê quotidie expectatis? *Cuius filius est?* ex cuius posteritate nasci debet. Quidam Neoterici sic accipiunt (est) vt sensus sit, ex qua tribu natus est? quasi dicat, iam enim natus est, sed non sic intelligendũ videtur, quoniã Pharisæi dicunt ei (Dauid) non enim eum iam natũ ex Dauid dicere volebant, sed quod nasciturus esset, quod ex libris regũ, Ieremia, Esaia & Psalmis didicerant. *Ait illis,* ita tamen vt Pharisæis loquendo, sermonem suum ad vniuersum populum dirigeret, quem à scribarum doctrina retrahere cupiebat, vt ait Augustinus. *Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum Dominum?* id est per spiritũ sanctũ, nõ aliquo errore seductus: Cõcessum est enim apud vniuersos Iudæos, quod Dauid ex spiritu Domini Psalmos cõposuerit. *Dicens, Dixit Dominus,* scilicet pater, *Domino meo.* i. Messiæ, seu Christo. *Sede a dextris meis.* Esto mecũ rex & gubernator oĩm in pari mecum gloria, fœlicitate ac potestate. Sessuri sunt ad patris dexteram etiã omnes sancti, sed lõge infe-

Ioã. 8 et 10
Ioan. 5.
Matth. 26.
Ioan. 19
2 Reg. 7
Ierem 23.
Esa. 11.
Lib. 2. de cõsen euang. ca. 74.

inferiori honore,gloria,ac beatitudine & potentia. *Donec ponam inimicos tuos*, id eſt, Donec omnes tui nominis hoſtes & cōtemptores, Paganos, Iudæos, malos Chriſtianos, perfectè tibi ſubijciam: vt te non iam contemnant, ſed adorent aut humiles & lubentes per gratiam, aut per pœnas & tormenta gehennæ coacti & inuiti. *Si ergo Dauid uocat eũ Dominum*, quem ſingulariter colebat, & per quem re-
Luc. I. dimi expectabat, *quomodo filius eius eſt?* hoc eſt, quomodo cũ eo cōſtat, quod Chriſtus multos poſt annos nepos eius futurus eſt, & ex eius ſtirpe naſciturus? Non negat Chriſtus hic ſe filium Dauid, ſed modum quo id fiat quærit, ſicuti Maria quãdo dixit: Quomodo fiet iſtud? verba Angeli vera nõ negauit ſed modum quo id fieret exquiſiuit.
Et nemo poterat ei reſpõdere uerbum quia neſciebãt Chriſtum ſimul eſſe Deum, & hominem *Neq; fuit auſus quiſquam ex illa die eum amplius interrogare*, quia quæſtionem eius non poterant ſoluere, & quicquid ad fallendũ machinati fuerant eis non ſuccedebat, ſed in omnibus gloria Chriſti augebatur. Quemadmodũ & hodie Eccleſiæ perſequutores eam maximè illuſtrant. Auguſtinus: miſeri (inquit) Iudæi dicerent,
Pſal. 109 Tu dic nobis, ſed maluerunt inflata taciturnitate diſrumpi, quàm humili confeſsione edoceri. Iudæi hodierni huic quæſtioni reſpondere conãtur, dicentes, hic loqui Damaſcum Eleazarum, qui erat vernaculus Abrahæ, hoc pacto, dixit Dominus pater Domino meo, id eſt, Abrahæ, Sede à dextris meis, id eſt, ſis ſecurus. Vel dixit, ſcilicet mihi (vt ipſe Dauid intelligatur loqui) Domino meo, id eſt, pro Domino, hoc eſt, pro Saule, regna tu Dauid. Cæterùm conſtat Chriſtum eſſe filium Dauid ſecundùm humanam naturam, quam ex Maria ſumpſit, quæ fuit de progenie Dauid, Dominũ verò Dauid, ſecũdum id quod natus ex patre ſemper
per

per fuit, id est, secundum diuinitatem. Sic Hieronymus. Secundum humanam tamen naturâm etiã Dominus eius fuit, vt Augustin. ex Apostolo docet, non quasi ratione humanæ naturæ Dauidi dominetur, sed quia humana natura in vna persona diuinitati est coniuncta. Vide August. contra sermonem Arrianorum. *In commẽt. psal. 109. Cap. 2. ad Philip. Cap. 11.*

IN CAP. VIGESIMVMTERTIVM. Matthæi.

Tunc quando nimium elati, vtilissimæ quæstionis solutionem quærere sunt dedignati, *Iesus locutus est* clara, & aperta voce, vt omnes audire possent. *Super cathedram Moysi*, in authoritate docendi, & honore magisterij, *sederunt scribæ & pharisæi.* Vel super cathedram, vnde scilicet Lex Moysi docebatur: vbi causa, pro effectu sit posita. *Omnia*, quoniam in docendo, & prædicando legem, Moysi successerunt, *quæcunque dixerint uobis* seruanda ex lege Moysi, *seruate & facite*, opere complete. Non omnia in vniuersum quæ Moyses præcepit vult obseruari, multa enim abrogata sunt, sed ea duntaxat, quæ iam adhuc in vsu sunt: *secundum uero opera eorum nolite facere*, id est, malè vitam instituere. Magnam Dominus defert veteris testamenti impijs sacerdotibus reuerentiam, propter ministerium quod exercent: vnde hortatur vt populus eis subijciatur, & doctrinam eorum recipiat, etiamsi opera eorum pessima sint. *Alligant autem onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Reprehendit Dominus modum eorum docendi pessimum, quo docebant sufficere ad mandatorum Dei obseruationem legis cognitionem, vnde rectè à Domino audiunt. *Digito autem suo nolunt ea mouere*, ne in minimis quidem perfice-

re: sine enim gratia Iesu Christi mandata seruari non possunt, cùm scriptum sit: Iustus ex fide viuit.
Act. 15. Quod pulchrè declarat Petrus, eos qui credêtes ex gentibus circuncidi docebant, increpando dicens: Et nunc quid tentatis Deum, vt imponatis iugum super ceruices discipulorum, quod neq; nos, neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiā Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quēadmodū & illi. Idē declarat Aug. ad Optatū scribēs:
Epist. 157. Hęc mandata sine gratia Christi importabilia omninò sunt, & leuia fiunt homini ad Christum confugienti, & dicenti: doce me seruare mandata tua, quia Deus meus es tu. *Omnia vero opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus.* Reprehendit in eis inanis gloriæ appetitum, & ambitionem quæ etiam hodie in
In hunc locum. Clero fouetur: vnde Chryso. Tolle hoc vitium de Clero, & sine labore reliqua resecabis, *Dilatant enim phylacteria sua* Phylacteriū significat custodiā, vnde Hiero. putat apud Iudæos fuisse mēbranā quandā, in qua scriptus erat Decalogus, quā in fronte quasi coronā ligabant, vt mandata Dei semper ante oculos eorū mouerētur: sic enim sibi mandatū esse intelligebant, quod eis dictū erat: mouebuntur inter oculos tuos &c. Reprehendit ergo Saluator quod ista phylacteria præ cæteris Pharisæi haberent latiora, vt tātò sanctiores viderētur. *Et magnificant fimbrias.*
Cap. 15. De fimbrijs in Num. legimus, vbi mādat eas constitui Dn̄s in quatuor angulis palliorū, hoc est, in duabus manicis circa collum, & inferiori parte. Has ergo gerebant ex mandato Dei, oēs Iudæi, etiā
Matth. 9 ipse Christus, nam mulier fluxu sanguinis iamdiu laborans, de Christo dixit. Si tetigero tantū fimbriā vestimenti eius, salua ero. Pharisæi has similiter cæteris maiores gestabāt, vt tantò meliores viderentur. Mandatur etiā vt in fimbrijs istis vittas hyacynthinas, siue funiculos cęrulei coloris, ponāt

vt illis visis, omnium mandatorum Dei recordarentur. Hæ vittæ videtur dici phylacteria, quia per eas mandatorum Domini conseruabatur memoria: Cærulæi autem coloris erant, vt de cœlestibus mandatis admonerentur: vnde dicitur, funiculos facies in fimbrijs tuis. *Amant autem primos recubitus in cœnis*, conuiuijs ex ambitione, *& primas cathedras in* Deut. 22.
synagogis, in quas legem docturi ingrediebantur. Et vbi maximè requirebatur humilitas, suprà modũ regnabat ambitionis, & gloriæ vanitas, *& salutationes in foro*, loco publico; vbi à multis conspici possent. *Et uocari ab hominibus Rabbi*, id est, magister. Chryso. supplet (& non esse) ita vt nomẽ appetãt, & officium negligant. Notat Beda super Marcũ, salu- Homeli. 43.
tari in foro, & primo sedere loco, Dominum mi- in opere imnimè vetare, quibus officij ordine hoc competit, perfecto.
sed vetat inordinatum & indebitum eorum affe- 1. Tim 1.
ctum & appetitum, ita vt animum redarguat, non gradum. Quam sit periculosus prælatorum status, habet liber Sapient. Quoniam iudicium du- Sap. 5.
rissimum in his qui præsunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur. Nemo primatum Ecclesiæ appetit, inquit Chrysostomus, nisi qui non timet iudicium diuinum, quia aliàs esset pro se solo anxius. Quatenus autem primatum appetere liceat habes apud Augustinum cap. 19. de ciuitate Dei, & apud Diuum Thomam in secun- Quest. 185.
da secundæ. Quàm verò difficilè sit, sic præesse art. 1.
alijs, vt non se misceat ambitio vel cupiditas, honor & primatus, aut proprium commodum, declarat August. epist. ad Aurelium Episcopum, & Epist. 64.
lib. 10. Confess. cap. 36. & sequent.

Vnus est hic magister uester, qui principaliter omnẽ scientiam docet, & cui ob magisteriũ honor debetur, & ad superiorẽ nõ refertur. De magisterio Christi scripsit Augustinus librũ, ad ostendendũ solum

Deum esse magistrum, nam docere alium, est facere in eo scientiam, is autē qui exhibet sensibus corporis, vel menti nostræ ipsas res, dicitur docere, homo autem tantùm quædam signa rerum auribus insonat: nam si quis mirabilia de sole proponat, & differat, nunquam plena eius notitia in particulari habebitur, nisi prius Deus illum oculis conspiciēdum exhibeat. At si solem facere posset tunc docere diceretur, teste Augustino libro citato. *Omnes autem uos fratres estis.* Nullus vestrum ita magister est, vt magisterium eius aliò non sit referendū, sed omnes fratres estis ex vno patre Adam orti: Vel hoc modo, Omnes vos, scilicet Christiani discipuli, fratres estis ex vno patre Deo, qui solus omnium renatorum magister est: *& patrem nolite uocare super terram* principalem scilicet. Prohibet Dominus honorare patrem, & matrem supra Deū. Infra enim verò honorare præcipit. Porrò Pharisæi ex inani gloria patres Iudaici vocari volebant, quorum superbiam hoc loco reprimit: videturq; magis ad spiritualem paternitatem, quam ad carnalem respicere, siquidem Pharisæi non patres carnales, sed spiritales vocari cupiebant. Aliter Augustinus: In testamento (inquit) nouo per sanguinem mediatoris deleto paterno chyrographo, incipit homo paternis debitis non esse obnoxius renascendo quibus nascendo fuerat obligatus, ipso mediatore dicente, ne vobis patrem dicatis in terra, secundū hoc vtique, quod alios natales, quibus non patri succederemus, sed cum patre semper viueremus. inuenimus. *Nec uocemini magistri.* Istud secundum glossam non differt ab illo, nolite vocari Rabbi. Quia enim apparebat quis omnium esset pater, vult ostendere quis omnium esset magister, vnde præceptum de magistro repetit. Aliter Erasmus, per Rabbi significari putat doctorem, per magistrū

Lib. 6. cōt. Iulian. c. 12

verò

verò,moderatorem,ac vitæ gubernatorem, qualis est in domo sua paterfamilias. Prohibet honoris & eminentiæ ambitionem,deinde vt summus ille honor, qui summo debetur nulli tribuatur sicuti priùs nulli tribui voluit nomen patris.

Væ autem uobis scribæ & pharisæi. Vobis simulatoribus sanctitatis, æterna damnatio, & maledictio imminet,*quia clauditis regnũ cœlorũ ante homines.* Non solum vos ipsos à regno cœlorum impeditis, verumetiam quantùm in vobis est, cæteros retinetis. Similes sunt Sathanæ salutem nobis inuidenti: quales & hodie(proh dolor)multi adhuc reperiuntur. Quanquam plurimis modis potest quis alium ab ingressu regni cœlorum impedire. Varia est huius scripturæ interpretatio. Quidam enim hos mala, & scandalosa vita impediuisse intelligunt,vnde Hieronymus in Commentarijs: Omnis (inquit) magister qui scandalizat suos discipulos mala sua vita, claudit ante eos regnum cœlorum. Alij verò ideo, quia verum intellectum legis,& prophetarum per quem homines ad notitiã Christi peruenire poterant,auferebant. Et videtur Christus sic intellexisse quia isti Scribæ, & Pharisæi scripturas per quas credere Christo poterant, peruertebant. Atque istud videtur idem esse cum eo quod dicit Lucas: Væ vobis legisperitis, quia tulistis,id est,abstulistis clauem scientiæ,id est,intellectum scripturæ sacræ, per quem nosci poterat Christus.Sic Hieronymus Scribas,à populo viam salutis abscondisse intelligit,& Augustinus clauem scientiæ,dicit esse scripturam,quæ loquitur de humilitate Christi,quam nec ipsi Scribæ intelligere, nec ab alijs intelligi volebant, per cuius tamen intellectum potuissent intrare in thesaurum, qui est fides in Christum, sed abstulerunt illam scripturã legis,& prophetarum, eam peruertendo, & malè do-

Cap.11. *In cõment.* *Lib.2.quæ. euan.q.23*

docendo. Benè intelligebant, & cōcedebant Christum esse hominem, imò purum tātùm hominem eum dicebant, sed intelligere nolebant eum tā humili aduentu venturum, quia putabant Christum in magna potentia, & gloria venturum: vnde quia humili aduentu venit, eum esse Christum non crediderunt. Quomodo autem ex scripturis veteris testamenti quis ad notitiam fidei adducatur, declarāt Augustinus lib. 12. & 13. contra Faust.

Vę uobis scribę, & pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos uiduarum. Notat gulam eorum qui satisfaciebāt venando nummos, simulatione sanctitatis. Vos (inquit) abliguritis integras familias viduarum, illas planè ad inopiam redigētes. Hypocritæ auari maximè solent cum viduis cōuersari, quia illę incautę sunt, atq; facilè decipiuntur. Vult ergo saluator dicere: Viduis oportebat magis subuenire cùm sint auxilio coniugis destinatæ, qui eas, & proles defendat, vos autem non solùm nō protegitis, sed eas exhauritis, quare grauissimè delinquitis. *Orationes longas orantes.* Clarius Lucas, longam orationē simulantes: in veritate enim non diu orabant, sed se orare simulabant: *Propter hoc, amplius accipietis iudicium,* id est, maiorem condemnationem. Vtrum autem si Pharisæorum aliquis fuisset ad Christum conuersus, obligatus fuisset ad restitutionem, tractat Adrianus, sed non satis plenè, nam inter Pharisæos distinguendum est: vel enim pastores, & sacerdotes publici erant, vel priuati. Si publici ad restitutionem tenebantur, quia tanquam sibi debitū accipiebant: siquidem pastori bene pascenti datur victus, & amictus honestus, tanquam iure naturali debitus. Sin autem priuati, tanquam eleemosynā accipiebant, vnde ad restitutionem non tenebantur. Nam tametsi donatores sperarent eos oraturos, non poterant tamē eos ad hoc obligare & iure exige-

In 4. sent.

exigere. Neq; enĩ ſpiritualia, precio cõpari poſſunt.
Væ uobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eũ filiũ gehẽnæ duplo quã uos. Significat maximam Phariſæorũ in cõuertendis hominibus ad Iudaiſmũ diligentiã, ita vt totũ orbẽ huius rei gratia luſtrarent, cũ tamẽ ipſi potius obeſſent eis, quos cõuertebant. Notat ergo tantũ in eis nõ ſalutis gẽtiliũ, ſed inanis, & vanæ gloriæ fuiſſe ſtudium. Hoc autẽ ſtudiũ conuertendi gentiles, videtur primùm à ſanctis exortũ, poſteà verò à Phariſæis cõtinuatũ: vel propter auaritiã, vel propter inanẽ gloriam. Quæritur quomodo iſti Iudæi inter gẽtiles tuti eſſe potuerint, cũ diuerſum ab eis ritũ profiterentur? etenim illi vnũ Deũ colebãt, quẽ Deũ cœli vocabãt, hi verò plures deos. Putârunt quoq; gentiles, quòd Iudęi ſolẽ, & lunã, & nubes adorarent, quòd Deũ cœli colerent (vt refert Iuuenalis in Satyris) Hoc autẽ ſtudium maximè inter Pharięos viguit, poſtquã Iudæi à Pompeio diſperſi fuerunt per imperiũ Romanum, tunc enim totũ orbẽ peragrarũt: nam vbiq; ſuę religionis quoſdã inueniebant, apud quos leges ſuas ſeruare poterant: vnde ſæpe deſcribitur Paulus inueniſſe ſynagogas Iudæorũ apud Gentiles. In hoc quod dicit (vnũ proſelytũ) innuit eos parùm fuiſſe efficaces in conuerſione multorũ quando pro vno, tantum ſubibant laborem. Proſelyti, aduenæ vocabantur apud Iudæos, quia non erant ex genere Iſraël, eandem tamen cum Iudæis religionem ſeruabant, & profitebantur. Hos autem praua ſua doctrina, & exemplis peiores faciebant, quia ad priſtinã religionẽ redibãt. i. ad Gentiliſmũ: vnde eos in malitia ſuperabant, quia (ſicut ait Chryſoſtomus) cum virtuoſus fuerit magiſter diſcipulus adhuc ſatis difficulter imitatur eum: ſi autem malus, diſcipulus duplo peior erit. Aliam

Lib.16.cō. aſsignat Auguſtinus huius rationem, dicens, quia
Fauſt.c.19 hoc diſcipuli iſti ſiue proſelyti negligebant implere,quod propria voluntate ſuſceperant,non ex Iudæis nati,ſed ſponte Iudæi facti. Hinc patet quantum quis peccet non implendo, quod ſponte vouit,vel ſuſcipere voluit. Hieronymus intelligit il-
In comēt. lum eſſe ſemel filium gehennæ, qui ex ignorantia peccat,qui verò ſciēter,dupliciter.Ideo autē magis dupliciter peccabat proſelytus,quia vita Phariſęorum offenſus ad gentilitatem reuertebatur, ad quā Phariſæi nondum acceſſerant. Hilarius iſtud verbum Domini,Circuitis &c. intelligit eſſe propheticum, vt prænunciet quod toto orbe terrarū Iudæi eſſent obtrectaturi euangelio Chriſti, & aliquos, ad ſuam perfidiam pertracturi, paucos tamen:vnde in vno eorum raritas iudicatur,Hic autem pœnæ duplicatæ, ſeu dupliciter gehennæ dicitur filius,quia neque remiſsionem gentiliū peccatorum,id eſt,quæ in gentilitate commiſit,poteſt conſequi apud Iudæos, qui potiùs eorum peccatis qui Chriſtum cruci confixerunt,implicatur.

Væ uobis duces cæci, doctores multis vitijs, & erroribus obtenebrati,*qui dicitis quicunq; iurauerit per tēplum.nihil eſt,* id eſt,non tenetur ſuo iuramento qui iurat per templum. Vel ſic,qui peierauerit per tēplum non erit reus periurij,*qui autem iurauerit in auro templi,* id eſt,per aurum quod in templo offertur, vel templi parietibus eſt affixum, aut quo miniſtratur in templo,vt ſunt vaſcula,&c. *Debitor eſt,* id eſt,iuramento obligatur,aut ſi peierauerit reus erit periurij. Volebant Phariſęi,iuramentum quod per creaturas fiebat,nullius eſſe momenti: exiſtiman-
Leuit.19 tes illud,Non peierabis in nomine meo, nec polIues nomen Dei tui,tantùm iuramentum per Deū factum interdicere. Excipiebant autem quaſdam creaturas auaritiæ ſuæ ſeruientes, per quas ſi quis

iura-

iuraſſet, iuramento teneri docebant, quoniam eas cupiebant vulgo facere commendabiles, vt ſæpius illas offerrent. Vel conſiderantes id quod ſcriptũ eſt, iuxta menſuram, & æſtimationem delicti, debere vnumquemque offerre: vnde quando aliquis aliquid Domino vouerat, & hoc permutabat, vtrumque debebat offerri & id quod vouerat & illud quod mutauerat, vnde peierantem per aliquod oblationi idoneum docebant non poſſe liberari à reatu peiurij, niſi offerret id per quod peierauerat. Quorum ſententiam ita Chriſtus redarguit, vt doceat per nullam creaturam eſſe peierandum, quod omne tale iuramentum ſit per Deum, in qualibet creatura relucētē, & quālibet creaturā gubernātē. In eo ſtultitiā eorũ coarguit quod digniorē creaturā indigniori poſtponebāt, dicēs: *quod enim maius eſt aurũ, an templũ, quod ſanctificat aurũ?* Quaſi dicat, Templum longè dignius eſt auro, templum enim ſanctum eſt, etiamſi nullum aurum in templo ſit, propter inhabitantem Deum: aurum verò priuſquam in templum inferatur non eſt ſanctum, ſed in prophanos vſus conuerti poteſt: ſanctificatur autem per templum. Igitur ſi iuramentum per minus, nempe aurum, obligare docetis, nōne ſtultum eſt docere iuramentũ per templum nihil eſſe? Et dicitis, *quicunq; iurauerit in altari nihil eſt: quicunque autem iurauerit in dono, quod eſt ſuper illud,* id eſt, per donum, ſacrificium, vitulum, arietem vel ſimilā &c. Quæ tunc offerebantur *debet. ſtulti & cæci, quid enim maius eſt, donum, an altare quod ſanctificat donum?* Altare ſanctificat donum, quia poterant dona ad prophanos vſus applicari antequàm attingebant altare, in altari autem dicabantur Deo, vnde ab altari ſanctificationem accipiebant. Iuramentum autem nō fit per altare ſecundùm ſe, ſiquidem atteſtari nequit: at fit per Deum, cuius veritas in altari relucet, & qui

Leu. 5. et 6

Leuit. ult.

qui in altari colitur. Relucet autem veritas in altari, non solùm quia est idoneus cultui diuino locus, sed maximè quando in illo colitur Deus per sacrificia. Qui iurat ergo per altare, iurat etiã per donum: si igitur iuramentum per dona(iuxta vestram doctrinam) hominem obligat, etiam iuramentum per altare hominem obligabit. Quod autem Christus dicit de templo, & cœlo, etiam de omni alia creatura sentiendũ est: ita vt per quãcunque creaturam iurans, per Deum iuret, vt docet Augustinus lib.1.de sermone Domini in monte cap.31.

Vae uobis scribae, & Pharisaei hypocritae: quia decimatis mentham, & anethum & cyminum. Hieronymus accipipit(decimare)pro decimas exigere. Augustinus verò pro decimas dare, cui fauere videtur Lucas capite vndecimo, in eundem sensum decimatio-

Enchi.c.76 & ser.3.de uerb. Dom. nem accipiens. Date, inquit, eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis: sed væ vobis Pharisæis qui decimatis mentham &c. vnde apparet has decimas fuisse Pharisæorum eleemosynas, vt ibidem habet August. De quibus & vnus eorum

Luc.18. apud eundem Euangelistam se commendans, decimas, inquit, do omnium quæ possideo. Quanquàm enim multi Scribarum essent etiam Leuitæ accipientes à populo decimas, debebant nihilominùs decimarum suarum decimas sacerdotibus dare.

Num.18. Cæterùm quod Augustinus loco suprà citato decimas appellat eleemosynas, non ita est ac-

Enchi.76. cipiendum, quasi decimæ in veteri testamento debitæ, omnes eleemosynæ fuerint, sed quia quædam huiusmodi essent. Ad cuius rei intelligentiam, tenendum est, triplicis generis decimas Iudæos dedisse. Erant enim quædam earum quæ cædebant in vsum & sustentatio-

nem

nem Leuitarum de quibus habes Numero. decimo octauo & Leuitici vltimo: atque hæ erant ex iustitia debitæ. Secundi ordinis decimæ ad locum tabernaculi erant deferendæ, & ex ijs sacrificia offerebantur. Ex his epulabatur qui decimas offerebat, ex ijsdem, & Leuitis partem, & pauperibus eleemosynas dare debebat. Habes de his Deuteronom. 12. & 14. Tertiæ decimæ non colligebãtur annis singulis, quemadmodum priores, sed tertio duntaxat anno. Atque ex his habebant Leuitæ partem, & pauperibus etiam eleemosyna dabatur. Nec in alios vsus poterant à Domino & possessore conuerti: vt videre est Deuter. 14. & 26. Vnde Augustinus lib. quæstio. in 14. cap. Deuteron.

Et reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam, & fidem, id est, Legis minutias valde scrupulosè obseruatis, sed grauiora præcepta, & quæ maioris sunt momenti negligitis: vt iudicium, falsam sæpenumerò in iudicialibus causis ferentes sententiam, aut iudices ipsos corrumpentes: misericordiam, erga pauperes: & fidem, in Deum. August. tractans in Enchiridio similem huic apud Lucam locum, vbi sic legitur, Et præteritis iudicium & charitatem Dei, per *iudicium* condemnationem intelligit qua nos Deus ob peccata est condemnaturus. per charitatem, misericordiam Dei qua filium suũ pro nobis tradidit. Sed quia subijcit Saluator, hæc oportuit facere magis placet prior interpretatio iudicij: neque enim nos dicimur facere iudicium Dei. Idem tamen sermone tertiò de verbis Domini, per charitatem seu misericordiam intelligit dilectionem, qua Deum, proximumque ac nos ipsos diligimus. Vbi tamen non videtur legisse apud Lucam genitiuum (Dei) vt fecisse tamen eum apparet in Enchirid.

Hæc

Hæc oportuit facere & illa non omittere. Hoc addit,ne quis eũ reiecisse aut prohibuisse arbitraretur minimarum etiam rerum decimationem , quasi dicat, rectè facitis etiam hęc donando,sed pessimè omittentes ea quæ in primis à Deo requiruntur.

Quærat fortè quispiam vtrũ hęc minutissimarum rerum & viliorum holerum decimatio, fuerit etiam lege præcepta. D. Thomas in secunda secundæ,putat non fuisse,atque illud : Hæc oportuit non omittere,ait significare non præceptum , sed decentiam quãdam. Verùm alij,quibus verba Saluatoris magis fauent,putant omnium absolutè rerum decimationem præscriptam, etiam viliũ herbarum:quanquam verisimile non est,quòd singularum plantularum decimum quodq; folium dare tenebantur,neque enim adeò exactè & rigidè obseruandum præceptum hoc erat.

Quæst. 87. artic. 2.

Duces cæci excolantes culicem,camelum autem glutiẽtes. Prouerbialis est sermo in eos congruens qui cũ in rebus minimis admodum sint anxij, in rebus maximis sunt negligentissimi. Metaphora est à vulgo petita. Quasi dicat. Similes estis ijs,qui,si fortè culex in vinum eorum inciderit, vinum excolant,ne animalculum illud cum vino haurientes, præfocentur, interea camelum ingens & immane animal non modo comedunt,sed nẽ deglutire quidem dubitant. Idem prouerbium ab alijs sic effertur. Ex humili tumulo magnum faciunt Olympũ. Quærat quis,an Dominus scrupulositatem hic reprehendat. Respondeo quandam,sed non omnem: Triplex autem vulgò scrupulositas dicitur. Prima qua magna cum diligentia peccata minima vitantur,non tamen maioribus neglectis & hęc impropriè scrupulositas vocatur, cùm nihil aliud sit quã timor Dei, à quo quidam timorati, vt Simeon, & Iob in scripturis vocantur. Secunda,quia nimirũ qui-

quidam anguntur, ac timent, vbi timendum non Luc.1.
eſt: qua ſcrupuloſitate plerumque ſenes, & mulie- Iob.1.
res, propter naturam iam infirmatam, ac debilitatam excruciari ſolent. Tertia, qua minima maximi, & maxima minimi fiunt: quam in iſtis Chriſtus reprehendit. Myſticum huius prouerbij ſenſum habes apud Auguſtinum lib.1.quæſtio. euangel.ca.25.

Pharisæe cœce, munda prius quod intus eſt calicis, & paropſidis, ut fiat & id quod deforis eſt mundum. Cura prius, vt quod in calice, & paropſide ponitur, ſit legitimè partum, atque tunc abundè mundi erunt calices. Verùm hæc interpretatio vetuſtis Doctoribus reijcienda videtur, quoniam apud Lucam occa- Luc.11.
ſione illius quod ſaluator ſe ante prandium nō lauerat, ſimilia dicuntur: & quia ibi habetur (Quod intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina) quod magis ad mentem, & corporis lotionem ſpectare videtur. Pro huius intellectu expendendum eſt, Phariſæos exiſtimaſſe per exteriorem munditiem ſe Deo placere, vnde ipſis dicit ſaluator (inquit Au- Luc.11.
guſtinus:) Nonne qui fecit quod deforis eſt, e- serm.3.de
tiam quod deintus eſt, vt eos exteriora mundaſſe uerb. Dom.
declaret hoc fine, vt Deo, qui corporis conditor eſt & in 15. c.
placerent, quemadmodum etiam ſupra annotatum Ioā.& 76.
eſt. Senſus igitur eſt iſte: Vos Phariſæi externam Enchirid.
corporis munditiem extremè curatis, cordis verò Cap.15.
curam penitus negligitis, ita vt alienarum rerum cupiditate & rapina pleni ſitis, atque libidinis immunditia effluatis: ac proinde ſimiles illis eſtis qui exteriorem calicis, & paropſidis partem (quam tamen eſca non contingit) ſtudioſiſsimè mundant, interiorem autem, quæ illam recipit ſordidatam relinquunt. Mens noſtra calix eſt. Chriſtus verò cibus, qui calice continetur, & ſordibus non delectatur. Atque ſicuti calix interiorem partem, quā

cibus

cibus contingit habet, exteriorem verò, quæ non contingitur, ita homo duas habet partes: interiorē, quæ anima est, quam immediatè cœlestis cibus Christus contingit. aliam exteriorem, quæ corpus est, quod non nisi per animam contingitur. Pulchrè Augustinus de his iustificare se volētibus ait: Faciunt (inquit) ista scilicet præcepta decalogi sub lege positi, terrenam fœlicitatē, vel cupiditate adipiscēdi, vel timore amittendi: & ideo non verè faciunt, quoniam carnalis cupiditas, qua peccatū augetur, cupiditate alia non sanatur. Vnde Paulus qui alium doces, teipsum non doces. qui prædicas non furandum, furaris?

Lib.3. cont. epist. Pela. cap.4.

Rom.2.

Væ uobis scribæ, & Pharisæi & hypocritæ: qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. Culpat eos Christus, quod operibus, & verbis, ob vulgi fauorem, & inanem gloriam testarentur se horerre patrum suorum perfidiam, & homicidia, quum tamē omnibus parentibus suis peiores essent. Multam pecuniam impendebant in exornandis iustorum memorijs, quia hæc gloria erat diuturna: in monumentis enim scribebatur quinam ea ædificassent, & ornassent. In proprijs vitijs erant cœci, in alienis multùm oculati. Nam patres suos redarguunt, & maioribus vitijs fœdati sunt. Atque hoc semper Iudæi fecerunt, præteritorum sanctorum cultores, præsertim autem contemptores, imò & persequutores. Mentiebantur autem, hæc vulgo persuadentes, & se iustificātes, quoniā ipsum sanctū sanctorū, eiusque discipulos occidere sæpe conati sunt, quod & postmodum suæ cupiditati satisfacientes impleuerunt. *Itaque testimonio estis uobismetipsis.* Ex operibus, & verbis, ipsos eorum filios esse, qui prophetas occiderunt, colligit. *Et uos implete mensuram*

suram patrum uestrorum. Non est exhortantis, vel prę-cipientis, sed cum magno affectu prædicentis, atq; se cordis cogitationes nosse declarantis: quasi dicat: Quod patribus vestris defuit, adijcite: illi occiderunt seruos, vos Dominum crucifigite, & discipulos eius varijs modis conterite. In scriptura tūc iniquitates compleri dicuntur, quando eas Dominus non reliquit impunitas, plenè vindicans & exterminans peccatores: vel quando impios mutat & in meliùs conuertit. In malum sumitur in Genesi, vbi dicitur: Necdum completæ sunt iniquitates Amorreorum, & lib. 2. Machab. Dominus patienter expectat vt Gentes seu Nationes, cùm iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat. In bonum apud Esaiam: Completa est malitia eius, hoc est, Iam satis Sion & populus Iudaicus peccauit, nolo vt vltra peccatū adijciat, sed gratia mea cōuertā, & sanabo eum. Quia igitur post Christi mortē, vindicare voluit Deus, prophetarum & Christi necē, nec amplius sustinere voluit, ideo in nece Christi rectè dicūtur cōpleuisse patrū suorū iniquitatē. Hæc metaphora à mensura sumpta est, cui' pretiū nō exsoluitur, nisi impleatur. Persequutores aūt prophetarū in hac mēsura, vnū vel plura homicidia posuerunt: sed nondum completa erat, vt Deus per vindictam soluere vellet. Porrò quādo Iudæi huic mēsurę mortē regis omniū adiecerūt, mensurā per Deicidiū omnino cōpleuerunt, vsq; adeò vt Deus statim vindicare voluerit. Aperit autē Christus quomodo in morte sua mensura patrū sit impleta, dū statim exponere incipit vsque ad finem capitis huius, diuinam contra Iudęos vltionem.

Genes. 15. Esa. 4. 2. Machab. 6.

serpentes, genimina uiperarū, quomodo fugietis a iudicio gehennæ? quasi dicat, Nullo modo euadetis, nō enim sepulchra prophetarū quæ ædificastis, vos liberare

pote-

poterũt. Fruſtra(inquit Chryſoſt.) iuſtos honorat qui iuſtitiam ſpernit, nunquid quod paretis foris hominibus iuſti, aut quod crebro lauatis corpora veſtra, aut decimatio holerum, aut aurum, & donaria templi, aut conuerſio vnius gentilis aut ſimulatio longarum orationum, vel ſpolia quæ auſertis à viduis, aut quod multos excluditis à regno cœlorum quos ſocios habeatis pœnarum, poterit mitigare, aut liberare vos à gehenna?

Cæterùm octo maledictiones iſtæ, octo ſupra dictis beatitudinibus correſpondere videntur: ſiquidem in prima, Phariſæi, qui Chriſtum ſpiritu pauperem, & inopem, ſeu primum ipſius aduentũ recipere noluerunt, atque proinde homines, à regno cœlorum excluſerunt, condemnantur. In ſecunda, tanquam immites, & crudeles quod miſerarum viduarum domos in hoc mundo, diuitias terrenas poſsidere volentes abligurierunt, arguũtur. In tertia luctum ſimulaſſe ſuper iniquitate gẽtilium & condemnatione increpantur, quod magno ſtudio conuerſis maioris cõdemnationis fuerint authores. In quarta, quòd ſuper vera iuſtitia ita nauſeabũdi fuerint, corripiuntur: vt etiam periurium, quod eſt ſumma Dei iniuria, non ſolũ parui facerẽt, verumetiam nihil eſſe docerẽt. In quinta condemnantur, quia non ſolùm miſericordiam in proximos, & iudicium, verumetiam fidem in Deum per quam miſericordiam conſequi poſſent, neglexerunt: atque tantùm in ſimulatione eleemoſinarum minutiſsima quæque exactè decimantes, occupati fuerunt. Sexto, cor eorum immunditia, & rapina plenum reprehenditur, & cæcitas, ita vt ad videndum Deum inidonei ſint, improperatur. Septimo, pleni ſimulatione, & iniquitate oſtendũtur, vſqueadeò vt nec alios pacificare, nec filij Dei pacifici vocari poſsint, qui ſumma æquitas, & prima

ma veritas eſt. Simulatores autem, veram pacem inter alios componere non valent, quoniam nec ipſis impijs pax eſt. Octauo, detegitur ipſorum hypocriſis, qua ſe propter iuſtitiam perſequutiones velle ſuſtinere ſimulabant, cùm ipſi non ſolùm iuſtorum, ſed Chriſti, ſæuiſsimi perſequutores eſſent malitia omnes patres ſuos longè præcellentes. Hęc maledictionum, & beatitudinum correſpondentia non omnino neceſſaria eſt, ſed vt videatur ſpiritus ſanctus ſemper conformiter loquutus plurimum vtilis: ea ratione etiam Auguſtinus oſtendit ſeptẽ primas beatitudines, ſeptem donis ſpirituſſancti ab Eſaia enumeratis correſpondere. *Lib. 1. de ſerm. Dom. in mon. c. 9* *Eſa. 11.*

Ideo dico uobis. Cæperat Chriſtus exponere diuinam vltionem, dum dixit. Quomodo fugietis à iudicio gehennæ? in ea declaranda nunc pergit. Ideo ergo, id eſt, in pœnam malitiæ veſtræ, qua meum, atque diſcipulorum meorum ſanguinem ſititis, hæc quæ dicturus ſum, euenient vobis: vt ideo, iungatur cum verbo, Mitto. *Ecce,* Hoc meritò adijcit, nouus enim vindicandi modus is eſt, dum per accumulationem beneficiorũ Deus vindicat. Quemadmodum enim multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltionem adhibere magni beneficij iudicium eſt, ita permittere impios prauam ſuam voluntatem complere, & illis beneficia accumulare, quorum occaſione fiant peiores, magnæ eſt iræ, vt ait Auguſtinus in illud Pſalmiſtæ: Secundum multitudinem iræ ſuæ non quæret. Multum, inquit, iraſcitur Dominus dum non exquirit, eum quaſi obliuiſcitur, & non attendit peccata, & per fraudes, & ſcelera, ad diuitias, honoreſque peruenitur. Item alibi, mala voluntate, vel ſola, quiſque miſer efficitur: ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur. Et ſic gaudium impiorum *1. Mach. 6.* *Pſalm. 9* *Lib. 13. de trin. cap. 5*

pœna est eorum. Hinc in Concil. Neocæsariensi dicitur. Siquis mulierē cōcupiscens proposuerit cū ea concumbere, & cogitatio eius non perueniat ad effectum, apparet quod gratia Dei liberatus sit. Nō quasi non ibi peccârit, aut peccatū illud sit ei remissum, sed quia nō permisit eum Deus malam illam implere voluntatem. *Ego mitto*. Pronomen istud

Luc. 11. emphasim habet, quo & diuinitatis suæ maiestatē ostēdit. vnde Lucas sic legit, Propterea & sapientia Dei dixit, mittā ad illos prophetas &c. *Ad uos* populū Iudaicū, *Prophetas sapientes, & scribas* Hylar. eosdē intelligit nomine prophetarū, sapientū, & scribarū, nēpe apostolos, qui propter futurorū cognitionem prophetæ, propter Christi agnitionē sapiētes, propter legis intelligentiā scribę dicūtur. Verū Hiero. aliter, per prophetas, eos intelligēs qui vētura prędicūt,

Act. 21. qualis erat Agabus: Per sapientes qui norunt quē & quādo sermonē proferre debeāt, per scribas legis diuinæ, & scripturarū peritos, quales erāt A-

1. Cor. 12. pollo, & Paulus: Quę expositio magis arridet, quo-

Ephes. 4. niā Paulus prophetas ab apostolis secernit, hos illis

Luc. 11. anteponens & præferēs. In Luca verò, vbi prophetæ Apostolis prępōnuntur, intelligendi nō videtur quatuordecim illi apostoli, sed quicunq; ad Iudæis prædicandū missi fuēre: vnde quod infra hic dicitur: Occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: pro ijs qui mittuntur, Lucas apostolos dixit: *Et persequemini de ciuitate in ciuitatem*, vt cogātur de vna in aliam fugere. Etenim Iacobum fratrem Domini occiderunt, Simonem, & Andream crucifixerunt, Paulū ter flagellauerunt, *Vt ueniat super uos*. Hęc ita agetis, vt super vos veniat, *omnis sanguis iusti* id est vindicta, *qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti*. qui primus à lapsu humani generis in scriptura Deo placuisse dicitur: qui etiam propter iustitiam à Cain fratre suo interemptus occubuit:

usq;

usq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, id est, Ioiadæ sacerdotis, qui ideo Barachias vocatur, quia in nostra lingua Barachias sonat benedicens Deo, vnde hoc Hebraico nomine iustitia sacerdotis Ioiadæ demonstratur. Hic propter cultum Domini à Ioa rege in atrio templi est lapidatus, atq; ideo hic dicitur. *Quem occidistis inter templum et altare*, siquidem altare holocausti stabat ante templum, & sic hic Ioiadas stabat post altare, ante templum tamen, non secus quàm si altare esset in foro constructum, occideretur autē quis post ascensum graduū ante ingressum vestibuli, altare enim erat ante templum. Quia igitur Zacharias in atrio templi fuit occisus, meritò inter templum, & altare occisus dicitur. Altare autem debebat esse sub dio, nam in altari holocausti cremabantur sacrificia ouium boum, quorum fumus in cœlum ascendere debebat. Mēsa autem in qua ponebantur panes propositionis, erat in interiori templo, sicut & sancta sanctorum. Quare autem Dominus istos duos tantùm nominat, cùm tamen plurimi post eos occisi sint, respondet Beda in Lucam capite vndecimo. Quare, inquit, à sanguine Abel, qui primus martyrium passus est, mirum non est, sed quare vsque ad sanguinem Zachariæ quærendum est: cùm & multi post eum vsque ad natiuitatem Christi & ipso mox nato innocentes in Bethleem pueri sint ab hac generatione perempti? Nisi fortè quia Abel pastor ouium, Zacharias sacerdos fuit. & ille in campo, hic in atrio templi necatus est: vtriusq; gradus martyres & laicos scilicet & altaris officio mācipatos sub eorum voluit intimare vocabulo. Aut fortè, quia mentio fit vltionis infligendæ etiam in hoc sæculo, pro sanguis iustorum effusione, cùm scriptura sacra in morte istorum duorum ponit appetitū vindictæ, & vindictam subsequutam etiā

2. Para. 24

Genes. 4.

in hoc sæculo: siquidem de Abel legitur, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. & Cain propter fratris sui cædem à Domino audit: maledictus eris super terram, cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructum suum, vagus, & profugus
2, Para. 24 eris super teram. De Zacharia verò dicitur, quod moriens dixerit, Videat Dominus, & requirat: narraturq; vltio Dei statim subsequuta in populo, & in rege Ioas. Meritò igitur per hos duos illustres martyres, & insigniter à Domino in hoc sæculo vindicatos, omnes iusti ob iustitiam occisi significantur, quos omnes Deus in Iudæis vindicat, etiam in hoc sæculo. Quasi dicat Dominus, sicut sanguis Abel, & Zachariæ vindicatus est in occisoribus eorum, sic & in vobis Iudæis vindicabit Deus sanguinē oīm iustorū, quia sceleris cōmissi participes estis facti. Non est autem dubium quin velit Dominus super Iudæos venire omnem sanguinem iustum, non solùm illum, qui effusus est vsque ad sanguinem Zachariæ: nam ante loquutus est de sui, & discipulorum suorum occisione, quā proculdubio vindicandam significat. vnde suprà
Cap. 21. & 22. in parabola dixit. Quid faciet Dominus vineæ &c. *Amen di o vobis venient hæc omnia*. Repetitio ista, magnam, & vehementem habet asseuerationem. *super generationem istam*, id est, Iudaicam gentem, cui priùs dixit (vt veniat super vos omnis sanguis &c. & (relinquetur vobis domus vestra deserta.) Hie-
In cōment. ronymus quando dicit omnes malos cōnstituere vnam generationem, super quam veniāt hæc omnia, non sic est intelligendus, quasi sentiat saluatorem nihil speciale dicere de Iudæis, sed ideo hoc dixit, quia generatio Iudæorum, imitatione coniuncta est omnibus homicidis: atque propterea meritò omnium homicidiorum pœnam luit. Nō vult aūt dicere quod super Cain veniet suū homicidium

cidium, ſuper Ioam homicidium ſuum, & ſuper vos homicidia veſtra, ſed ſicut Auguſtinus: Quomodo, inquit, ſuper iſtos venit illorum ſanguis, qui longè ante vixerunt, quàm iſti vel naſcerentur, niſi quia vnum genus, vna conſperſio, vna maſſa eſt impiorum, imitatione ſibimet connexorum. Et alibi: Malorum, inquit, imitatio facit, vt non ſolùm ſua, ſed etiam eorum, quos imitati ſunt merita ſortiantur: cuius ratio eſt, quia dum quis ſocietatem impiorum ingreditur, mala illius ſocietatis fiunt ipſius ingredientis, quomodo bona cōmunitatis alicuius redundant in quemlibet ciuem. Quemadmodum ſi quis ſocietatem latronum ingrediatur, ac cum eis apprehendatur, eadem pœna cum eis plectetur. Hactenus quoque ſæpe punitur aliquis ob alterius peccatum, quia Deus ſæpe parceret alicui peccatori, ſi impijs coniunctus non eſſet. Cauendum igitur eſt à ſocietate malorum, nam in futura vita, non erit miſeris ſolatium, ſocios habere pœnarum, ſed miſeria, & crux magna malis fuiſſe ſociatum. Nam vulgare dictum illud ex ſuperbia & inuidia exortum eſt. Hinc dicebat diues Epulo: Mitte Lazarum ad eos ne veniant ad locū iſtum, quia videbat quod ex pluralitate malorum, augeretur pœna, & crux tormentorum. Vindicta cuius hic meminit Chriſtus, etiam eſt huius ſæculi, nam verè domus eorum deſerta fuit. Quæ deſertio pœna eſt ſpiritalis quemadmodum ſupra dictum eſt: Auferetur à vobis regnum Dei. & vt ait Dauid: fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum: ideoq; hæc vindicta tranſit etiam ad futurum ſæculum.

Lib. contra aduer legis & prophet. cap. 5.

Pſal. 108.

Luc. 16.

Pſal. 68.

Hieruſalem, Hieruſalem. Geminatio iſta ex vehementi dolore ſuper interitu Iudæorum procedit, ſicut & illud: Abſalon, Abſalon fili mi. Per Hieruſalem, quæ eſt ciuitas metropolis, intelligit vniuerſum po-

2.Reg 33. ſum populum Iudaicum. *Quæ occidis Prophetas*, id eſt, occidere & lapidare conſueuiſti, *eos qui ad te miſſi ſunt*, vt ad veram pœnitentiam te adducāt, *Quoties uolui congregare filios tuos*. Per hoc, omnes Prophetas à ſe miſſos eſſe: & in vnitatē fidei, & charitatis eos congregare teſtatur, extra quam nullus ſaluti, ſed dæmonum direptioni patet locus, *quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas*, vt à frigore, & à miluis protegantur: ſic ego vos cupiui à diabolo protegere, & ſpiritus ſancti conſolatione fouere, atque in bonis roborare. Explicat pulchrè hanc ſimilitudinem & animantis huius naturam B. Auguſt. lib. 1. quæſtion. Euangel. cap. 36. *Et noluiſti*, ſcilicet filios tuos ſub alas meas congregari, id eſt, audire me
Eſa. 5. noluiſti. Similis locus eſt apud Eſaiam. Quid vltra facere debui vineæ meæ & non feci, id eſt, expectaui vt faceret fructū, & fecit labruſcas. Sed vbi eſt,
Ench. c. 79 inquit Aug. illa omnipotētiā, qua in cœlo & in terra quæcūq; voluit fecit, ſi colligere filios Ieruſalem voluit, & nō fecit, nū volūtate & potētia ſit opus? An potiùs & illa quidē filios ſuos ab illo colligi noluit, ſed ea quoq; nolēte filios eius colligit ipſe quos voluit. quia quęcūq; voluit fecit, & ſic quoſcūq; voluit cōgregare ſub alis ſuis, etiā cōgregauit, ſed ſemper repugnātibus & inuitis Iudæis. Et hoc eſt magnū improperiū, quòd Hieruſalē voluerit quoſdā excludere à regno cœlorū, quos nō potuit excludere. Poteſt hic locus & aliter intelligi, vt ſenſus ſit. Quoties feci & inſpiraui prophetis alijſq; ſanctis, vt veſtram ſalutem magnoperè deſiderarent ac ſitirent, & pro ea procuranda nihil non agerent & ſu-
Rom. 8. ſtinerent? Quo ſenſu dicitur ad Romanos Spiritus ſanctus poſtulare & gemere, quia poſtulātes & gementes faciat. Sic voluntatem accipit alicubi Au-
De corr. & guſtinus, vbi dicitur: Qui vult omnes homines
grat. ca. 15. ſaluos fieri. Eſt & tertius commentarius, de volunta-

luntate ſigni quæ in Deo ſit, vt ad præcepta, exhortationes, correptiones pertineat, & media per quæ Iudæi conuerti potuiſſent, niſi in ſua malitia fuiſſent obdurati. Quæ propterea voluntas Dei vocatur, quod in hominibus voluntatis ipſorum ſigna eſſe ſoleant: ſic vindictam in Deo iram dicimus, non quia Deus aliquando ira moueatur, ſed ſic dicitur, quia homines in vindicando iraſci ſoleant. Similis locus eſt apud Ezechielem: Mundare te volui, & non es mūdata à ſordibus tuis: quod ſanè ſi Dominus volūtate propriè dicta facere voluiſſet, factum vtiq; fuiſſet, intelligendum id ergo erit altero poſteriorum iam dictorum modorum. Ezech. 2
Ecce relinquetur uobis domus ueſtra deſerta. Hieron. tēplū intelligit, & quia habitatorē Chriſtū perdidit, nō iā eius, ſed illorū domus dicitur. Beda per domū, ciuitatē intelligit. Theophy. in Luc. genus Iudęorū, hęc enim domus deſerta eſt à luce gratię Dei, iuxta illud: Reliqui domū meā, dimiſi hęreditatē meā. Atq; huic expoſitioni magis fauēt ſequētia: nō me videbitis amodo. Ierem. 12
Dico enim uobis: non me uidebitis amodo. Poſthac, Cū reliquero gentē veſtrā, non agnoſcetis me per fidē, nō ampliùs cōuertemini ad me, ſed planè excœcabimini, donec in die iudicij coacti, dicatis, me illū eſſe, de quo dixit Pſalm. Benedictus qui venit in nomine Dñi. i. donec me promiſſum vobis Meſsiam agnoſcere cogemini. Hoc verū erit in plurimis Iudæorū, nā quidā dicūt imminēte iudicio, quoſdā Iudęorū cōuertēdos. Prędictæ ergo interpretationi adijcere oportet quoſdā volūtariè per fidē dicturos: benedictus Chriſt⁹ cuius iudiciū, ſeu ſecūdus aduētus iā imminet. Illud (Amodo) ad illud tēpus quo Apoſtoli Iudæos reliquerūt, nō autem quo Chriſtus iſta dicebat, refertur: nam poſt iſtud tempus plurimi Iudæorum adhuc per fidem viderunt Chriſtum, ſed poſtquam deſeruerunt Pſal. 117

 Apoſto-

Apoſtoli,& cæteri prædicatores Iudæam,tota domus Iudæorum excæcata eſt,ita vt reliquiæ tantũ ſaluarentur. Sic de viſione per fidem & ſecundo Chriſti aduentu intelligit Auguſtinus lib.2.de cõſenſu Euangeliſt.cap.75. Non autem dici poteſt de ingreſſu Hieruſalẽ, quãdo aſino inſidens ingreſſus eſt,quia hoc præceſsit. Dicunt alij, Amodo, id eſt, poſt mortem meam, oculis corporalibus me non videbitis,nam tunc ſoli Apoſtoli ipſum corporaliter viderunt:ſed hoc nihil ad id facit quod dixit: Relinquetur vobis domus veſtra deſerta, ſiquidẽ nec nos, nec alij corporaliter poſt mortem, Dominũ vidimus,tamen domus noſtra nõ relinquitur deſerta. Alij dicunt,non videbitis me amplius in gloria mea,& eſſentia mea,donec veniam iudicare viuos & mortuos:quod pari ratione reijcitur.
Luc.11. Auguſtinus putat Dominum, iſtum ſermonem bis dixiſſe,ſimiliter & illud, Hieruſalem, Hieruſalem &c.

IN CAP. VIGESIMVMQVARTVM. Matthæi.

ET *egreſſus Ieſus de templo ibat*,i. recedebat. Optimè Græci iungunt (de templo)cum verbo (egreſſus)& non cum (ibat) nunquam enim poſtea templum Iudæorum ingreſſus eſt: nã hæc dicebat in hebdomada ante paraſceuen qua patiebatur,non tamen eos penitùs dereliquit,quia Apoſtoli diu in templo Hieroſolymitano poſt Chriſti mortem,& aſcenſionem manſerunt. Abibat autẽ
Luc.21. in Bethaniam verſus montem Olìueti,vt ex Luca liquet,nam ibi dicitur quod die erat docens in tẽplo, veſpere autem ciuitatem egrediebatur verſus montem Olìueti ad domum Marthæ. *Et acceſſerunt diſcipuli eius, ut oſtenderent ædificationes templi*.quàm videlicet

delicet pretiosæ, & magnificæ essent, & quàm firmiter templum esset ædificatum, quasi propter tã insignem structuram non deberet euerti: vnde apertiùs dicunt in Marco: Magister aspice quales lapides & qualis structura. Dixerunt ergo discipuli hoc Christo, condolentes euersioni templi, videntur enim illud, Relinquetur vobis domus vestra deserta, de templo intellexisse: siquidem totam ciuitatem cum templo esse euertendam intellexerũt. De huius destructione, & totius ciuitatis euersione tractat Iosephus. *Ipse autem respondens dixit illis: uidetis hæc omnia?* Hanc insignem, & sumptuosam tẽpli structuram? *Amen dico uobis: Non relinquetur hic, lapis super lapidem qui non destruatur.* Non putetis Deum moueri more carnalium hominum, magnifica, & pretiosa structura, quia in veritate dico vobis, penitùs hoc templum destruetur. (Hic) pro (hoc loco) accipitur. Hyperbolica loquutio est, significans plenam ædificij prædicti euersionem. Non autem certum est, an in fundamento lapis lapidi coniunctus non permanserit, nam Romani hoc curasse nõ videntur, sed tantùm eius euersionem. Idem dicitur de ciuitate Hierusalem, quod Romani milites non essent relicturi lapidem super lapidem, sed hoc dicitur propter ingentẽ deuastationẽ. Talis loquutio est de Gabaonitis, qui tam periti iaciendi funda fuisse dicũtur, vt vel capillum tangere potuissent. Causam vnam destructionis tẽpli explicuit Christus, peccata videlicet Iudæorum, & præcipuè Christi, & discipulorum occisionem: quam etiam Lucas explicat dicens: Eo quòd non cognoueris tẽpus visitationis tuæ. Causam similem assignat Beda: Diuinitùs (inquit) procuratum est, vt patefacta per orbem fidei Euangelicæ gratia, templum ipsum cum cæremonijs tolleretur, ne quis fortè paruulus in fide si videret illa permanere quę à Deo sunt

Matth.22
Luc.19
Lib.7.de bello Iud. c.10.& 11.
Luc.19.
Iud.20.
cap.præce.
In Marcũ.

ſunt inſtituta, paulatim à ſinceritate fidei, quæ eſt in Chriſto Ieſu ad carnalem laberetur Iudaiſmum. Completum eſt autem iſtud verbum Domini per Romanos milites, qui inuito duce ſuo Tito Veſpaſiani filio incenderunt templum, & penitùs demoliti ſunt, vt teſtatur Ioſephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 10. & 11.

Sedente autem eo ſuper montem Oliueti, id eſt, Vnde templum conſpici poterat. De mõte Olìueti abũdè ſupradictum eſt. *Acceſſerunt ad eum diſcipuli*, quatuor videlicet, Petrus, Iacobus, Ioãnes, & Andreas, *ſecretò*, id eſt, ſeparati. Ideo autem ſecretò venerũt, quia de magnis rebus interrogaturi erant: vtpote de ſignis aduentus futuri, & alijs: vnde quærere incipiunt. *Dic nobis quando hæc erunt?* quando Hieruſalem cum templo euertetur. *Et quod ſignum aduentus tui?* quando aduenies in gloria tua? *Et conſummatio ſæculi?* & quando finietur hoc ſæculũ? Coniungũt iſtas duas quæſtiones, quia putârunt Chriſtũ aduenturũ, & ſæculũ in euerſione Hieruſalem cõſum mandũ: vnde Lucas vnicã ponit de euerſione, videlicet Hieruſalem, quæſtionẽ: cũ tamen inducat Chriſtũ ad vtramq; reſpondentem. Nõ faciunt autem tertiã quæſtionẽ de cõſummatione ſæculi, ſed aduentũ cũ conſummatione coniũgunt quia ſatis intellexiſſe videntur, vnũ, & idẽ tẽpus eſſe aduentus Chriſti in gloria, & conſummationis ſæculi: ſiquidẽ impiorũ condẽnatio in conſummatione ſæculi (vt dictũ eſt) & in glorioſo Chriſti aduentu futura eſt: Vnde Marc. in 2. quæſt. non facit mentionẽ aduentus Chriſti, ſed tantũ conſummationis ſęculi, quoniã illa eodẽ tempore ſunt futura. Hũc locũ tractant D. Auguſt. & Hieron.

Et reſpondens Ieſus, dixit eis: uidete ne quis uos ſeducat, multi enim uenient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent. Auguſt. & Hierony. ad finem

Cap. 21. *Matth. 13* *Math. 16. & 19.* *Lib 20. de ciuit. Dei cap. 5. & epiſt. 80. ad Heſichium.* *Hieronym. in commen.*

ſeculi referunt. Hylarius verò, Chryſoſtomus, Beda, & Euthymius ad excidiũ populi Iudaici, & ſigna præcedentia. Quod ſequentibus cõformius eſſe videtur, vbi dicitur: Cũ ergo videritis abomina tionẽ quod ad excidiũ Hieruſalẽ pertinet: deinde Lucas dicit quod antequã eueniãt bella, & peſtes, Chriſtiani flagellãdi ſunt in ſynagogis Iudęorũ, nõ videtur aũt Iudæi ſic pręualituri Chriſtianis vt flagellẽt eos in ſynagogis ſuis, antequã veniãt vltima bella, & peſtes, quæ eueniẽt tẽpore Antichriſti, vel tẽpus eius immediatè pręcedẽt. Clarũ eſt aũt Apoſtolos in ſynagogis vapulaſſe antequã orirentur bella, & ſeditiones quæ præceſſerũt excidiũ Hieruſalẽ. Nõ tradit primò quando Ieruſalẽ ſit euertenda nec quęſtioni ipſorum ſatisfacit, ſed quæ magis neceſſaria erãt præmittit: periculorum videlicet ſpiritualiũ, quæ antequã excidiũ Ieruſalẽ veniret inſtabãt, vicinitatẽ. Obſeruandũ autẽ eſt hoc loco quod dupliciter in nomine Chriſti quidã venire dicũtur: quidã enim tãquã veri prophetæ, & Apoſtoli: quidã tanquã Pſeudoprophetę, & Pſeudoapoſtoli, quales multi ante excidiũ Ieruſalẽ in Iudęa apparuerũt: quorũ vnus fuit Simõ Samarita. qui ſe magnã dicebat Dei virtutẽ. Hæc quoq; inter cętera ſuorũ voluminũ ſcripta ponebat. Ego ſum ſermo Dei, ego ſum ſpecioſus, ego paracletus, ego oĩpotẽs &c. De quo habet Euſeb. & Aug. Talis erat & Menãder de quo Euſeb. lib. 3. c. 26. & Barchochabas, de quo idẽ Euſe. li. 4. c. 6. Talis erit & Antichriſt. vt ex Apoſt. diſcere licet. *Audituri eſtis prælia, & opiniones præliorũ.* Græci legũt non, enim, ſed autẽ, ſicut & quidã Latini quorum lectio melior eſt, quia aliud à præcedentibus ſubiungitur, corporalia videlicet pericula. *Videte ne turbemini.* Duplex huius dicti cauſa redditur: prima hæc eſt, ne terreamini quaſi prædicatio ſub ſeditione, & bello dirimenda ſit,

Act. 5.

Lib. 2. hiſt. eccle. ca. 13.
Aug. hærtſ. 1. ad quod-uult Deum.

ſit,ſiquidem ventura ſunt hæc omnia quæ de bellis dixi,ſic tamen vt nihil prædicationi euangelij noceant. Quaſi dicat: Quoſcunque audieritis tumultus,in officio veſtro perſiſtite: nec fugiatis ex Iudæa,quia adhuc multi ex Iudæis ſunt conuertendi,& fructum multum ibi adhuc eſtis facturi. Secunda eſt, ne terreamini quaſi iam inſtet finis, ſeu templi,ac ciuitatis euerſio, vt velitis Iudæam, & Hieruſalem deſerere, nam excidium vrbis, ac templi in quadrageſimum annum differetur. Hanc poſteriorem interpretationem dat Beda, Euthymius verò vtramque.

Oportet enim hæc fieri, Deo propter malitiã hominum ſic diſponente. *Sed nondum finis*, ſed nondum Ieruſalem euertetur,nec regnum deſolabitur. *Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum*. Hæc priùs fieri oportet: *Et erunt peſtilententiæ & fames*, hæc enim ex bellis oriri ſolent: *Et terræmotus per loca*. ſingulis Iudæorum locis vt vult Euthymius,aut ſaltem permultis. Illud autẽ per loca,refertur ad terræmotus, non ad peſtilentiam, & famam vt ex Luca patet, qui peſtilentiæ, & fami præponit terræmotũ per loca. *Hæc autem omnia initia ſunt dolorum*. Iſtud refertur ad id quod dixerat (Sed nondum eſt finis) quaſi dicat, hæc non ſunt extrema mala, quæ Iudæos manent, ſed initia tantùm quædam. (*Dolorũ*) Græcè ſonat parturitionum,vt videlicet iſta mala parturientium doloribus ſint ſimilia: extremum verò excidium ipſi preſſuræ,quæ eſt in partu,antequam mulier enixa ſit prolem. Lucas his malis addit ſeditiones, terrores, & ſigna magna de cœlo: quæ omnia ex Ioſepho, & Euſebio, completa eſſe conſtat ante captiuitatem Hieruſalem. Fames hæc vniuerſalis ſub Claudio Imperatore contigit. De terræmotu autem, nihil in ſcripturis, nec in Ioſepho eſſe arbitror,nam quòd in paſsione, & reſurrectione

Luc.21.

Ioſ.lib.2.de bel Iud. ca. 11.12.13.14 15.19. cum tribus ſequ. & 25.

Euſe.lib.2. c.5.6.19 & 20.

Act.11.

Act.16.

rectione terra mota est, non ad hũc locum spectat, quoniam Saluator etiam in Luca dicit, quòd ante hæc omnia Iudæi captiuos ducerent Apostolos, & alios Christianos: Apostoli autem non fuerunt capti ante resurrectionem, Terræ autem motus extra Iudæam contigit. Terrores verò, & signa magna de cœlo refert Iosephus, & Eusebius *Tũc tradent uos in tribulationem*, id est, antequàm hæc eueniant, vt patet ex Luca dicente: sed ante hæc omnia inijciẽt vobis manus &c. Videtur istud dici à Domino, ne Apostoli putarent se nihil mali passuros ipso Christo eos protegente: vnde in Marco legitur: Videte autem vosmetipsos, tradent enim vos &c. Beda aliam causam assignat dicens · Quo meritò Hierosolymis, ac prouinciæ Iudæorum vniuersæ tot fuerint mala irroganda Dominus manifestat, cùm dicit: Tradent enim vos in tribulationem: ea quippe Iudaicæ gentis maxima causa erat excidij, quod post occisionẽ Saluatoris, nominis quoque eius, ac fidei præcones impia crudelitate vexabat. *Et occident uos*, non ad omnes, sed ad quosdam istud refertur, vtpote ad Stephanum, & vtrũque Iacobum, & ad quosdam alios Christianos: vnde Lucas dicit·Morte afficient ex vobis, id est, quosdam ex vobis, nam Petrum, & Paulum, Nero Romæ occidit. *Et eritis odio omnibus gentibus*, non Christianis, vt suprà dictum est, Augustinus epistola ad Hesichiũ exponit phrasim eam, qua pij dicuntur omnes, sicut & impij in scripturis omnes vocantur. Vnde & omnes Gentes sunt Apostolos persequutæ: & nullæ scilicet fideles. *Et tunc scandalizabuntur multi* propter tribulationes vestras, ita vt non credant euangelio, vel fidem semel susceptam deserant. *Et inuicem tradent, & odio habebunt inuicem.* Hoc clariùs explicant Marcus, & Lucas significantes Apostolos à propinquis, & amicis persequutionem

Lib. 7. de bel. Iu. c. 12

Lib. 3. ca. 8

cap. 10. Epist. 80

nem

nem passuros. Potest tamen intelligi diuersum ab eo quod Marcus & Lucas habent (id enim suprà dixerat Matthæus capite decimo) vt significetur impios fœdera non seruaturos, sed se inuicem prodituros.

Et multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Suprà de Pseudochristianis loquutus est, nunc de his qui se Prophetas simulant quod intelligi potest tam de his qui futura prædicunt, quàm de doctoribus & prædicatoribus. Quales circa excidium illud Hierusalem fuerunt, AEgyptius ille, de quo Eusebius, & plurimi tales quos refert Iosephus. Pseudochristi hæresiarchæ, generaliter falsi doctores appellantur. quorum initio Ecclesiæ magnus fuit numerus, in quo recensentur Nicolaus, Hymenæus, & Phyletus. Item qui resurrectionem factam esse, aut diem iudicij imminere docuerunt: atq; imprimis Iudaizantes, quos Paulus subdolos, operarios, Ioannes verò antichristos appellant. De Cerintho, Ebione, Nicolao cõsulatur Eusebius. *Et quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorũ.* Theophylactus: Quoniam plurimæ erunt imposturæ & iniruiæ multę, ita homines fieri efficiẽtur, vt neque cum charissimis seruent vllum charitatis vinculum, sed se mutuò tradant. Euthimius nomine charitatis hospitalitatem, vel compassionem intelligit. Hieronymus verò Dei proximiq; dilectionem, quæ sine fide esse nõ potest. Significat igitur Dominus propter persequutorum, & seductorum multitudinem fore, vt plurimorum charitas extinguatur, per impiorum imitationem: cùm difficilè sit non eis similes effici, cum quibus est vita communis.

Lib.2.c.21. Lib.7.de bel.Iu.c.11 Act.6. Apoc.2. 2.Timo.2. 1.Cor.15 2.Thess.2. Lib.3.c.20. & sequent.

Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Perseuerantiæ in fide, & charitate vsque ad vitæ finem, in die iudicij salus æterna reddetur. *Et prædica-*

dicabitur hoc euangelium regni in uniuerso orbe Ad consolationem,& confirmationem Apostolorum mirabiliter pertinuit,quod intelligerent vnius Iudaicæ gentis desertionem, fide omnium Gentium esse compensandam , neque persequutionum vim, euangelij , siue regni cœlorum per totum orbem propagationem impedire posse. *In testimonium omnibus gentibus*, id est, vt de Euangelio regni omnibus Gentibus testimoniũ feratis, vel potest intelligi testimonium quod ferent Sancti in die iudicij aduersus infidelium superbam excusationem, qua propterea se Dei legem ignorasse, & præuaricatos esse dicere possent,quòd eam prædicari non audierint. *Et tunc ueniet consummatio* ,postquam videlicet hoc Euangelium regni fuerit prædicatum in vniuerso mundo. Verba Matthæi patiuntur etiam vt (tunc)tẽpus quo fit prædicatio significet, si ex Marco alius sensus colligitur,vbi ait:& in omnes Gẽtes primùm oportet prædicari Euangeliũ. Primùm, id est,antequã veniat consummatio templi & Hierusalem,& totius Iudææ desolatio:quæ meritò Iudæis accidit, nam toto orbe Christiana fide refulgente nullum veniæ locum infidelitati suæ reliquerunt.Porrò Chrysost.& Beda intelligunt ante euersionem Hierosolymæ (quæ contigit anno 42. à passione Domini, imperantibus Tito & Vespasiano)toto orbe prædicatum Euangelium , iuxta quod ait Apostolus: Fides vestra annunciatur in vniuersum mundum. Sanè si vnus Paulus à Hierusalem vsque ad Illyricum cùm omnia impleuerit Euangelio Christi,multas Gentes cõuersas esse per cæteros Apostolos , aliosq; Apostolicos viros ambigendũ nõ est. Non tamẽ putandũ est oẽs omnino Gentes ante excidiũ Hierusalẽ audiuisse euãgeliũ(neq; enim Scoti,Galli,Noruvegi,nouę insulę,Flãdri adhuc audierãt fidei prædicationem) sed præ- Rom.1.

præcipuas orbis partes, Asiam, Africam, Europam multasq; in illis sitas nobiles regiones: quæ nomine totius orbis in actis appellantur, vbi dicuntur habitasse Hyerosolimis viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. His adde, quod etiam in Hispaniam transierit apostolus prædicationis gratia, vbi fertur & Iacobus fidem nunciasse: sed & crescens in Galatiam missus scribitur quam Galliam quidam intelligunt, Etiam Moguntiam peruenisse fertur sicut & Maternus ab Apostolo Petro missus Tongros conuertit. Augustinus & Hieronymus (quorum commentarium Chrysostomi expositioni hoc loco postpono) absolutè gẽtes omnes intelligunt, & consumationem ad sæculi finẽ referunt. Nullam autem esse gentem ad quam ante extremum Iudicium non perferendum sit euangelium, & ex qua non sint aliqui credituri. Benè ostendit Augustinus ex propheticis literis. Dominabitur (ait) Dauid à mari vsq; ad mare, Et omnes Gẽtes quascunq; fecisti venient, & adorabunt coram te Domine: Et: In omnem terram exiuit sonus eorum. Quibus adde, dominicam promissionem, In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Et illud Sophoniȩ: Adorabunt eum vnusquisq; in loris suis omnes insulæ gentium. *Cum ergo uideritis abominationem.* Lucas manifeste. ostendit hunc locũ pertinere ad ea quæ contigerunt circa populi Iudaici euersionem, nam quod ait Matthæus (cùm ergo videritis) hunc in modum exprimit Lucas: Cùm autem videritis circundari ab exercitu Hierusalem, scilicet à Sestio floro impijssimo prȩsule, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. Et simili modo subdit: Tunc qui in Iudæa sunt fugiant in montes. & pro eo quod Matthæus habet, Et qui in tecto &c. Lucas reddit: Qui in medio eius discedat. Quod vero ille qui in agro &c. apertiùs iste

cap. 2.

iste. Et qui in regionibus, id est, extra Iudæam, nõ intrent in eam. Denique cum Matthæo subijcit ve autem prægnantibus &c. Vt autem intelligatur quid sit abominatio desolationis, priùs vidẽdum est, de qua obsidione Hierusalem loquatur Lucas: Et quidem non de Vespasiani obsidione sermonẽ esse ex eo patet, quia tum nimis sera fuit fuga ex Iudæa, cùm ipsa & Galilæa tunc vastarentur. quod multò clariùs apparebit si medium Iudææ Hierusalem intelligis obsessam, quam in medio sitam esse testatur Iosephus. Itaque accipienda est ea obsidio quæ Sestio floro facta est, qui partem exteriorẽ ciuitatis expugnauit, & interiorem in qua templũ erat quò seditiosi sese receperant, obsedit. Postmodum tamen aliqua occasione obsidionem soluit, Deo videlicet impios ad deteriora supplicia reseruante, & Christianis fugæ locum relinquente. Hinc refert Iosephus multos nobilium Iudæorũ ciuitate, tanquam naui pessum itura, discessisse, quod & à Christianis dominicæ prædictionis memoribus factitatum esse non est dubitandũ. Abominatio igitur desolationis stans in loco sacro, certum fugæ maturandæ argumentum fuisse videtur illa seditiosorum cum suo principe colluuies, qui vt sese aduersus Romanos, tuerentur & Hierosolymæ ciues volentes in Romanos rebellionẽ mouere, impetrent, templũ munitissimũ inuaserunt. Atque vt hoc in negotio, viderentur Dei zelo moneri sese zelotas appellârunt, cũ essent ipsi sic sceleratissimi, vt de illis scribit Iosephus, quod ab illis omne ius hominum calcaretur, rideretur etiam diuinitas, prophetarumq́ responsis tanquam fabulis vulgaribus illuderent. De his Ioseph. cõsulatur. Cũ igitur Domino abominatio sit impius, & virum sanguinum & dolosum abominetur, nihil mirum est quòd illa fex impiorum abominatio desolatio-

Lib. 3. & 4 de bel. iud.

Lib. 3. ca. 2. Lib. 3. de bello iuda.

Lib. 2. c. 17 10. & 14. & li. 4. c. 5. 6. 7, & li. 5 c. 1. & 8. & lib. 6. ca. 1. & 16. Lib. 4. c. 5. & lib. 7. cap. 18. Lib. 5. de bell. iu. c. 9 Pro. 3. et 16 Psal. 5.

nis(id eſt,populi & templi deſolationem adferens) nominetur. *Cum ergo &c* id eſt, vt aliquod ſignum vobis dicam quando immineat omnino ciuitatis euerſio, ac deſolatio prouinciæ, aduertite ad iſtud. *A Daniele propheta* Hinc confutatur Eraſmus, qui in expoſitione ſymboli apoſtolici, occaſione prologi Galeati D. Hieronymi, dicit Hagrographos ſcriptores, inter quos eſt Daniel, non habere magnam authoritatem, propter quod in Marcum ſcribẽs dicit hanc partem à quopiam alio quã ab Euangeliſta Euangelio inſitam eſſe, contra omnium veterum ſententiam. Sanè ſic etiam Pſalmorũ eneruaretur

Dan. 9. authoritas, quos tamen citat Chriſtus ſicut & Danielis prophetiam. *Qui legit intelligat.* Danda eſt diligens opera vt intelligatur caput illud Danielis, cũ propter eius difficultatem, tum etiã quia ex eo poteſt Chriſtus cognoſci: Clarè enim deſcribitur tẽpus aduentus eius in carne, & quod à Iudęis eſſet occidendus, in cuius ſceleris vltionem & cæcitas & omnia quæ hic deſcribũtur mala illis cõtigerũt. *Tunc qui in Iudæa ſunt* Dirigitur ſermo non ad Apoſtolos qui obſidionis tẽpore per Ceſtiũ factæ, vel defuncti erant, vel in alias orbis partes diſperſi, ſed ad eos qui tum Iudæam incolerent, *fugiant ad mõtes* id eſt, regiones montanas, trãs Iordanẽ, circa Ara-

Euſe. lib. 3. eccleſ. hiſt. ca. 5. biæ & Traconitidis, ſimiliumue partium tractus, vbi tranquillè & pacificè actum fuit. Ex Euſebio, & Epiphanio conſtat multos Chriſtianos, & Iu-

Epiphan. in hære. Hebionitarum. dæos diuino oraculo admonitos, imminente Iudææ exterminio per arma Romanorum ad Agrippam regem, qui ſemper cum Romanis coluit amicitiam, & fidem(cuius in actis fit mentio) confugiſſe, & ſub eius tutela ſecuros vixiſſe. *Et qui in tecto &c.* His duabus ſententijs non videtur aliud pręcipi, quàm fugam ita eſſe maturandam, vt omniũ aliarum rerum cura illi poſtponatur, ne fortè ſi colli-

colligendis rebus quisque incumberet præoccupatus, communibus Iudæorum malis inuolueretur: Quod Matthæus & Marcus habent: Qui super tectum, Lucas expressit: Qui in medio eius, Iudeę, scilicet. Habet & alium huius loci sensum D. Augustinus epistola ad Hesichium, sed mysticum. *epist.80*

Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus, id est, magna miseria imminebit gestantibus vterum, & lactantibus; quia videlicet vteri, vel filiorum sarcina multùm impediet celeritatem fugæ, neque poterunt matres tam facilè filiorum obliuisci, quā vestimentorum, vel rerum domesticarum. Potest etiam secundùm Theophyla. respici ad famis vehementiam, quæ obsidionis tempore matres quasdā sese filiorum carnibus pascere coēgit: cuius exēplū est apud Iosephum, & forsitan ex Deut. Idē colligi potest: sed & Christus apud Lucam: Venient inquit dies in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, rem istam videtur designasse: *Orate autem ut non fiat fuga uestra in hyeme.* Facilè est intelligere quot sint hyemis incommoda, quæ fugam remorari possunt. *Vel sabbato*, id est, tali tempore quali non licet procul fugere, aut celeriter ambulare, quod necessum erit, vt fuga sit & longa & accelerata. Non præcepit Christus his verbis Christianis illius temporis sabbati obseruationem (nam legalia tunc erant abolita) sed figuratè significauit tempus, fugam longinquam impediens, quale erat sabbatum, lege adhuc habente vigorem. *Lib.7. de bello Iuda. Deut.28 Luc.23.*

Erit enim tūc tribulatio magna. Causam reddit cur tūc ex Iudæa debeant fugere, cùm viderint abominationem desolationis stantem in loco sancto. Tunc quum scilicet aliquamdiu steterit abominatio desolationis in templo, erit tribulatio magna in tota Iudæa, *qualis non fuit ab initio mundi usque modo.*

Hanc partem sic Lucas exprimit: Erit enim pressura magna super terram & ira, id est, vindicta populo huic scilicet Iudaico, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes Gentes; & Hierusalem calcabitur à Gentibus. Quibus verbis manifestum fit hunc locum Matthæi ad excidium Iudaicum pertinere. Certè hanc tribulationem sic à Iosepho descriptam esse scribit Augustinus, vt vix credibilis videatur. Meritò ergo & talis tribulatio, nec ab initio creaturæ fuisse, nec vnquam futura in populo Iudaico perhibetur, nam Antichristi persequutio tametsi omnes præcedentes fortè superatura sit, illam tamen non sunt Iudæi passuri, sed potiùs Christianis illaturi: vtpote qui illum alium in nomine suo venientem sunt excepturi. Istud *Neq; fiet* à Græcis legitur (Neque fiat) vt sit deprecantis tantam calamitatem, quanquam modus optatiuus sæpe Græcis pro tempore futuro capiatur. Inquiri hic meritò posit, an prædictio hæc de nũquam futura tali tribulatione, aliud significet quã fore eam maximam sine comparatione ad alias, sicuti de Ezechia, & Iosia dicitur quod neque ante, neque post eos similes reges fuerint, qui ita adhęserint Domino: quibus verbis non Dauidi præferuntur, sed tantùm sanctissimi fuisse dicuntur. Non autem ad solam Hierusalem hæc mala deuenisse, sed ad totam Iudæam, etiam ad Samariam, & Galilæam. Item magnitudinem excidij Iudaici ostendunt Iosephus, & Eusebius. *Et nisi breuiati fuissent illi dies &c.* Augustinus in epistola ad Hesichiũ: Lucas (inquit) patefecit ad expugnationem Hierusalem pertinere quod dictum est de dierũ breuiatione propter electos, quia & si id ipse non dixit; dixit tamen apertiùs cætera de hoc ipso, quo hoc ipsum pertinere mõstratur, nõ enim debemus ambigere, quando euersa est Hierusalẽ, fuisse in illo populo

Ioan. 5. — *4. Rech. 18.* — *Ios. li. 5. c. 3 & sequent. Lib. 3. c. 11. & 3. Toto etiam lib. 6. & 7. de bell. Iud. Euse. lib. 3. eccles. hist. ca. 5 6. 7*

pulo electos Dei, qui ex circuncisione crediderant, siue fuerant credituri, electi ante mundi constitutionem, propter quos breuiarentur dies illi, vt tolerabilia mala fierent, nam quidam conuenientiùs mihi intellexisse videntur, mala ipsa significata nomine dierum, sicut dicti sunt dies mali in alijs diuinæ scripturæ locis. Ipsa ergo dicta sunt breuiari, vt Deo donante tolerantiam, minùs sentirētur, ac sic quæ magna essent, breuia fierent. Sensus ergo est, nisi magna ista mala quæ cōtingent in illis diebus Dominus Deus faceret leuia, & parua donando magnam patientiam, & robur spirituale patientibus ne eis succumbant per impatientiam, nō saluaretur electus in die iudicij. Multi etiam fuissent in infidelitate mortui, si bellum diutiùs fuisset protactum, qui eo finito crediderunt in Christum. Maiora itaque diuturnioris belli supplicia Iudæi meriti fuerunt, quàm passi sunt propter electorum salutem. Sic Ezechiæ, qui statim mori debuerat, relaxati sunt quindecim anni vitæ. De quo videatur Hieronymi commentarius. Probabilis nō est commentarius Chrysostomi, verba illa (*non fieret salua omnis caro*) intelligentis de internecione corporali: Primùm enim multi Iudæi ad Agrippam, & Arabes confugerant extra omne periculum, deinde quia Christus in Euangelio vbi de electis, de hominum saluatione, vel damnatione agit, diem iudicij respicere solet. Mysticam dictorum malorū intelligentiam habet Frederi. Nansea. Tunc si quis vobis dixerit &c. Verisimile est hic fieri transitum ad secundum Saluatoris aduentum post prænunciatum Hierosolymitanum excidium, in quo quęcunque gesta sunt, non malè accipi possunt tanquā figuræ eorum quæ circa extremum iudicium cōtingent, nam secundum Christi aduentum, sicut & Iudæorum euersionem, pręcedent bella, seditiones odia,

In Homil. Domini. 25. post Trini.

odia pestes, terræ motus, Pseudochristi impostu-
ræ. Videmus per Turcam Christianorum regna
subuerti, & eadem sese mutuis vulneribus cõficere
sed & hæresiarcharũ numerus ingens iam se pro-
didit, & multos seduxit. Ecclesia etiam vniuersa,
tunc maximè à persequiutoribus, & impijs tribula-
tionem patietur, soluto Satana de carcere suo, &
castra sanctorũ, ciuitatemq; dilectam spiritualiter
& corporaliter impugnante. De quo consulatur
Apo.20. Daniel, & Augustinus. Exurget insuper abomina-
Dan.7. tio desolationis Antichristus, qui iuge sacrificium
Lib.20.de auferet, cuius præcursores sunt Sacramentarij no-
ciuit. Dei stri. Quamobrem tunc erit verè tribulatio qualis
cap.11. nunquam antea fuit. Veruntamen propter electorũ
salutem, tres tantùm annos cum dimidio vastatio
durabit. Postremò quod dicit Math. de fuga ineũ-
Dan.12. da tempore excidij Iudaici, & non debere quẽquã
descendere de tecto, vt tollat quippiam de domo
Luc.17 sua: Lucas ad literam refert ad diem iudicij, allu-
dens ad ea quæ contigerunt circa Hierusalem. De
Epist.ad quibus verbis sic loquitur Augustinus: Quod di-
Hesichium. ctum est (inquit) qui in tecto; non descendat &c. po-
test cõgruentiùs intelligi spiritualiter, quia in om-
nibus tribulationibus cauendum est, ne quisquam
deuictus ad carnalem vitam de spiritali descendat
sublimitate, aut qui profecerat in anteriora se extẽ-
dens, deficiendo in posteriora respiciat. Quod si in
omni tribulatione est cauendum, quanto magis
in illa cauendum præcipi debuit, quæ talis futura
prædicta est illi ciuitati, qualis non fuit ab initio,
neque fiet: & si in ista; quantò magis in illa quæ
nouissima futura est orbi terræ, id est, Ecclesiæ to-
Lib.2.quæ. to orbe diffusæ. Eadem ferè habet & alibi.
euang.c.41 *Tunc si quis uobis dixerit*. Transit hic Christus ad
finem sæculi, & hoc valdè conuenienter, Mos
enim est ille prophetarum, vt prædicant aliquam
historiam

historiam corporalem quæ figura sit alterius rei, v à figura transeant ad figuratum: & de vtroque tanquam de re vna loquantur. Sic Esaias à primo cap. vsque ad 12. Ita texit historiam de Christo nascituro, & paucis Iudæis per Christum saluandis, vt tamen prædicat etiam liberationem à Sennacherib Ezechiæ & paucis Iudæis concessam, per quos designabantur reliquiæ Iudæorum, qui Christum venientem in propria receperunt. *Tunc igitur*, id est, in tempore per tempus Hierosolymitani excidij figurato. Potest etiam (tunc) incertum tempus significari, vt non connectantur quę deinceps sequuntur cũ prioribus, quasi eodẽ tẽpore essent futura, quomodo apud Matthæum accipitur illud: In diebus illis venit Ioannes Baptista, & In diebus illis audiuit Herodes &c. *Ecce hic est Christus, aut illic*, id est, hoc loco versatur Dominus, Christus ille promissus. *Nolite credere*, non enim sicut quondam verus Christus in paruulo angulo terrræ apparuit, & demonstrari debebat, vtpote non omnibus conspicuus, ita postmodum rursus apparebit, sed quisquis ita veniens pro Christo haberi volet, is certè Antichristus erit. Nobis igitur his verbis Christus insinuat se nunquam corporaliter in terris appariturum post suam in cœlos ascensionem. (Nam & Paulo apparuit, & in Cronicis Marcellini comitis Monaxio & Plinta cõsulibus indictione 2. scribitur in monte Oliueti apparuisse, quod & aliæ historiæ testantur) sed significat se non deinceps in terris conuersaturum, neque Doctorem, aut regem Israël acturum, quod Pseudochristi isti facient magno timore sese Christos dicentes. *Surgent enim Pseudochristi* ante, & circa extremum iudicij diem, quorum princeps erit Antichristus: cæteri enim Pseudochristi, meritò præcursores eius dici possunt, quales fuerunt: Is, qui apud

Cap. 3.

Cap. 13.

1. Cor. 15

Monasterienses sese regem constituit,& orbis mō-
strum Mahometus, quem quidam Antichristum
existimant, sed improbabiliter, nam dicit Mat-
thæus quod Antichristus cum suis dabunt signa,
& prodigia quæ ille non fecit. *Et Pseudoprophetæ* ta-
les sunt omnes heresiarchæ, qui nunc magno nu-
2. Thess.2. mero prodierunt Antichristo præmissi. *Et dabunt*
Apoc.13 *signa magna & prodigia.* De his loquitur Apostolus,&
Ioannes in Apocalysi, vbi signa duo ponit, nempe
quòd ignis descendet de cœlo, & quòd imago be-
stiæ spiritum accipiet,& loquetur. Anabaptistæ ia-
ctant sese quædam miracula facere (vt quòd quis
inuisibilis procedat)sed inania planè & dæmonum
ope subnixi: quæ non nisi quoad nos miracula di-
ci merentur,qui virtutem creaturarū ignoramus.
Differentiam miraculorum quæ à veris Christia-
nis fiunt ad veri alicuius probationem, & quæ ab
Lib.83. qu. impijs & magis patrantur, habent Diuus August.
quæst.79. & D.Thomas. Certè Apostolus signa ista dicit fo-
par.1.quæs. re mendacia,sed dubium est,an quia nō erunt ve-
110.art.4. ra signa,sed phantasticæ hominum illusiones, an
verò quia etsi vera sint signa,ad mendacium tamē
Lib.20. de pertrahent seducendos,ita appellentur. De quo vi-
ciuit. Dei de Augustinum. *Ita ut in errorem inducantur si fieri po-*
cap.19. *test etiam electi.* Tanta, inquit, erunt prodigia & signa
vt electi seducerentur ad credendum pseudochri-
stis,si seduci possent. Notandum autem scriptu-
ram sacram maximè remouere ab electis, & præ-
destinatis hæresim, & separationem ab Ecclesia
quanquā enim omnes electi in fine vitæ à morta-
libus peccatis liberabuntur;in hac tamen vita, vbi
semper latet qui sint electi,qui reprobi,nullum vi-
detur esse maius argumentum reprobationis, quā
esse hæreticum,vel schismaticum:tales enim diffi-
cillimè corriguntur,aut ad pœnitentiam verè re-
deunt,quia fundamento,nempe fide & Ecclesię so-
cieta-

cietate carent: vnde Paulus post vnam, atque alterã correptionem, vult hæreticum vitari, tãquam planè subuersum. Similia habet in epist. ad Hebręos. Tale est, & illud: Oportet hæreses esse, vt probati, id est, prædestinati manifesti fiant in vobis. Et exciderunt quidã à fide, sed firmum Dei fundamentum stat. Cognouit Dominus qui sunt sui, quasi diceret: ex lapsu à fide, probabiliter colligitur Dominum non eum inter suos agnoscere. Ioannes verò: Si fuissent ex nobis (inquit) permãsissent vtique nobiscum, sed ex nobis exierunt, vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis. Meritò igitur hic impossibile esse dixit Christus, magnitudine persequutionũ electos à fide abduci diuinæ prædestinationis fundamento stabilitos. Intelligẽda est autem finalis seductio: nam tametsi rarò hæretici aut schismatici ad cor redeant, tamen electi ad tempus seducti ad fidei vnitatem reuertuntur. Cùm verò dicitur non posse electos seduci; nõ est intelligenda absoluta salutis necessitas, aut nõ posse eos vsque ad vitæ finem peccare. (Iustus enim laudatur, qui potuit transgredi, & non est transgressus. Et Augustinus testatur, non posse peccare, fore in cœlo præsentis iustitiæ mercedem.) sed perseuerantiæ certitudo oritur ex infallibili diuinæ electionis proposito, quo sic electos diriget, & tanta gratia firmabit; vt per per sui nihilominus arbitrij libertatem constanter in fide, & charitate perseuerent. Quàm admirandæ autem fortitudinis futuri sint qui Sathanam solutũ superabunt, ostendit Augustinus. *Ecce prædixi vobis.* Deus, inquit Augustinus non solùm bona quæ sanctis & fidelibus suis est redditurus, verùm etiã mala quibus erat hic mũdus abundaturus ante prædixit, ante conscribenda curauit, vt bona post sæculi finem sequutura certiores expectaremus, quàm mala similiter prenũciata

Heb. 10. *1. Cor. 11* *2. Timo. 2.* *Eccles. 31* *August. de cor. & gra. ca. 11. de uocatio. gent. lib. 1.* *Lib. 20. de ciuit. Dei cap. 18.* *Epist. 37.*

ciata ante sæculi finem præcedentia sentiremus. *Si ergo dixerint uobis*, scilicet discipuli Antichristi, siue pseudoprophetæ. Hilarius: Pseudoprophetę nūc in desertis Christum esse dicent, vt homines errore deprauēt. nunc in penetralibus asserent eū esse, vt homines dominantis Antichristi potestate cōcludant: sed Dn̄s se nec loco occultandum, nec à singulis seorsim contuendum esse profitetur, sed vbique & in conspectu omnium, præsentem se futurum esse denunciat. *Ecce in deserto est*, scilicet Christus, *nolite exire* ad audiendum vel videndum eum, quantumuis ad eum multi concurrant: huiusmodi certò est Antichristus. *Sicut enim fulgur &c.* Sicut fulgur non eget iudice, vel præcone, sed momento temporis conspicitur ab oībus. Ita secundus Christi aduentus simul vbiq; omnibus apparebit propter gloriosum ipsius fulgorē. Non erit igitur secūdus Christi aduentus humilis & obscurus, sicuti prior, sed gloriosus & omnibus cōspicuus. propter quod apostolico vel prophetico testimonio nō debebit annunciari neq; angusto loco requiri, cuius iubar totum mundum illustrabit. Augustin. in his euāgelij verbis intelligit significari doctrinā Christi in Ecclesia catholica per totū orbem esse manifestā vnamquamq; autē hęresim, & schisma partē aliquā tenere, vel occultis conuenticulis curiositatē hominū decipere. *Vbicunq; fuerit corpus illuc congregabuntur & aquilæ.* Agit de loco in quo Christi aduentus conspicietur. Vtitur enim ijsdem verbis Christus, quibus cū ab Apostolis interrogaretur apud Luc. vbi in secundo suo aduentu appareret: etiamsi Beda alium illius interrogationis sensum reddat, de electorum videlicet ad Dominum suum assumptione, de qua nulla apud Matth. fit mentio. Indicat igitur Dominus cōspicuum se fore in illo die, vtpote nō aliter cinctū sanctorū præsentia quā vultures, & aqui-

Cano 25. in matth.

Aug. lib. 1. quæ. euang. cap. 38.

Luc. 17.

& aquilæ ad cadauer concurrere solent. Significat hoc Paulus dum ait: Mortui resurgent primi, deinde nos qui viuimus, rapiemur simul obuiã Domino in aëra. Christus se comparauit cadaueri quo satiantur aquilæ, quia per mortẽ eius, omnes sancti ad æternam satietatem peruenient: sanctos autem resurgentes, vel immortales aquilis comparauit, quia videlicet renouabitur eorum iuuentus à Christo in resurrectione, & corpus eorũ adeo spiritale fiet, vt per hoc non impediantur quo minùs celerrimè ad Christum rapiantur. Sic Psalmista comparat sanctos aquilis propter renouationem. Et Esaias propter velocitatem motus, & agilitatẽ. De natura Aquilæ vide Augustinum & Hierony. Aquilæ naturam etiã explicuit dominus Iob cap. 49. De loco in quo cum sanctis apparebit Christus ad iudicium. Vide Magistrum sententiarum lib. 4 distinct. 48. Citat is beatum Remigium ex Commentarijs in 3. cap. Ioëlis. Vbi tamen exẽplar Antvverpiæ excusum non habet omninò quod ab eo citatur. Sedebit quidem in spatio aëris, sed incertũ an in valle Iosaphat vicina monti Olineti, an verò supra locum suæ passionis. Cùm enim Iosaphat significet iudicium, significari potest sessurus in valle iudicij, id est, singulos iudicaturus, & peccatores dãnaturus. *Statim autẽ post tribulationẽ dierũ illorũ* sol obscurabitur, & Luna &c. locus hic admodũ est difficilis quia propheticus est & de futuris agit, & quia periculosum est de sent. docto. Eccle. iudicare, eas hic recensebimus. Aug. in epist. ad Hesichium: Hæc, inquit, inquit, in Ecclesia meliùs existimo intelligi, ne Dñs Iesus appropinquãte secũdo aduẽtu suo ea pro magno prædixisse videatur quæ huic mũdo, & ante primũ eius aduentum consueuerãt euenire: & irrideamur ab eis, qui his, quę velut nouissima, & omniũ maxima horrescimus, plura in historia

1. Thess. 4.
Psal. 102.
Esa 40
August. in Psal. 102.
Hierony. in 40. c. Esa.
Epist. 80
Prima interpretatio huius loci.

historia Gentium,& multò maiora legerunt &c. Intelligit igitur August. statim post inchoatam tribulationem pseudochristorum & pseudoprophetarum ac potissimùm Antichristi, Ecclesiam quæ instar Solis ac Lunæ fulgebat obscurãdam: sanctos qui tanquam stellæ quædam in Ecclesię cœlo splẽdere videbãtur, cessuros persequutionibus & amisso gratiæ fulgore casuros: firmissimas fideliũ, qui tam firmi sunt quàm cœlorũ cardines, aut qui robur suum habent ex gratia cœlesti turbandos. Ideo autem post tribulationem dierum illo dicitur hoc futurum, non quia transacta illa tota persequutione accident ista, sed quia pręcedet tribulatio, vt sequatur quorundam defectio: & quia per omnes dies illos ita fiet, ideo post tribulationem dierum illorum, sed tamen in ijsdem diebus fieri dicitur.

Dan.8. Nec absurda videbitur hæc Augustini expositio, si cogitetur quod à Daniele de Antiocho illustri scriptum est, quod videlicet magnificatus est vsque ad fortitudinem cœli, pro quo hic dicitur virtutes cœlorum: & deiecit de fortitudine, id est, quosdam fortes, & de stellis, id est, populum sanctorum, siue communes sanctos qui fulgent sicut stellæ, & conculcauit eas. Quæ verba Gabriel Danieli interpretans: & interficiet, inquit, robustos, & populum sanctorum secundùm voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius. Quod autem sequitur. *Et tunc apparebit signũ filij hominis in cœlo, & tunc plangẽt omnes tribus terræ.* August. in supra dicta epistola nõ interpretatur, sed ex ijs quæ iam dicta sunt, & postea subdit exponens illud. Videbunt filium hominis &c. intellectum fuisse videtur. Tunc in sanctis qui non cadent, sed permanebunt in gratia cœlesti apparebit signum Christi, thau videlicet, quod
Ezech.9 Ezechiel super lugentes describi testatur, & quod
Apo.7. Ioannes in Apocalypsi vocat signum Dei viui, quo

dicit frontes seruorum Dei signari. Hoc ergo signum apparebit coram angelos qui mittẽt impios in caminum ignis, vt istos signatos non lædant: hoc est Angeli cognoscent ex eorum perseuerantia quod sint prædestinati ad vitam æternam. Meritò autem vocatur perseuerantia signum filij hominis, sicut in Ezechiele vocatur signum thau id est crucis, quia per gratiam Christi, & crucem eius dabitur sanctis istis fides perseuerans, & per Christi sanguinem ignoscentur eis peccata, vt angelis percussoribus non sint obnoxij, sicut quondam filij Israel in AEgypto per sanguinẽ agni postibus illitum á percussore angelo defensi sunt. Et tunc omnes tribus terræ plangent, id est, omnes electi signo Christi notati, sua peccata deplorabũt, & abominationes antichristianorum: hos enim Ezechiel, ingemiscentes scilicet, super cunctis abominationibus terræ signo thau signari testatur. Dixi, omnes electi: impij enim dicent, Pax & securitas, ducent vxores & filias dabunt nuptui, & lætantes celebrabunt conuiuia, & postea repentinus eis superueniet interitus. Videtur autem Dominus hoc loco respicere ad hanc Zachariæ prophætiam: Effundam super Dauid spiritum gratiæ, & super habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ, & precum, & aspicient in me quem confixerũt, In me, á patribus suis, seù Romani, seu Iudæi illi sint, crucifixum. Et subdit postea quod viri & mulieres seorsim plãgent. Quæ oĩa videntur de sanctis, nõ de impijs dici; soli enim illi habent spiritum gratię, & precum hi soli vocantur spiritalis domus Dauid, & habitatores Hierusalem, soli isti aspiciunt ad Christum, quem in maioribus suis seu Iudæis seu gentilibus confixerunt: aspiciunt (inquã) eum, dũ plangentes sese infectos esse veneno serpentis antiqui, oculos fidei conuertunt ad Christum crucifixum, *Zach. 12*

fixum, tanquam ad serpentem æneum, vt ab eo sanentur. Plangunt verò Christum, siue mortem Christi, dum peccata sua deflent, propter quæ tam indigna Deus passus est. Plangunt autem viri sancti seorsum, & mulieres seorsum, quando pœnitentiam agentes, student castitati. Omnia hæc maximo feruore in fine sæculi fideles præstabunt. Iam quod & sequitur. *Et uidebunt* scilicet impij, *filium hominis uenientem in nubibus cœli.* Intelligit Augustin. de aduentu Christi, quo venit in Ecclesia, tanquam in nube, sicut etiam nunc venire non cessat: in suis enim veniens agnoscitur, dum quotidie eius membra fiunt. Sed ideo tunc cũ potestate magna & maiestate, qua maior potestas illius apparebit sanctis, quibus magnã virtutẽ dabit, ne tanta persecutione vincantur. Sanctos autẽ nubes in scri-
Esa, 5. pturis appellari probat illud Esaiæ: Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrẽ. Similiter quod sequitur. *Et mittet angelos suos cũ tuba & uoce magna* intelligit de prædicatoribus euangelij, qui per totum orbẽ terrarũ mittũtur, vt clarè proponant euangeliũ, & cõgregent in vnitatẽ fidei & Ecclesiæ sanctæ electos Dei. Hanc tamen expositionẽ suam probat
Epist. 80 Aug. ex eo quod sequitur. Cùm videritis hęc omnia, scitote quia prope est regnum Dei. Quæ (inquit) intelligere oportet, nisi ea quæ supra commemorata sunt? in his est autem etiã quod ait: & videbunt filiũ hoĩs venientẽ &c. Proinde etiã hoc cũ visum fuerit, nõ iã erit regnũ Dei, sed prope erit. Et infrà Matth. aperuit inquit, nullis exceptis accipiẽdũ esse quod positũ est: Cũ videritis hæc fieri. quia Matth. dicit: Cũ videritis hæc omnia, scitote, quia propè est in ianuis. Tunc ergo scimus prope esse, cũ viderimus non aliqua eorũ, sed hæc oĩa in quibus & hoc est: quod videbitur filius hominis veniens, & mittet Angelos suos & de quatuor mundi partibus,

bus, id eſt, de toto orbe terrarum: quod tota hora nouiſsima facit, veniens in ſuis membris tãquam in nubibus, vel in tota ipſa Eccleſia, quod eſt corpus eius, tanquam in nube magna, fructificante, atque creſcente in vniuerſo mundo, ex quo cœpit prædicare, & dicere: Agite pœnitentiam; appropinquauit enim regnum cœlorum. Ita vt fortaſsis omnia quæ ab his tribus euangeliſtis dicta ſunt de eius aduentu, diligentiùs inter ſe collata & diſcuſſa, inueniantur ad hoc pertinere, quod quotidie venit in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, exceptis his locis, vbi ipſe ſuum vltimum aduentum in quo per ſeipſum viuos iudicaturus & mortuos, ita promittit, vt propinquare dicatur. Et quod in vltimo ſermonis ſecundùm Matthæum ipſe omnino aduentus euidenter exprimitur. Cùm venerit filius hominis inquit, in maieſtate ſua &c. Atque hæc quidem de Auguſtini ſententia, aduerſus quam tamen ex Apoſtolo magnum fieri poteſt argumentum, vbi loquitur de aduentu Iudicis in nubibus, & raptu fidelium in aere, de tuba & angelis miſsis ad electos congregandos. *ſup. c. 4. 3.* *1. Theſ. 4.*

Cæterùm Hieron, & Chryſo. aliam habent huius loci expoſitionẽ: intelligũt enim ſtatim poſt tribulationem dierum illorum in quibus Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, facient prodigia & tribulabunt electos, venturum Chriſtum Dominum, cuius fulgore Sol & Luna quodammodo offuſcabuntur. Non enim ſydera tam die quàm nocte lucentia, luminis diminutione obſcurabũtur, cùm ex Eſaia conſtet, quod ſol lucebit ſeptépliter: ſed maioris lucis interuentu· propter quam cauſam, etiam ſtellæ caſuræ dicuntur de cœlo. Cui addi & hoc poteſt, quod electis nullus erit vſus ſtellarum, vtpote quibus non erit diei & noctis viciſsitudo, vt eſt in Apocalypſi cap. 21. *ſecũda interpretatio.* *in cõment.* *Hom. 77 in Matth.*

Ori-

Tract. 3. 2. Epist. ca. ultim.

Origenes intelligit obscuranda luminaria, quia pre fumo illius ignis, *quem Petrus dicit tabefacturum in die aduentus Domini coelum & elementa*, sol & luna & stellæ, non apparebunt dum Christus Dominus aduenerit. At ita supradicti patres dicunt ista signa ipso secundi aduentus Christi tempore euentura, nō autem præcessura secundùm August. sententiam, licet ipsi etiam differant in expositione obscurationis horum astrorum. Vnde & sequentia sic interpretantur. *Et uirtutes coelorum commouebuntur*, id est, mirabuntur angelorum multitudines videntes vniuersa mutari, & ab omnibus exigi vitæ suæ rationem. Annotanda est hic memorabilis apud Hieron. sententia. Si, inquit, iste sol qui nūc per totum orbem rutilat, & luna quæ secundum est luminare, & stellæ quæ ad solatium noctis accensæ sunt, omnesq; virtutes, quas angelorum intelligimus multitudines, in aduentu Christi in tenebras reputabūtur, decutiatur supercilium eorum qui se sanctos arbitrantes, præsentiam iudicis non formidant, sed semper sunt securi. *Et tunc parebit signum filii hominis*, id est, signum crucis, inquit Hieronym. seu vexillum gloriæ triumphantis. Apparebit autem signū crucis, teste Chrysost. vt Iudæorum inuerecundiā confutet tum in sui iustificationem. Hinc in Ecclesia canitur: Hoc signum crucis erit in coelo &c. sed & Michaelem signiferum Domini appellamus. Cuiusmodi verò quáue ex materia futurū sit illud signū, ignoratur. *Plangent oēs tribus terræ*: rectè, tribus terræ, inquit Hier. hi enim plangēt, qui municipatum nō habuerūt in coelis, sed scripti sunt in terra, id est, impij omnes, tunc enim dicent: Montes cadite super nos &c. Plangent autem, ait Chrysosto. quia visa cruce considerabunt quòd occiso eo nihil profecerunt: & quoniam crucifixerunt eū quem adorari oportebat. Et fletus quidem erit vt à seipsis pro-

Hom. 77 in Matth.

sis proferre sententiam,& seipsos condemnare cōspiciantur. Atque postrema hæc de planctu tribuū terræ,ita quoq; interpretatur August.ipse lib. 1. de Trinit.cap.13. Sed nec iste commentarius placet,vt signa hęc omnia ad ipsum momentum aduentus Christi pertinere intelligantur. Obstat enim ei Lucas,qui signa fore ait in sole, & luna ac stellis,signa, vtique aduentus Christi : at offuscatio luminariū posterior intelligi debet apparitione Christi,vt cuius præsentia & fulgoris magnitudine Sol & Luna sint obtenebranda. Rursus dicit Lucas, his fieri incipientibus appropinquat redemptio vestra ,& cùm videritis hęc fieri,scitote quia propè est regnū Dei: sed in descensu Christi non propè erit regnū Dei & redēptio nostra,sed iā tū erit, tū eni canet tu ba & mortui resurgent incorrupti. Signa igitur in Sole & Luna intelligenda sunt præcedere aduentū Christi. Nec satisfacit huic argumento Euthymius referens illud,his,in Luca,ad ea quæ Dominus dixit de pseudochristis & pseudoprophetis : nihil enim tale in Luca de pseudoprophetis præcedit,nisi in principio capituli de excidio Hierusalem . Debet ergo, vocula his,referri ad signa in sole & luna. Venerabilis Beda in Lucam retinere volens expositionem Hieronymi,putat aliud de sole & Luna à Matthæo aliud à Luca fuisse dictum : Verba eius hæc sunt. Quod enim ait Matthæus sol obscurabitur &c.ipsam iudicij præsentiam significat,quando apparente veræ gloria lucis, omnia mundi lumina tenebris vmbrisq; comparantur: Quod verò Lucas dicit,erunt signa in sole & luna,præcursores vicinos eiusdem iudicij quasi nuncios indicat. Sed quia idem omnino apud vtrosque Euangelistas est sermo,verisimilius est eadem illos de cœli luminaribus dicere.

Tertia expositio.

Est ergo & alia expositio vt statim post inchoa-

tam tribulationem dierum illorum dicatur luminaria cœli obscurari, cœlumq; ipsum nutare & moueri, non propriè sed per tropum, quia videlicet tāta futura sit sanctorum vexatio, tribulatio, ac tristitia vt fulgentissima etiam mundi luminaria tenebrescere eis videantur: & præ persecutionis angustijs penè eos vitę suę tędeat. Sic enim exponit Hierony. in Esaiā scribens, vbi similia leguntur de obscuratione luminariū & turbatione cœli, quo modo etiam intelligendus est locus Ezech. & Amos. Sed secundū hunc cōmentariū non distinguerētur signa quæ erunt in luminaribus à pressura quę erit in terris, quæ tamen Lucas videatur distinguere: neque tunc propriè fierent signa in luminaribus.

cap.13. *cap.32.* *cap.8.*

Quarta interpretatio. Proinde conuenientior fortè erit hæc interpretatio: Post tribulationem eam qua pseudoprophetæ blandimentis & signis tantùm, nondum autem aperta sæuitia Ecclesiam impugnabunt, & cœperit iam oriri, vel etiam finem acceperit cruenta illa sanctorum per impios afflictio, ante tamē Christi aduentum, obscurabuntur Sol & Luna, eritq; hæc obscuratio signum imminentis aduentus Christi, & stellæ cadent de cœlo, vel quia obscurabuntur & ita videbuntur cadere, vel in infimo isto aërio cœlo videbuntur aliquæ stellæ cadere, longè mirabiliùs quàm nunc similitudines stellarum ex aëre cadunt. Hanc expositionem subindicat Augustinus in epistola ad Hesichium dicens: Quid vnquam tale quisquam meminit apparuisse de cœlo ex quo Dominus illa prędixit, quale apparuit quādo passus est? Quare sic apparebunt etiam talia, si non spiritualiter potiùs intelligenda sunt, tunc apparebunt quando finis sic appropinquabit vt debeant apparere. Casum hunc stellarum similiter interpretatur lib. 20. de ciuit. Dei cap. 24. & pseudo. Chrysosto. in opere imperfecto. quo in loco non est ille

Epist. 80

est ille commentarius improbandus, tametsi in alijs multis Arrianis. Eandem rem habent Beda in Lucam & Rabanus in cathena citatus à B. Thoma. Atq; hæc expositio admodum mihi videtur probabilis, nam & ante excidium Hierosolymitanũ, quod figura quædam fuit perditionis mũdi huius, signa magna & terrores de cœlo apparuerunt, vt apud Lucam prædicitur, & refert Ioseph. Hęc tamẽ signa in sole Luna, & stellis non mouebunt impios quippe qui tũ dicturi sint pax, & securitas, vti nec in diebus Noë moti fuerunt impij omniũ ferarum ad arcã aduentu: nec in die passionis Christi Scribas & Pharisęos mouit, horrenda illa & pręter naturã accidens ecclipsis, vtpotè quæ cõtigit 14. luna quo tẽpore ipsa directè erat sub sole, nec eosdẽ sepulchrorũ apertio cõmouit, nõ petrarũ & veli pendẽtis in tẽplo discisio. Verisimile tamẽ est impiorũ nõnullos adiuuante Dei gratia per scripturarũ cõsideratiõnẽ, in quibus & alia & finis ipse prænũciatus est, quẽ instantẽ sentient, ad credendũ quod antea nõ credebãt, futuros esse promptiores, & firmiores, & ad superãdum etiã nõ ligatũ diabolum fortiores, vt ait Augu. lib. 20. de ciui. Dei. Virtutes cœlorum à B. Hier. agmina cœlestiũ spirituũ intelligi superiùs annotauimus, Eusebius citatus à Thoma in Lucã per virtutes cœlorũ intelligit fores, seu ianuas cœli quę aperiẽtur in die Iudicij. Thom. verò in additione 3. part. noĩe virtutũ cœlestiũ intelligit nõ quẽuis, sed certũ angelorũ chorũ, qui propriè virtutes appellantur quomodo nomen virtutum accipit Paul. Ephes. 1. ca. sed hoc minimè probabile est. Francis. Titelman. per virtutes cœlestes intelligit efficacias siue influẽtias, operationes corporũ cœlestiũ in hęc inferiora: quę ideo cõmouẽdæ dicũtur quia cœli non ita operabuntur in hæc inferiora sicut solent, quod quidem est verisimile.

cap. 8.

Quæst. 73. art. 3.

 Alij

Alij enim in Luca legunt præ confusione sonitus maris, id est, præ defectu fluxus & refluxus maris, quem luna non operabitur. Inquiri etiam potest an nomine virtutum non possint intelligi bases siue axes, fulcra, vel columnæ cœlorum, quæ ideo dicantur commoueri, quia vel in die iudicij, vel bante, cœlum ita turbaitur, & obtenebrabitur, vt videatur quodammodo minui vel complicari, &
Cap.34 nutare: vt idem hic dicatur, quod apud Esaiam: Tabescet omnis malitia cœlorum, & complicabũtur, sicut liber, cœli, & omnis militia eorũ defluet,
Apoc.6. sicut defluit folium de vinea, & de ficu. Et in Apoc. Cœlum recessit sicut liber inuolutus. Hoc autem, *Tunc apparebit signum filij hominis in cœlo*, sic exponatur vt est ab Hieronymo annotatum de signo crucis. In opere imperfecto Chrysostomo falsò asscripto, nomine signi filij hominis, intelligitur corpus ipsius Christi, habens adhuc vulnerũ suorum cicatrices, quas certum est fore conspicuas: Excutiendum relinquo, an hic possit horum verborum esse sensus. Obscuratio astrorum habenda est pro signo imminentis aduentus filij hominis, quasi dicat. Erunt signa in sole & luna, & hoc erit signum secundi aduentus filij hominis. *Tũc plãgent omnes tribus terræ* Retineatur Hieronymi commentarius supra positus, vt tunc, nõ ad tempus iudicium præcedens, sed ad ipsum iudicij diem referatur. August. intelligit duodecimum caput Zachariæ, ad quod hic alludi videtur, de planctu omnium omnino hominum in die iudicij, maximè Iudæorum. Mali enim plorabunt mortem Antichristi sibi non profuisse, boni verò plangent pietatis affectu recolentes, tã indignas Christi à peccatoribus passiones. Sic etiam intelligit Remigius siue Haymo (nam vtrique asscribitur idẽ iste commentarius) putans per viros, bonos designari

Lib.20. de ciuit. Dei cap.20.

per

per mulieres verò, malos. Planctum sanctorũ qui iudicium præcessurus est etiam ab Augustino intelligi supra annotauimus. *Videbunt filium hominis*, etiam impij, sed secundùm humanitatem. De quo vide Augustinum. *Venientem*, ex cœlo in hunc mũdum *in nubibus cœli*, sicut quondam in eis ascẽdit vt apertè docet Paulus. *Et mittet angelos suos*, Non est sequutus ordinem narrationis, inquit Euthymius, sed simpliciter quod futurum est dixit, nam Angeli descendent cum eo, non est autem eos vocaturus vbi descenderit. *Cum tuba* vel voce magnæ tubæ, sicut enim populus tuba ad solennitatem in lege vocabatur, ita sancti ad æternam solennitatem. De hac tuba etiã loquitur Apostolus Paulus ad Thessalonicens. & Corinth. scribens. Tubæ nomine aliquod euidentissimum & præclarissimum signum vult intelligi, inquit August. ad Honoratũ de gratia noui testamenti. Remigius verò dicit forè vocem archangelicam quæ adeò futura sit magna, vt ad eius clamorem omnes mortui de terræ puluere suscitentur ac resurgant: sed non indicat vniusne, an plurium archangelorum. De hac tuba consulatur Thomas in additione 3. partis, vbi etiam tractat angelos cooperaturos faciendę resurrectioni. Alij dicunt fore ipsius Christi vocem, iuxta illud Euangelij. Mortui audient vocem filij Dei, qua voce & Lazarũ euocauit è sepulchro. *Et cõgregabunt electos* tuba omnes excitabit, angeli excitatos congregabunt, congregatos rapient nubes obuiam Christo. Hic locus probabile facit quod dicit Remigius, tubam fore vocem archangelicam, quæ etiam vox Christi dicitur, quia eius iussu fiet. *A quatuor uentis*, id est, quatuor orbis partibus, vnde spirant quatuor venti, per quos totum orbem significauit. *A summis cœlorum usque ad terminos eorum.* Idẽ repetit alijs verbis. Ad verbum est, à summis cœlorum

Tract. 21. super Ioan.
Lib. 1. de trinit. cap. 13.
1. Thess. 4.
Ibidem.
1. Cor. 15
Epist. 120 cap. 34.
Quæst. 75 arti. 2. & 3.
Ioan. 5.
Ioan. 11

lorum vſque ad ſumma eorũ,ſiue à verticibus eorũ vſq; ad verticem eorum,ab vno polo vſque ad alterũ:quo ſermone hyperbolico nullũ electũ eſſe relinquendũ ſignificatur,quantumuis abſtruſo loco latuerit,aut cineres eius diſperſi fuerint. Similis loquutio eſt in Deut.Si ad cardines cœli fueris diſ-

Cap.30. ſipatus.Neq; verò electos tantùm,ſed & reprobos cõgregabunt,in caminum ignis mittendos:ſed hãc partem hic non adiecit Dominus, quia in conſolatione electorum occupatur.

Ita & uos cũ uideritis hæc omnia quæ ſcilicet præceſſura dixi aduentũ meũ,nẽpe,ſigna in luminaribus cœli,Pſeudochriſtos & ſpeudoprophetas facientes admiranda,& ſanctos affligentes.Hæc,inquã, omnia cùm videritis inchoari vel fieri, etiamſi necdũ finem acceperint,vnde Lucas,his fieri incipiẽtibus &c.Scitote valde propinquũ eſſe aduentũ meũ, & conſummationẽ ſæculi.Eſſe in ianuis prouerbialis eſt ſermo,propinquuũ eſſe quippiã ſignificans.Meritò proinde nunc dicere poſſumus propinquũ eſſe

Rom.13. Chriſti aduentũ;cũ Paul.ab hinc mille quingentis & amplius annis dicere auſus fuerit : Propinquior eſt ſalus noſtra,quã cũ credimus,id eſt cũ inciperet Eccleſia Dei in Chriſtũ credere.Tẽpus tamen certum definire non niſi diuinæ eſt ſapientiæ.

Amen dico uobis non præteribit generatio hæc. Confirmat præmiſſam narrationẽ,vt firmiùs res tã cognitu neceſſaria animis imprimatur. Triplex autẽ eſt loci huius expoſitio. Generatio enĩ hæc genus humanũ poteſt accipi,aut gens Iudæorũ,quã vtramq; expoſitionẽ habet Hieron.Chryſo.verò genus,ſeu populũ Chriſtianũ:quod poſtremũ valde propabile eſt,quia Salua.multa hic dicit in cõſolat.elector. ne putarẽt propter perſequutiones quas prædixit à perſecutorib.extinguẽdũ eſſe chriſtianiſm.antequã Chriſtus aduenerit. *Donec hæc omnia fiãt*,ſcilicet,quæcunq;

cũq; nũc vel de excidio Hierusalẽ, vel de fine sęculi prędicta sunt. *cœlũ & terra trãsibũt &c.* Faciliùs est cœlũ & terrã in nihilũ redigi, quam verba mea nõ cõpleri, aut falsitatẽ cõtinere. Huiusmodi sermonis phrasi in re simili vsus est Luc. Faciliùs est, ait, cœlũ & terrã præterire, quã de lege (quæ & ipsa verbũ Dei est) vnũ apicẽ cadere, quibus verbis nõ dicũtur cęlũ & terra trãsitura, sed magis cõtrariũ, significãtur enĩ duo impossibilia, sed alterũ impossibiliùs, quõ suprà dixit: Faciliùs est camelũ intrare per fora mẽ acus, quã diuitẽ intrare in regnũ Dei. Sic Chry. Alij verò accipiunt Christũ asserere verba sua esse stabilissima, quę mutari nõ possint, quomodo cœlũ & terra mutabuntur, ac si dicat: Cœlũ & terram possibile est mutari, vel mutabilia sunt, verba verò mea nullã mutationẽ recipere possunt. Neq; tamẽ iuxta hanc sententiã cœlũ & terra abolitione substantiæ, sed tãtùm innouatione qualitatũ interibũt, vt testes sunt Hieron. August. Methodius martyr citatus ab Epiphanio in hæresi Origenis. Vide etiã Augustin. de hæresibus ad Quodvultdeum. *Luc. 16.* *In comment.* *Lib. 10. de ciuit. Dei cap. 18. & 24.* *Hæres. 67.*

Die autem illa & hora. Quia poterant Apostoli interrogare determinatum tẽpus aduentus Christi, præuenit eos, & dicit: De die illo quo scilicet veniã siue reuelabor, nemo scit, nemo determinatè nouit tẽpus aduentus mei. Dies & hora forsitã in hoc differũt, quod dies significat tẽpus quatenus voluminibus spatiorũ trãsit, hora aũt significat tẽpus quaten' est oportunũ vel importunũ ad aliquid agẽdũ sicut dicere cõsueuim' noctẽ esse tẽpus quietis, vel tẽpus studiorũ, id est, multũ studijs idoneũ. Certè eos qui hoc loco volunt per diẽ & horã intelligere diẽ & horã propriè dicta, satis refutat Domin', vbi dicit; Non est vestrũ nosse tẽpora, vel momẽta &c. quæ hoc loco diei & horæ noĩbus appellãtur. Hãc Dñi sent. tractãs Aug. epist. ad Hesichiũ, docet non *Act. 1.* *Episto. 78. & 80.*

posse intra vllos seu maioris, seu minoris numeri annos Christi aduentum definiri. Et lib. 83. quæst. vltima, inquit, generis humani, quæ incipit à Domini aduentu vsque in finem sæculi, quibus generationibus computetur incertum est: Et hoc vtiliter voluit Deus homines latere, sicut in Euangelio scriptum est, & Apostolus attestatur dicens: Diem Domini tanquam furem in nocte esse venturum. Et alibi: Solet, inquit, quæri quando erit istud (Christi scilicet aduentus) importunè omnino, si enim hoc nobis nosse prodesset, à quo melius quàm ab ipso Deo magistro interrogantibus discipulis disceretur &c. Et infrà: Non vtiq; illi de hora vel die vel anno interrogauerant quando illud accipere responsum, scilicet (non est vestrum nosse tempora vel momenta) frustrà igitur annos qui huic sæculo remanent computare, ac definire conamur, cùm hoc scire non esse nostrum ex ore veritatis audiamus, & infrà: Omnia de hac re calculantium digitos resoluit, & quiescere iubet ille, qui dicit: Non est vestrum scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate. Docet etiam alio loco B. Augustinus, nullum prophetarũ determinatè omnino prædixisse aliquod tempus Christi aduẽtus. Quo loco deprauata est vulgaris lectio, sic restituenda. Vnde credibiliùs est non Deum voluisse sciri, sed noluisse prædicari: quod noluit prædicari, quia videbat non vtiliter sciri. Imò nec Apostoli qui primitias habuêre spiritus sancti hoc sciuerũt, non videntur igitur posteriores hoc cognituri. Ex ijs quæ iam dicta sunt, videtur illud Augustini, vtique dicturus erat discipulis suis tempore oportuno, de die & hora iudicij: referendum ad tempus futuri iudicij: tunc enim oportunum erit Apostolis, vt sciant diem iudicij: vel refertur ad beatitudinem in qua nunc sunt: quanquam id minùs placet,

Quæst. 58.

1. Thess. 5

Lib. 18. de ciuit. Dei cap. 53. Vide eundẽ lib. de Gen. cont. Man. cap. 24.

Epist. 80

Lib. 1. de trin. ca. 12

cet,

cet,nam & Angeli etiam nunc diem illum ignorāt. Vnde putârim nec Apostolos nunc in cœlis agentes scire diem illum: ac fortaſsis ne B. Virginē quidem,quod tamen affirmare non ausim. Rursus quod alibi Augustin. interpretatur mille annos de quibus Apoc.cap.13.pro spacio sexti millenarij,cuius tempore Augustini posteriora spacia voluebātur,quasi euoluto hoc sexto millenario, velut sex diebus, mundus finiretur: non est accipiendū tanquam ex ipsius dictum sententia,sed Christianorū, quorum mentionem ibidem fecerat. Veram enim & germanam ex sua sententia interpretationē etiā ibi proponit. Quod autem eodem loco dicit Chiliastorū opinionē fore vtcūque tolerabilem, si in septimo millenario non carnales, sed spirituales pollicerentur delicias, id hoc sensu accipiendū est, quod tunc minùs futura sit intolerabilis. Dicebant enim completis sex annorum millibus sæculum hoc laboriosum finiendum,vt sex diebus vniuersa mundi machina creata est, computatis pro quolibet die mille annis. Huius erroris fuit Irenæus Martyr,Lactantius,Tertullianus lib.de spe fideliū, & Seuerus Sulpitius in Dialogo Galli & Posthumiani de sancto Martino. Errorē hunc Chyliastæ astruere conabantur ex Epistola Petri, vbi dicit mille anni ante Dominum sicut dies vnus, & ex Psalm. Mille anni ante oculos tuos sicut dies hesterna quę præterijt &c.non attendentes quod ibidem sequitur: Mille anni sicut custodia in nocte erunt,imò pro nihilo habentur. Dictum est autem custodia, id est, trium horarum vigilia nā qui tribus horis dormiuit, suscitatus denuò vt vigilet breui se admodum tempore dormiuisse videtur, tres horas quasi pro nihilo computans. Vnde in hunc Psalm.locum August. Hierony. egregiè hæc refutantes. Denique proferebant illud Ioannis. Postre-

Lib. 20. de ciuit. Dei cap. 7.

Lib. 5. cont. hæreses.

Lib. 7. diuinarū instit. cap. 14.

2. Pet. 3.

Psal. 89

1. Ioan. 2.

ſtremò per (filioli nouiſsima hora eſt) per quam vltimos ſæculi quingentos annos ſignificari dicebāt, diuidebant enim ſeculum in duodecim vel ſex horas. Hos pulchrè refutat Aug. epiſt. ad Heſich. Quin
epiſt. 80
& ipſa experientia abundè teſtatur Ioannem id de vltimis quingentis ſęculi annis minimè dixiſſe: cū ex quo illud ſcripſerit pluſquā mille anni præterierint, & tamē ſæculi finis necdū aduenit. Hanc opinionē proponit etiā Hierony. in Michæā ſcribens,
cap. 4.
lege nimirū cōmētariorū, varias diuerſorū referēs ſententias, nō id eū ſenſiſſe, hinc liquet, quidnā in tertiū cap. Oſeæ dicit filiū ignorare diē iudicij, quia nobis nō expedit diſcere. Similes his ſunt qui hodie prophetiam proferūt, bis mille inane, bis mille lex, bis mille Meſsias, qua ſignificetur, duobus annorū millibus mundū ſine lege quaſi vanitati ſuæ relinquendum, totidem futurū ſub lege Moyſi totidemq́; ſub Meſsia. Cùm id nō Helię prophetę, vt volunt, ſed Rabbini cuiuſdā eius nominis ſit ſomniū: quod tñ à quibuſdā magno cū plauſu excipitur. Metuendū eſt ſanè ne quēadmodū Apoſtoli tēpore quidā turbabāt Theſſalonicēſes, quaſi iā iā inſtaret dies Dñi: & Iudas quidā de quo Hiero. lib. de viris
lib. 6, ca. 3
illuſt. & Euſe. in hiſt. Eccleſia. aſſerēs ſua ætate ſeculū finiendū, ita fideliū animos vani fabulatores iſti perturbēt, & ſpē eis faciāt diutiùs differendū diē iudicij quā fortaſſe differetur. Si enim Chriſtianæ religioni deputati ſunt bis mille anni, non eſt quod metuamus ne noſtro ſęculo dñs veniat cū quadringēti & amplius ei⁹ anni ſuperſint. Sed quęrat fortaſsè quiſpiā anne ſcire poſsimus nō venturū Chriſtū hoc an°. Reſ. probabile eſſe quod nō. quoniā necdū eā videmus ſanctor. perſecutionē quantā ſub Antichriſt. futurā credim⁹. Nā niſi is primū apparuerit nō eſſe dñm ad iudiciū vēturū, Theſſal. ſuos docet
2. Theſſ. 2
Apoſto. *Neq; angeli cœlorū*. Simpliciter accipio, tāetſi intel-

intelligi possunt ita nescire quomodo filius, quia scire alios non faciat. Nam quod Caietanus intelligit nescire scientia naturali, id nihil est. Si ergo ne Angelis quidem dies hic reuelatus est, nō est quod nostrum quisquā id sibi reuelari postulet. *Nisi solus pater.* Hic solus illum diem & horam determinatè nouit. Nō excluditur hîc filius, vel spiritus sanctus qui eandem cum Deo patre scientiam habent: sed tantùm creaturæ. In quibusdam codicibus legitur: Neq; filius, quod vt additum sit certè apud Marcū legitur. videndum ergo, quo sensu id dicatur. Et, in primis quidem August. id de Christo secundū humanā naturā intelligit, qui ideo diem illū ignorare dicitur, quia nulli eū indicat, & occultādo facit alios nescios: atq; hęc explicatio scripturis satis cōformis est, quarū multę sunt intelligēdæ, vt, Nunc cognoui ꝙ timeas Deum, id est, feci te & alios id cognoscere. Item, nō iudicaui, inquit Paulus, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christū, & hūc crucifixum, quia videlicet per eum nihil aliud carnales audiebāt, plura tamē sciebat quoniā inter perfectos sapiētiā loquebatur. Hoc ergo genere loquutionis filius nescire diē iudicij dicetur, quo nescire quis dicitur quod occultat: quo sensu dicitur etiā dies læta vel tristis quia lætitiam vel tristitiā facit. Pater autē scire dicitur, quia filium scire facit, vel dat ei diuinā essentiā, & filius secundum diuinitatē scire dicitur, quia dat spiritui sancto scientiam item spiritus S. scire dicitur quia Christo secundùm humanā naturā secundū quā nescire dicitur, reuelat. Nā rectè ait Diony. Carthu. cū Christus inquantū homo iudex viuōrū & mortuorū cōstitutus sit, videtur etiā inquantū homo illius diei notitiā accepisse: id quod sine dubio sensit etiam Augustinus alioqui ignorantiam ei sine tropo attributurus. Similiter hunc locum explicant Hieronym. Chrysostomus

Marc, 13
Lib. 1. de trinit. cap. 12.
Lib. 83. qu. 60. & lib. 1 de gene. cō. manic. c. 22
Genes. 22
1. Cor. 2.
Ibidem.

ſoſtomus & Theophylactus, item Baſilius qui etiã ſecundam interpretationem addit, quæ videtur eſſe magis myſtica, vt videlicet per diem & horam nouiſsimam intelligatur ſummum bonũ, & æterna fœlicitas: & vt Deus dicatur illud ſcire quod ipſe eſt, quomodo dicitur ſcire iuſtitiam & ignorare malitiam: atque proinde cùm nec Angeli, nec Chriſtus ſecundum humanam naturam ſint ſummũ bonũ noſtrũ, & beatitudo, rectè eã neſcire dicũtur. Cõſentit cũ ſuperiorib. B. Gregorius, qui & alias duas habet interpretationes, vt neſcire dicantur, vel quia corpus eius quod eſt Eccleſia id neſciat: vel ſecundùm humanitatẽ, quia etſi in humana natura ſciat, id tamẽ nõ ex illa, ſed ex diuina norit. Grego. verò Nazianze. lib. 4. Theolog. Hilarius in fine lib. 9. de Trini. Cyril. lib. 4. theſauri cap. 41. ignorare eum intelligunt, vt homo ſitijt & eſurijt. Ambroſ. quoque lib. 5. de fide cap. 8. refert quoſdam ex eo quod ſcriptum eſt, Ieſus proficiebat ſapientia, dicere Chriſtũ vt homo eſt ignorare diem iudicij: quos nec refutat, nec eis aſſentitur. Epipha. verò in hæreſi Arrianorum, & in libro Anchoratus intelligit Chriſtum ſecũdùm humanam naturam non ſcire diem iudicij actu, & vſu, quia nondum exercuit extremum iudicium: at tota trinitas cui omnia futura præſentia ſunt, & nihil per rerum præſentiam vel experientiam accedit, æquè diem iudicij nouit, atque ſi iam in præſenti iudicium exerceretur, quia apud eam omnia præſentia ſunt, & omnes iudicati ſunt. Hoc modo Beata Virgo dicitur, nunquam à Ioſeph cognita, quia Ioſeph ea nũquam eſt vſus in actu coniugali. Et ſic Chriſtus ſecundùm humanam naturam diem iudicij practicè non nouit, quanquam ſpeculatiuè non ignoret. Liber de incarnationis Dominicæ ſacramento Ambroſio inſcriptus, in Chriſto ignorantiam ponere vide-

Baſil. lib. 4. cont. Euno. et epiſt. 141

Lib. 8. epiſtol. 42.

Cap. 7.

videtur, verùm Augustinus nullo pacto putat in puero Iesu ponendam illam ignorantiam, quam in paruulis conspicimus. Imò verò nec vllam omnino. Nam ab exordio conceptionis plenus fuit secūdùm animam sapientia & veritate. Patres ergo supradicti, qui ignorantiam agnoscere in eo videntur, intelligi debent secundùm similitudinem quēadmodum venit in similitudiue carnis peccati. Assumpsit enim defectus omnes naturæ nostræ qui humanæ redemptioni subseruiebant famem, sitim, passibilitatem &c. At peccatum, concupiscētia & ignorantia magis erant futura impedimento. Lib. 2. de pec. mer. ca. 29.

Sicut autem in diebus Noe ita erit & aduētus filij hominis. Simili exemplo docet aduentum suum subitum & inexpectatū futurū lasciuientibus videlicet hominibus, quasi dicat: Quomodo tempore Noe actum est simili modo in aduentu meo agetur. *Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes*, commessantes, *nubentes, & nuptui tradentes*, ducentes vxores, & maritos accipientes. Non culpantur hic nuptiæ, quemadmodum nec cibi vel potus vsus moderatus, sed libido & cor libidini vsqueadeò deditum, vt venturam plagam diuinam, & Dei iudiciū non obseruent, nec timeant. Etenim Noë per centum annos arcam fabricauit & opere suo abundè admonuit, attamen non cognouerunt vindictam Dei super se venturam, donec diluuium venit, & omnes perdidit. Nec est hoc loco operæpretium intelligere de legitimis nuptijs, siquidem de talibus intelligi potest quales Turcæ celebrant, plures vxores habentes, & eas sæpe repudiantes, quales etiam celebrant concubinarius & concubina fornicantes. Augustinus epistola ad Hesichium locū hūc de impijs solis intelligit, sentit enim pios omnes & sanctos tantas persecutiones ad diem vsque iudicij perpessuros, vt non sit illis futurum vacuū lasci- Genes. 7. Epist. 80

lasciuire. Id quod satis conforme est Apostolo ad
2.Thess.4. Tessalonicẽses, vidi ait impios dicturos pax & securitas. Hiero. in hunc locum putat tã malos quàm bonos sub seculi finẽ in tribulatione futuros, sed breuem requiem vtrisq; postea concedendam, vt fides probetur credentiũ, an transactis malis Dñm credant esse venturum. Cum Aug. sentire videtur Chrys. & ex Luc. ca. 17. Omnino videtur ad diẽ iudicij duratura persecutio. Quãquã videtur hęc christianorũ persecutio talis futura, vt seruato etiã christianismi noĩe lasciuire possint: quod enim apud Euang. sequitur de relinquẽdis & assumẽdis, pertinet ad christianos veros & qui noĩe tenus huiusmodi sunt: an in his relinquẽdis sunt etiã mali serui, Ecclesiæ præfecti qui non propter abnegatum Christũ, sed ob ebriositatẽ & seruorũ Dei, cõseruorũq́; suorũ oppresśionẽ relinquentur. Vnde D. Hieron.
Quæst. 11. ad Algasiã. putat Antichrist. in Ecclesia sedẽ suã habiturum.
Tunc erũt duo in agro. In die aduentus mei duo in cãpis stabunt, quorũ *unus asśumetur*, ab angelis sanctis obuius mihi in aëra, *& unus relinquetur* in terra cõdemnandus cum impijs. loquitur autẽ de his qui viui reperientur. *Duæ molẽtes in mola* nõ cogitantes imminere diẽ iudicij, quarũ *una asśumetur, & una relinquetur*: illa ad gloriã hæc ad suppliciũ. Pauperum muliercularũ erat molere, vt ex li. Exod. colligere
Exod. 2. licet, vbi primogeniti oẽs prædicuntur occidendi à primogenito Pharaonis vsq; ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam. *Duo in lecto* dormientes. *unus asśumetur, & unus relinquetur.* Ostendit saluator quosdã secundũ exteriora in hoc mundo pares, diuersam mercedẽ sortituros, iuxta operũ internorũ diuersitatẽ. Chrys. per molentes & eos qui in agro sunt laborãtes seruos & pauperes intelligit: per eos qui in lecto otiosos dños & diuites, colligitq́; ex hoc loco, Dñm nocte ac quietis tẽpore venturũ, qñ
somno

somno & voluptatibus opera dari solet. Et Lucas videtur idē dixisse,cū ait in illa nocte,verum Aug. intelligit in illa nō nocte, sed tribulatione:quo loco per eos qui in agro sunt significatos putat pastores Ecclesiarū Paul.enim prædicatores plātatoribus,& rigatoribus cōparat,populū verò Dei agri culturā vocat;per molētes aūt Christianos cōiugatos , qui in solicitudinibus huius sæculi tanquā in mola versantur:per iacētes in lecto,monachos qui in gubernatione populi Dei & solicitudine cōiugali sunt liberi,& salutis tātū curā habere debēt. Similiter intelligit in Psal.132.scribēs:Hiero.per duos in agro & molētes Eccle.intelligit & Syna.seu hæreti.

Vigilate ergo quia nescitis qua hora Domin' uester uēturus sit

In illa hora enī soli illi assumētur,qui salutis curam gesserūt,reliqui verò qui illā neglexerūt relinquentur.Ideoq; semper diligentes estote,nunqā virtutis studiū relinquentes. Quod aptè vigilia nūcupatur, nā qui diligēter seruiūt Deo oculos ad verā lucem apertos habēt,sobrij sunt,& circūspecti,oēm aīorū segnitiē,& torporē excutientes:cōtra verò oīs torpor,segnities,negligētia,& peccatū,somn' vocātur vt surge qui dormis,& exurge à mortuis,& illuminabit te Christus.Ideo aūt somnus dicta sunt,quod somno corporali cōiuncta sint,quēadmodū Dei seruitus,sobrietas & castitas,vigiliæ. Id q; apud Lucā explicat Salua.dicēs: Attēdite ne fortè grauētur&c. Ephes.5

Illud aūt scitote,quoniā si sciret paterfamilias qua hora fur uēturus esset,uigilaret utiq;,& non sineret perfodi domū suā.

exēplū patrisfamil.adducit,vt ad vigilandū nos exhortetur q.d.Cū certò sciatis dn̄m esse vēturū,horā aūt qua venturus est ignoretis,quælibet hora sic habēda est quasi illa dn̄s vēturus esset.Quocirca oī parati esse debetis,nō secus q̄ paterfamilias illa hora diligēter vigilat,qua furē venturū putat.Hęcdicūtur(inquit Chrys.)ad desidiæ nostræ erubescentiā: Homil.78. in matth.

maio-

maiorem enim diligentiam adhibent qui furem expectant, quàm nos pro animæ nostræ salute. Hic etiã causa explicatur quare tempus aduentus Domini latere debeat, alioqui enim illo tantum tempore quisq; se præpararet, & reliquo tẽpore negligenter vitam institueret. *Ideo & vos estote præparati,* quia *qua non putatis hora filius hominis venturus est*, Quæritur cur Christus Apostolos & eorũ posteros vigilare voluerit, ne imparati inuenirentur, & dormientes in die aduentus, cùm Paulus sciuerit suo tempore Dominum non venturum. Respondet Augustinus, quòd ille imparatus inuenitur in secundo aduentu Domini, qui in vltimo die vitæ suæ imparatus reperitur, nam in secundo aduentu Domini talis quisqua repræsentabitur, qualis hinc recedet. Sicut autem incertus est nobis nouissimus mundi dies, ita secundùm quandam proportionẽ mortis etiam nostræ hora. Quod addo, quoniã facilè scimus non esse nos ad mille vsque annos peruenturos: & qui ad mortem condemnati sunt, aut grauissima laborãt ægritudine, verisimiliter norũt mortis suæ horã, quod videlicet hoc die aut hebdomada sint morituri: vt & illi quibus id diuinitus est reuelatum. Locum ergo habet hæc Christi exhortatio apud sanos & vtcunque adhuc bene dispositos. Si respiciamus ad illos quibus certum erat nõ eorum temporibus mundum finiendum, nesciũt hi mortis suæ horã, quæ est eis pro secundo Christi aduentu. Apud iamiam morituros magis quadrat hæc exhortatio: Dominus propè est, tempus est omnino iam de somno surgere, quanquam locum etiam habeat in omnibus ob vitæ breuitatẽ. Idem iudicium de his quibus est mors sua reuelata. At si eos respiciamus quibus incertum est an Christus eorum temporibus ad iudicium venturus sit, de quorum numero nos sumus, in his locũ habet

Epist. 80 — Philip. 4. — Rom. 13.

habet Christi exhortatio. Nam etsi sciremus quãdo secundùm corporis debilitatem essemus morituri, nescimus tamen an adhuc anteuertet Domini dies. Quemadmodum autem quibusdam vtile est, vt diebus aliquot infirmentur, quò possint verè pœnitere, dum mortem vident imminentem, ita & sanctis quibusdam vtile fuisse videtur maioris præparationis causa, quòd mortis suæ horã aut tẽpus præscirent. Nõ est tamen à Deo petendũ vt mortis nostræ diem nobis reuelet, nisi fortè magna subexistente populi Christiani necessitate, quemadmodum nec illud passim petendum vt miracula faciat, prophetandi donum inspiret: videtur enim ad Dei tẽtationẽ pertinere pro sua tantũ vtilitate tale quippiã petere: neq; enim sancti id fecisse leguntur, sed pro aliorum salute tantùm: Vnde huiusmodi reuelationem de die mortis aut ea iam imminente, ij accipere meruerunt, qui fidem Christi propagârunt, vel quorum sanctimoniam toti mundo expediebat sic declarari: quales fuerunt Petrus & Paulus & alij nonnulli. Quare damnandæ sint preces illæ quæ in libellis quibusdam inueniuntur quibus ea reuelatio petitur: Rursus quod alijs quibusdam certis preculis per dies aliquot lectis talis reuelatio promittatur. Hæc autem Ecclesiæ oratio, A subitanea & improuisa morte libera nos Domine, prudentissima est, nec huic loco vllo pacto aduersatur: neq; enim hic petimus præscire tempus mortis, sed ne dies nos ille imparatos opprimat, vt mortem iugiter cogitemus, ita semper in eum diem simus intenti, vt quandocũq; veniet, minimè subitus ac improuisus irruat: aut si peccare contigerit, ne subitò auferamur, sed veræ pœnitentiæ spacium ac ipsam pœnitentiam Dominus largiatur. Quanquam nec malè simpliciter intelligi id potest, id est, quod videamus eos qui

1. Pet. 1.
2. Tim 4

ſic moriūtur eſſe ferè imparatos. Porrò pro eo quod nos habemus, *quia qua neſcitis hora filius hominis venturus eſt*, Græci codices habent, qua hora non putatis filius hominis venturus eſt, quo modo habet & Lucas. Secundùm quam lectionem ſenſus eſſe videtur, venturus eſt filius hominis eo potiſsimū tēpore, quo quàm minimùm expectatur: atq; ita ad impios tantùm id referetur, tametſi in ſecunda perſona ad Apoſtolos ſuos Chriſtus loquatur. quaſi dicat; niſi continuè vigiletis, dies Domini vos tanquā fur comprehendet, venturus quando minimū putabitis: ſi autē filij lucis eſtis, etiāſi ignoretis quādo venturus ſit, non veniet tamen vobis inexpectatus, vt qui eum omni tempore expectaueritis.

Marc.13 Luc.12. *Quis putas fidelis ſeruus, & prudens.* Ex Marco & Luca ſatis patet qua occaſione hæc quæ ſequuntur à Domino dicta ſunt: Cum enim Petrus parabolam de patre familias propter furem vigilantem audiſſet cogitare cœpit, Dominum fortaſſe de prædicatoribus & præpoſitis tantummodo loqui, quia verò ad omnes præparatio ad aduentum Domini pertinere videbatur, propoſuit quæſtionem Domino dicens, Domine ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? Cui reſpondet Dominus, Quod vobis dico; omnibus dico, vigilate: moxque ſubiungit Quis putas fidelis &c. quaſi dicat: ſi de familiæ meę patre audire vultis, qui non pro ſe tantùm, ſed & pro alijs vigilare debet, dico vobis: *Quis putas fidelis ſeruus & prudens*. id eſt quàm rarus & inuentu difficilis. Et ſanè rarus eſt fidelis ſeruus Domino, propter eum ſeruiens, oues eius ad ipſius nō proprium lucrum paſcens, qui nihil quod Domini ſui eſt ſibi proprium facit. Rarus prudens diſpenſator, qui cognoſcat quomodo quæ ſibi data ſunt à Deo, diſpenſare debeat, qui ſubditorum mores, vitam & capacitatem diligenter diſcutiat. Rarus eſt qui legiti-

gitimè à Domino cōstituatur videlicet super populū, tanquā Aarō vocatus, qui non ambierit, nō se ingesserit, nec vlla simonia præfecturam obtinuerit. Obseruandæ hic sunt tres conditiones legitimi familiæ Christi serui videlicet fidelitatē, prudētiā, & à Domino vocationem. Optimè autē saluator fidelitatem cum prudentia iunxit: etenim sicuti res Domini pereunt nisi dispensator simul fuerit fidelis, & prudens; ita etiam animæ pereunt nisi pastor talis fuerit, nam si infidelis sit, commodum proprium, non gregē Domini curabit, si verò fidelis, sed imprudens plus obest quàm prodest, quia discretionem non habet temporum, locorum, conditionum, & personarum, pro quorum qualitate subinde mansuetum se exhibere debet, subinde durum, atque seuerum. *Quem constituit Dominus super familiam suam.* Sic vocat populum Christianum: constituunt enim hi velut domum vnam, vnamque familiam sub vno patre Dominoq; Christo, qui abiens in cœlum, in reditum vsq; suum pastores cōstituit vt eius vice familiam hanc eius gubernēt. *vt det illis cibum in tempore.* Finē explicat præpositorum, & pastorū Ecclesiæ. Officiū enim pastorū est cibo spiritali familiā Domini pascere. Cibus autē familiæ Christi, id est, populi Christiani, est doctrina fidei, exhortatio, correptio, exemplaris conuersatio, feruens & frequens pro grege Domini deprecatio, diligens & prompta omnium sacramentorum administratio. Canones, item leges, & statuta maiorū. His omnibus, sicut corpus cibis, familia spiritualiter nutritur, roboratur & pinguescit. Rectè etiam addidit saluator *in tempore*, quia si beneficium non suo tempore detur, in malum cedet, & nomen beneficij perdit sicuti panis esurienti est vtilis, saturo noxius. Apertè etiam Lucas habet mensuram tritici propter modum capacitatis subditorum,

paſtor enim vt doctus videatur ſublimia coram idiotis prędicare non debet, nec coram plæbe vitia ſacerdotum exagitare tanquam plæbis adulator, nec hæreſes propalare his qui nihil ſciunt, nec corā pueris & virginibus de pccatis carnalibus diſputare. Eleganter quoque hunc cibum triticum vocat: quemadmodum enim triticum inter frumenta puriſsimum eſt, dulcemq́ efficit panem, & benè nutrientem, ita doctrina & vita paſtoris, vt bene ſubditos paſcat, puriſsima eſſe debet & ab omni hæreſeon, fabularum, iocorum, & omnium mundi vanitatum palea, libera & repurgata. Ex his intelligi poteſt ad paſtorem pertinere in primis vt inſtet orationi & miniſterio verbi, vt in Actis aiunt Apoſtoli; & Paulus Titum & Timotheum ſuum docet. Secundo, vt pauperum & pupillorum curam habeat, vt liquet ex priore ad Thimotheum epiſt. vbi pauperes viduas Epiſcopis commendat: Et ex Actis Apoſtolorum vbi Paulus & Bernabas eleemoſynas collegiſſe leguntur pro pauperibus in Hieruſalem. Tertio, vt temporalia etiam Eccleſiæ bona conſeruet. Sed quoniam infimum hoc eſt, ac præcipuum eius officium aliquouſque impedit, curari potius hæc debent per alios, quibus ipſe tamen ſuperintendat: atque ita in Actis faciunt Apoſtoli: Et de Auguſt. idem refert in eius vita Poſsidius.

Act. 6.

Act. 6.

Cap. 24.

Beatus ille ſeruus, quem inuenerit Dominus eius ſic facientem, fideliter Chriſti cibum erogantem. *Amen dico uobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* In maximo honore eum habebit, omnium enim bonorum ſuorum eum poſſeſſorem faciet, iuxta illud: Sancti omnes poſsidebunt terram & regnabunt ſuper eam. Quemadmodum enim Adam in ſtatu innocentiæ dominabatur creaturis, ita ſancti ōnes recuperabunt hoc donum in reſurrectione, quod perdiderunt in peccato Adæ: verùm longè excellen-

cellentius illi qui alios ad vitam æternam adduxerunt, Qui enim docti fuerint; fulgebunt quasi splẽdor firmamenti,& qui ad iustitiam erudiunt multos,quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Si autẽ dixerit malus ille seruus*, id est, huiusmodi seruus super Domini sui familiam constitutus. *In corde suo*,id nõ sine causa additum, nam tametsi non dicant multi apertè & disertis verbis,ita tamen intus affecti sunt vt prælaturam accipiant, tanquam diu in ea lautè & luxuriosè victuri,nihil de iustitia,onere imposito,Deiq́ iudicio solliciti. *Moram facit Dominus meus uenire*,id est, in longum tempus differet Dominus aduentum suum. Hoc dicit seruus malus longam vitam sibi promittendo,aut de morte nihil cogitando,aut iudicium extremum nihili faciendo, vt liberiùs desideratis voluptatibus fruatur. Non hoc dicit seruus iste desiderio sancto,quo fit vt amanti tardum videatur quod breui tempore differtur: quo desiderio æstuabat qui dicebat: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deum &c. Et; heu me quia incolatus meus prolongatus est. Sed amore iniquitatis, ne timore aduentus Christi à desideratis voluptatibus impediatur: quæ enim longè absunt non solemus admodum timere, sed facilè contemnere. Circa hunc locum annotat Beda super Lucam,inter vitia mali serui referri: quod dicat, moram facit Dominus meus venire:non autem inter virtutes boni serui,quod dicat, propinquus est Domini mei aduentus: is enim totum id Deo committit, hoc tantùm agit,vt paratus inueniatur:profitens se aduentus eius diem ignorare. Tamẽ quia breue est omne quod spacijs temporum deuoluitur, si ad æternitatem conferatur,hac ratione dici etiam potest,propinquum esse Domini aduentum.

Dan,12.

Psal.41.

Psal.31.

Et cœperunt percutere conseruos suos. Notanter vo-

cat conſeruos: Eccleſiaſtica enim præfectura ſeruitus magis eſt ac miniſterium, quàm prælatura. *Manducet autem & bibat cum ebrioſis.* Quia præfecti Eccleſiæ cæteris præpoſiti ſunt, voluitque eos Dominus & in veteri & in nouo teſtamento honorare, eiſque de rebus terrenis abundè prouidit, & quò diuinis commodiùs vacare poſſent, ad laborem manuū non ſunt obligati: hinc fit vt niſi ſingulariter Deum timeant, fiant commeſſatores, ebrioſi, libidinoſi, ambitioſi, feroces & ſuperbi erga inferiores clericos, dominantes in populum, eū opprimentes & malæ vitæ exemplo infirmam eius conſcientiam percutientes. Hinc Petrus primus Eccleſiæ præfectus compresbyteros ſuos obſecrat, ne in cleros dominari conentur. Et quia clerici omnes plebis comparatione, quodammodo prælati ſunt, atque ipſi opibus interdum affluunt, imitantur hac in parte ſuperiorum ſuorum vitia, imò & ſuperant interdum. Nec aberrarit fortaſſe qui in his Chriſti verbis ſubeſſe dicat non tantùm minas, ſed & prophetiam: nam & ſi certò norat Chriſtus Apoſtolos ſuos non eſſe tales futuros, præuidebat tamen multos ex ſucceſſoribus eorum huc degeneraturos: eoque ita ſeuerè comminatur.

1. Pet. 5

Et prò dolor, videmus eam prophetiam temporibus noſtris paſsim in clero adimpleri. Similiter in veteri teſtamento arguūtur paſtores, quod cum auſteritate & potentia dominarentur populo, quod ſemetipſos potiùs quàm oues ſuas paſcerent: quando videlicet deferbuerat primus ille primorum pontificum calor, Araonis, Eleazari, Phinèes &c. Talis paſtor dicitur futurus Antichriſtus apud Zachariam: vnde qui hodie tales ſunt, cogitare meritò debent præcurſores ſe eſſe Antichriſti. Simili modo arguuntur apud Eſaiam ſacer-

Hierem. 23. Ezech. 34.

Zach. 11. Eſa. 28. & 56.

sacerdotes & Prophetæ quòd comessationibus & ebrietatibus essent dediti. *Veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat*, tempore quo eũ non expectat imò quo putat eum adhuc procul abesse. Nec mirum quòd insperatò veniat Dominus, ita enim illecebris sæculi deditus est, vt de eius aduentu nihil cogitet. *Et diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocrytis*, id est, à consortio sanctorum separabit, vt ampliùs seipsum non pascat, aut gregem Domini dissipet: & quia per hypocrisim se pastorem simulauit, portio ei cum hypocritis siue cum infidelibus deinceps assignabitur.

Illic erit fletus & stridor dentium. Propriè istud ad resurrectionem spectat: veruntamen secundùm quandam proportionem etiam ad animas à corpore separatas referri potest. Vnde anima diuitis Epulonis in lingua cruciari dicitur, & petere, vt Lazarus extremum digiti sui intingat in aquam, & refrigeret eam. Quoniam in anima sunt vires naturales, quæ membrorum singulorum operationibus correspondent. Vnde qui multum in lingua peccauit, multùm in lingua cruciabitur, seu illa virtute animæ ex qua ortum fuit illud peccatum vel illius membri operatio. *Luc.16.*

IN CAP. VIGESIMVMQVINTVM. Matthæi.

TVnc cùm venerit Dominus ad iudicium (nã istud ad resurrectionem pertinet.) *simile erit regnum cœlorum decẽ virginibus*, sic agetur in populo Dei qui in hac vita ad regnum Dei tendit secundũ veritatẽ, aut saltem secundũ apparentiã, atq; si essent decẽ virgines. Hac parabola idẽ quod præcedenti capite declaratur, quã doctissimè explicat *Epist.120. cap.31.*

Augustinus epistola ad Honorat. ponens nuptias vespertinas quibus volentes interresse puellæ, vt cum lumine spōsum & sponsam introducerent; vtræq; habuerunt lampades cum oleo, sed quinque prudentes præter hoc etiam sumpserunt oleum in vasculis alijs. Cùm autem diu expectaret sponsus, dormitauerunt & dormierunt; media autem nocte paranymphus vel præco clamauit dicens: Venite obuiam sponso. Tūc ornauerunt oēs lāpades suas & quinq; vidētes se nō habere oleū petierūt habere ex vasculis aliarū quæ renuerūt ipsis & dixerunt: Ite & emite vobis: quæ dum irent, sponsus venit sciscitans vtrum plures ad nuptias non aduenissent. Respōderunt quinque prudentes, adhuc alias quinque venisse, sed empturæ oleum exijsse. qui dixit eis intrate vos, postea autē clausit ostiū. Reuersę autem quinque aliæ empto oleo dixerunt, Domine aperi nobis, qui dixit, nescio vos: Huius parabolæ magnorum doctorum præter alias tres extant expositiones. Quarum vna est Chrysostomi, qui eam de virginibus corpore, quę propriè dictæ virgines sunt, intelligit: quarum aliæ sunt fatuæ, quæ proximis oleum misericordiæ minimè impendunt, aliæ verò prudentes quæ vasa sua misericordiæ proximis suis aperiunt. Porrò ex his quæ præcedunt de quibusdam assumendis & quibusdam relinquendis, de paratis & imparatis, & ex his quæ sequuntur de ouibus & hœdis ostendit Hieronymus ad omnes fideles parabolam pertinere, imò nomine virginum etiam Iudæos & hæreticos intelligit, quia in vnius Dei notitia gloriātur, & mens eorum idololatriæ turbine non constupratur. Cuius expositioni satis fauere videtur Lucas, vbi quædam similia recenset, & ad Iudæos etiā refert. Verùm quia Dominus hic non infidelibus Iudæis, sed fidelibus discipulis loquitur & omnes

Luc. 13.

ad vigi-

ad vigilandum hortatur, nec vllum discrimen inter fatuas & prudentes virgines ponit, nisi quòd fatuæ non sumpserunt oleum secū. Alia est expositio Augustini, qua nomine virginum omnes & solos Christianos bene viuētes, saltem iuxta apparentiā, intelligit, qui ideo virgines vocantur, quia se ab inordinata sensuum voluptate continent. Et quia ista continentia partim fit, vt hominibus placeatur, & ab illis laus obtineatur, partī vt Deo placeatur, euenit vt quædam ex istis virginibus fatuæ sint, quædā prudētes. Atq; vtrinq; quinq; numerātur, vt quintuplex cōtinentia ab inordinatis quinq; sensuum tam interiorum quàm exteriorum designetur. *Quæ accipientes lampades suas.* lampades quæ manibus gestantur, quæq; lucidæ sunt & ardent opera exteriora bona significant, & maximè misericordiæ, nam bona opera lucent coram hominibus ex feruore amoris Dei. *Exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* Ideo omnes virgines Christo sponso obuiā exierunt, quia omnia opera sua bona fecerunt, saltē apparenter, vt Christum benignum iudicem inuenirent, tanquam aduentum eius præ oculis perpetuò habentes. Quidam libri non habent (sponsę) nec Hieronymus, nec Chrysostomus legisse vidētur; Augustinus verò, Hilarius, & author operis imperfecti, legunt. Sponsa est totus cœtus sanctorū qui ad gloriam cælestem tanquam ad thalamum nuptialem in die iudicij introducetur, huic obuiā eunt virgines, quia membra illius sponsæ esse cupiunt & coram toto cœtu sanctorum opera sua bona ostendunt. Sic Paulus ecclesiam sponsæ comparat, siue vxori, Et alibi, Despondi vos virginem *Ephe. 5.* castam exhibere: Christo Augustinus per sponsam *Corinth. 11* Christum intelligit, qui etiam sponsus vocatur, vt sponsa dicatur propter immaculatam carnem, quā sumpsit ex virgine Maria. Verbū enim Dei in incarna-

carnatione humanam naturam aſſumpſit tanquam ſponſam quandam. Verùm quia non frequẽter caro Chriſti ſponſa appellatur, alia expoſitio conformior eſſe videtur. *Prudentes uero acceperunt oleum in uaſis ſuis cum lampadibus.* Si per oleum ſpiritus ſanctus intelligatur, oleum erit lætitia bonæ conſcientiæ qua in Deo prudentes virgines gloriari cupiunt, non autem ab hominibus commendari. Gloria

2.Cor.1 enim noſtra (inquit Paulus) hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Vaſa olearia ſunt cor, & conſcientia. vnde Apoſtolus vnumquemque hortatur

Epheſ.2 habere oleum in corde, cùm dicit: Opus ſuũ probet vnuſquiſque,& ſic in ſemetipſo gloriam habebit. *Moram autem faciente ſponſo,* tardante Chriſto (Tardus enim videtur nobis eius aduentus) *Dormitauerunt omnes*, varijs infirmitatibus huius vitæ preſsi, ad mortem properârunt. *Et dormierunt* ac tandem mortuæ ſunt: mors enim ſomnus vocatur propter reſurrectionem. Omnes dicuntur dormijſſe, quia ex vtroque genere tam prudentium, quàm fatuarum dormierunt aliquæ, non autem omnes, nam aliquæ fatuæ, & prudentes inuenientur in aduentu Chriſti, quę dici non poſſunt dormijſſe tardante ſponſo, quia non morientur niſi adueniente ſponſo. *Media autem nocte*, nullo ſci-

Ioan.5. ente, aut expectante. *Clamor factus eſt.* Iſte clamor

1.Theſſ.4. à Chriſto vocatur vox filij Dei, ab Apoſtolo tuba, & vox Archangeli dicta: quæ qualis futura ſit neſcitur, erit tamen euidens aliquod ſignum quod omnes percipient. *Ecce ſponſus uenit* è cœlo inexpectatus ad iudicium de omnibus ferendum. *Exite obuiam ei*, de ſepulchris veſtris ſurgite ad reddendam operum veſtrorum rationem. *Tunc ſurrexerunt omnes uirgines illæ*, Ad clamorem illum reſurrexerunt à mortuis, *Et ornauerunt lampades ſuas*, præparauerunt ſe ad reddendam de operibus ſuis ratio-

rationem. *Fatuę autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo ueſtro quia lampades noſtræ extinguuntur,* Tunc fatuæ in conſcientia ſua bona opera iudici placentia quærere conabuntur, ſed talia non inuenient: nullum enim in cōſpectu iudicis opus bonum exiſtet. Quorum enim facta bona, laude hominum fulciebātur, eadem laude ſubtracta deficient, & bona nō apparebunt: atq; hoc eſt, lampades ipſas extingui. Fatuæ igitur cum in ſe opera bona non reperient, adiutorium per merita, & preces ſanctorum petēt, iuxta illud: Tunc inuocabunt me, & nō exaudiam. *Prouer. 1* Auguſtinus dicit quod ſancti in die iudicij pro impijs non orabunt, ſed cum Domino dicent: Ite & recipite ſecundùm merita veſtra. Nullum enim ſolatium diues Epulo ab Abraham, aut à Lazaro impetrare potuit. Nec huic contrariatur quod dicit Auguſt. quoſdam liberandos à damnatione precibus ſanctorum, ſiquidem illi liberandi, prudentes virgines fuerunt, & oleum ſecum portauerunt, quemadmodum & nunc aliquæ animæ precibus ſanctorum liberantur quæ adhuc habent in vaſis ſuis oleum quanquam turbidum, & igne purgandum.

Lib. 21. de ciuit. Dei cap. 24. *Luc. 16.* *Lib. 21. de ciuit. Dei cap. 27.*

Reſponderunt prudentes, dicentes: ne forte non ſufficiat nobis & uobis. Chriſoſto. nihil aliud hic ſignificari exiſtimat, quàm non poſſe ſanctos in die iudicij impijs ſuccurrere; quemadmodum Abraham ad Epulonem ait: Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſsint. Neq; enim eſſe vniuerſas parabolæ particulas ad rem inſtitutam ſemper accommodandas. Hierony. tamen etiam timorem prudentibus accommodat. Hoc nō de auaritia, inquit, ſed de timore reſpondent, vnuſquiſq; enim pro operibus ſuis mercedem recipiet, neq; poſſunt in die iudicij aliorum virtutes aliorum vitia ſubleuare. *Luc. 16.* *In commē.*

Cui

Cui addendum est quod habet lib. 2. contra Pelagianos, tractans verba Petri, vix iustus saluabitur. Certè iustus est, inquit, qui in die iudicij vix saluatur: saluaretur autem facilè, si nihil in se haberet maculæ. Ergo iustus est in eo quod floret multis virtutibus, & vix saluatur in eo quod in quibusdã Dei indiget misericordia. Sic & Augu. Quid est ait,

serm. 23. de uer. Dom. ne fortè nõ sufficiat? Nõ desperatione dictũ est, sed sobria & pia humilitate. Quamuis enim bonus habeat bonã conscientiã, vnde si quẽadmodũ iudicet illi qui neminẽ fallit? Habet bonã cõscientiã, nõ illi titillant crimina in corde cõcepta, sed propter quotidiana quædam vitæ humanæ peccata, licet bona conscientia sit, tamen dicit Deo, dimitte nobis debita nostra: quia fecit quod sequitur. Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. De oleo interiore fecit opera bona, & tamen in illo iudicio trepidat ipsi conscientia bona. Et infrà. Vix enim de nobis iudicamus, quantò minus dę vobis possumus iudicare.

Prouer. 20 Quid est, vix de nobis possumus iudicare? Quia cùm rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? Fortè tu non inuenis aliquid in conscientia, & inuenit ille qui meliùs videt, cuius acies diuina, penetrat altiora. Et epistola ad Honoratum, non desperanter, inquit, sed humiliter dictum est; ne fortè non sufficiat & nobis.

epist. 120 cap. 31. Quis enim sic præsumat de conscientia sua, vt certus sit eam sibi in iudicio Dei posse sufficere, nisi misericors misericorditer iudicet! Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Et

cap. 34 infrà. Tunc in illius clamoris euidentia, & resurrectione mortuorum, quia nulla erit dubitatio iam instantis præsentisqꝫ iudicij, subtrahetur omne solatium laudis humanę, neque enim vacabit de alio disceptare, vel de alio iudicare aut alteri gratificari, quando vnusquisque proprium onus portabit, & de suo-

de suorum factorum ratione cogitabit. Et paulò post. Sapientes se respondent nescire, vtrum sibi sufficiat ipsa conscientia, qua expectant misericordiam sub illo iudice, qui cùm in throno sederit, quis gloriabitur castum se habere cor, nisi superexaltet misericordia iudicio? Pro.20.

Quærat hic quispiam, quomodo Patres hi timorem & trepidationem sanctis attribuant in die iudicij, cùm in glorioso corpore sint resurrecturi, atq; de salute sua securi. Resp. omnino certos & securos fore de salute sua, vt damnandos de æterna perditione: quemadmodum habes apud D. Thomam in additione tertiæ partis, quæst. 89. art. 6. ad 2, & 3. Et ar. 7. ad 1. Trepidaturi tamē dicūtur phrasi Scripruræ sacræ, quæ in die iudicij frequenter futurū id ait, quod tamen ante illud fit in particulari cuiusque iudicio, vel in hac vita factum, illic manifestabitur. Quia ergo in futuro iudicio declarabitur electos dum hic viuerent timuisse iudicium Dei, sollicitos fuisse de comparandis operibus bonis, pro impetranda indulgentia; hinc attribuitur tunc adhuc eis timor & trepidatio: cùm tamen futuri sint de sua salute securissimi. Risus ergo ille & ironia prudentum ad iudicij tempus pertinet, timor ad vitam præsentem. Sic Augustinus lib. 83. quæst. allegans illud Apostoli Pauli. Mihi autem cum minimo est, vt à vobis iudicer aut ab humano die sed neque meipsum iudico, quod certè ad hanc vitam pertinet, in qua sancti non se audent iustos agnoscere. Vide eundem in illud Psalmi 51. Videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt. Dionysius Carthusiensis in huc locum scribens, ait malos quosdam fore in die iudicij, qui incerti futuri sunt quid Dominus de illis iudicaturus sit. Sed posset hoc etiam ad eos referri qui tunc viui inuenientur. Quæst. 54.

ite potius ad uendentes, & emite uobis. Irridentium inquit Augustinus mihi videtur esse respõsio. Vnde apud Salomonem, ego quoque in interitu vestro ridebo &c. & apud Psalmistam: Iusti super eum ridebunt. In quo loco vide Augustinum: Videamus an poteritis oleum emere quod in vita comparare vobis noluistis, magistros audire recusastis, & salubria sapientiæ consilia neglexistis; vendentes enim oleum istud, sunt pauperes, doctores, & bonum consilium dantes. *Dum autem irent emere* dum rursus, vt olim, aucuparentur humanas laudes, aut dum vndique quærerent auxilium, etiam postquam fuisset negatum, nam audita etiam sententia, adhuc quærent excusationem. Sic ibat emere diues Epulo, dum in fratres suos cupit videri misericors. *Venit sponsus* ad iudicandum. *Et quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias*. Virgines prudentes videlicet quæ lampades inextinctas habebant, id est, quarum bona opera in oculis diuinis fulgebant, in illam gloriam cœlestem cũ Christo intrârunt, vbi perpetuò spiritales nuptiæ celebrantur, vbi anima inseparabiliter ac intimè Deo coniungitur, atque vnitur. *Et clausa est ianua*, nam nulli ampliùs in regnum cœleste, postquàm sancti introierũt, patebit ingressus. *Nouissime uero ueniunt, & reliquæ uirgines dicentes: Domine, Domine aperi nobis*. i. deinde siue posteaquam prolata erit sẽtẽtia pro electis, & qua impij cupient adhuc modis omnibus liberari ab æterna dãnatione, conãtes se, vt infrà patebit, excusare dicentes, Domine quãdo te vidimus esurientẽ &c. Quod idẽ desiderium, per hunc fatuarum pulsum, significatur, petendum sibi regnum cœlorum aperiri. Quod verò ingeminant Domine, Domine; significat eas in hoc mũdo fidẽ habuisse, & Christũ inuocasse: cęterũ quia bona opera non habuerunt, nihil eis conferet hæc inuoca-

Pro. 1.

Psal. 51.

uocatio aut quæcunque olim suscepta sacramenta. Aperi nobis, id est, retracta sentētiam cōtra nos latam. *At ille respondens ait: Amen dico uobis: nescio uos.* Nō vos oues meas agnosco, nec inter amicos meos recipio, quanquam me Dominum vocetis & inter Christianos quondam numerati fueritis, quare vobis non aperiam. *Vigilate itaque quia nescitis diem, neque horam.* Vigilate, vt inter illas prudentes, & pręparatas virgines in die aduentus Domini inueniamini, sic enim tunc cùm pijs impijsq; agetur, quē-admodum hic actum retuli cum istis virginibus. *Sicut enim homo peregre proficiscens uocauit seruos suos.* Eodem pertinet hæc parabola. Est autem hic eius sensus, meritò vigilare debetis, sic enim agetur vobiscum in die iudicij, atque si diues quispiam vir peregre proficiscens &c. Sic enim supplēda est redditio quæ hic subintelligendą relinquitur. Quæritur de quibus hic sermo fiat, præfectis, an omnibus fidelibus. Resp. Quidam pertinere hæc putant ad præpositos Ecclesiæ, & prædicatores, vt ei responderunt quod præcedenti capite dictū est. Quis putas est fidelis seruus & prudēs. Hiero. specialiter ad Apostol. refert, quibus saluator Euangelicā doctrinā tradidit. Sed quoniā Marc. paucis verbis hāc parabolā inducit, atq; seruos, quibus officia quæq; cōmissa sunt à ianitore distinguit per quē indubiè prælatus seu doctor intelligitur, videtur potius in oēs fideles quadrare: nemo enim est qui non aliqua Dei dona per quæ fructificare possit acceperit, vt Rom.12
Paul. ait: Habētes donationes secundū gratiā quæ 1. Pet.4
data est vobis differētes. Et Petrus: vnusquisq; sicut accepit gratiā in alterutrū illā administrantes. Quāquā ergo in eos maximè cōueniat qui docēdi, vel regēdi gratiā acceperūt nō tñ in hos solos. Atq; id, tū quæ præcedūt, tū quæ sequūtur, satis probabile reddūt, vt quæ omnibus fidelibus cōmunia sunt.
Homo

Homo iste Christus est, qui peregre profectus dicitur, quia in cœlum ascendit, in eum locum qui per peccatum, naturæ nostræ mortali alienus, & peregrinus factus est, tametsi ad eum inhabitandum conditi ab initio essemus. Aut peregre profectus dicitur, quia familiam suam, ecclesiam corporali pręsentia non amplius gubernat: Vel deniq;, quia longanimiter cum seruis suis peccatoribus agit, ad pœnitentiam eos expectans nec mox rationem exigés *Vocauit seruos suos* fideles ad fidem & ad æternam gloriã duplici iure Deus nos seruos habet, creatione nimirum, & redemptione. *Et tradidit illis bona sua*, diuitias, & substantiam, id est, multis donis & charismatibus spiritus sancti credentes donauit, quosdam multis & magnis, alios paucioribus & minoribus: Atq; horum differentia & varietas per ista tria designatur quinq;, duo, & vnum : Vnde Lucas in simili parabola decem seruos inducit, quorum singuli mnam vnam accipiant, quanquam in reddenda ratione tres tantúm commemoret, sub his reliquos intelligendos relinquens: Marcus generaliter omnes donorum differentias complectitur dicẽs: dedit seruis suis potestatem cuiusque operis. Lucas autem refert cuilibet datam vnam mnam ad designandum quod fideles quantumuis varijs donis polleant, hoc tamen omnes habere commune, vt dona accipiant quibus vitæ æternæ denarium sibi comparent. *Vnicuiq; secundum propriam uirtutem.* id est, secundùm desiderium, quo ab initio ad talem vel talem statum anhelauit, seu secundùm propriam præparationem, & dispositionem : quam tamen etiam Christus prout voluit in ipsis operatus est. Sic Theophylact. cui eius commentarius placet. Aliter Prosper, intelligens per virtutem, naturalem posibilitatem, seu capacitatem, non enim facilè tãta dona accipit obtusus, quanta ingeniosus, nec mulier

Lib. 2. de uocat. gent. cap. 2.

mulier quanta vir, cæteris paribus. Non tamen ex hac interpretatione existimandum est Dominum præcipuam gratiam suam, vtpotè fidem, spem charitatem secundùm naturalem capacitatẽ dare, quia non exactè exigenda sunt quæ in parabolis ponuntur, vt omnia in rem significatam quadrent: non enim semper verum est quod qui ingeniosus, & sano corpore existit maiorem habeat fidem, spem, aut charitatem. Nullo autem pacto audiendi sunt, qui istam virtutem bonis propriam vsum liberi arbitrij esse intelligunt, quem homo proprijs liberi arbitrij viribus sine gratia Dei ex se habeat, & quo saltem de congruo dona spiritalia & gratiam Dei percipere mereatur: nullus enim est bonus in homine ex seipso liberi arbitrij vsus, qui tale meritũ habere possit nisi gratia Christi præueniatur, iuxta illud: Misericordia eius præueniet me: Deus enim est qui corda nostra cõuertit, nunquã alioqui conuertenda. *Et profectus est statim.* Non est id transferẽdum ad rem significatam, sed ad parabolæ completionem positum. Aut intelligendum est omnes Christifideles ante eius ascensionem dona hæc spiritus sancti accepisse in quadam inchoatione, atq; Christi promissione, quæ post eius ascensionem in veritate & plenitudine acceperunt: nam ante diẽ Pentecostes non videntur Apostoli talenta sua accepisse. Aut certè illud, profectus est, intelligendum est de longanimi eius patientia, quam suprà dedimus tertiam expositionem.

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, id est, per ea expendendo videlicet hæc talenta ad Dei honorem, & proximorum vtilitatem ac ædificationem. *Et lucratus est alia quinque.* id est, multùm & sibi & alijs per hæc dona profuit. Nam & ipse creuit in pietate, & plus gratiarum adeptus est: & bona sua alijs communicando non ea minuit,

ſed duplicauit, dũ alij donorũ eius participes fiũt. Quanquã autẽ per hunc ſeruũ perfectiſsimi intelligãtur, nõ tñ exiſtimandũ eſt eos qui plura habẽt talẽta fructuoſiùs ſemper expendere, quã qui pauciora: cũ qñq; æquales in talentis in profectu ſeu lucro inueniantur inæquales. Vnde apud Luc. vna mna nũc decẽ, nũc quinq; mnas acquirit. Omnis enim etiã profectus Dei donũ eſt. Sed ideo hic ſeruus, ſicuti & ſecũdus talẽta duplicaſſe dicũtur, quoniã ſi quis vel vnũ habeat talentũ quod ad lucrũ nõ ponit, ac duplicet per profectũ ſeruus inutilis reputatur, cui enim multũ datum eſt, multũ quæretur ab eo: Quare qui vnum talentum acceperat, & foderat in terram condẽnatur, non quin quandoq; vnicum talentũ quiſquã bene expendat, ſicuti è diuerſo quinq; talentis vel duobus nõnunquam abutãtur aliqui, ſed ſignificatur ad damnationem ſufficere vel vnicũ talentũ in terrã defoſſum; omniũ autẽ talentorum bonam diſpenſationẽ requiri ad ſalutẽ. *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcõdit pecuniam Domini ſui.* Implicuit ſe & dona ſua, vel ſaltem vnũ ex illis rebus tranſitorijs & vanis, quibus ita intentus fuit, vt non vacaret ei vti ad proximorum ædificationem. *Poſt multum uero temporis.* multum enim tẽporis eſt inter dominicã aſcenſionẽ, & ſecundũ eius ad iudicium aduentũ. *Venit Dominus ſeruorũ illorũ, & poſuit rationem cum eis.* Si Apoſtoli, inquit Hieron. reddituri ſunt rationẽ & ſub metu iudicis ſurrecturi, quid nobis oportet facere: *Et accedens qui quinq; talenta acceperat, obtulit alia quinq; talenta dicens, Domine quinq; talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinq; ſuperlucratus ſum.* Vniuſcuiuſq; conſcientia in conſpectu Domini merita ſua aperiet, & oſtendet. *Ait illi Dominus eius: Euge*, q. d. Valde benè egiſti (vt ſit blandientis & laudantis interiectio) *ſerue bone, & fidelis*, quia in honorẽ Domini tui bona diſpẽſationi tuæ

tuæ concredita fideliter dispensasti, *Quia super pauca fuisti fidelis super multa te constituam.* Notandum quod omnia quæ in præsenti habemus quanquã magna & plurima videantur, tamen futurorũ cõparatione parua,& pauca sunt, *intra in gaudiũ Domini tui*, perpetuo sis illius gaudij,& gloriæ particeps.

Accedens autẽ & qui talentũ unũ acceperat, dit: Domine scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti: & timens abij & abscondi talentũ tuum in terra, ecce habes quod tuũ est. Seruus malus prudentis consiliũ se peregisse dicit, quando pecuniã Dñi sui abscõdit, ne dũ lucra pecuniæ quæreret etiã de forte periclitaretur,& timore Dñi sui se impulsum dicit, fuisse ad talentũ abscondendũ, ne fortè periret. Aug. dicit per hũc q talẽtũ suũ abscõdit, eos significari, qui diuitias Dñi sui augere nolũt. Sunt etenim homines hac sibi peruersitate blandientes, vt sufficere putẽt quod vnusquisq; pro se rationẽ reddat, cũ tamẽ apud Dominũ etiã illi inexcusabiles habẽtur, quibus lex data non fuit: atq; hoc est quasi metere vbi non seminauit. Hieron. metere Christum vbi nõ seminauit intelligit, quia bona quæ in gẽtilibus inueniuntur, ad gloriã suã, & electorũ salutẽ seruire facit, quæ tamen in eis per gratiã suã nõ plãtauit: qualia sunt ingeniũ, artes, scientiæ, sed ex primæua cõditione eis relicta sunt, quãtò magis igitur Christus donorũ suorũ quæ per gratiã contulit rationẽ exposcet? Cui commentario satis consonat Grego. Homel. 9. in Euang. Theophylact. sic intelligit. Non ausus fui talentum meum expendere, quia vsque adeò seuerus es, vt exigas etiam ab ijs obedientiam quibus eam non dedisti. Metui ergo ne periclitarer si doctrinam meam alijs traderem, quam multi recepturi non essent nec obedituri, pro quibus ego cogerer reddere rationem. Similiter videtur & Chrysostomus intellexisse.

Lib. 2. quæ. euan. q. 46.

In cõment.

Franciſcus Titelmannus annotat ſermonem eſſe prouerbialem,qui in valde crudeles,duros, auſteros conueniat. *Reſpondens autem Dominus eius dixit ei: Serue male.* Malus vocatur, quia Dominum ſuum tanquam crudelem & iniquum tyrannum habet, piger verò quia præ pigritia talentum duplicare neglexit. *Sciebas quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi, oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, & ueniens ego recepißem, utique quod meum eſt cum uſura.* Diuini iudicij ſeueritas ſollicitudinis & diligentiæ nobis debet eſſe cauſa,non ſocordiæ & negligentiæ. Nummularij autem iſti ſunt proximi noſtri, quibus donum communicatum creſcit: ſiquidem Deus non ſolùm in dono quod vni dedit,ſed etiam in illius fructu, ſeu vſura glorificatur. Hoc modo Chryſoſtom. hanc partem interpretatur: Non debebat, inquit, metuere tanquam tu deberes exigere à ſubditis obedientiam, vt ſi obedire nollent pro eis condemnandus eſſes, ſi enim eis tu cõmunicaſſes fideliter doctrinã,ego exactior fuiſſem in ſecũdo aduẽtu meo,& recepiſſem doctrinam eis communicatam cũ vſura & fœnore bonorum operum. *Tollite itaque ab eo talentum* Angelis vel electis omnibus hic loquitur, qui in die iudicij ab inutili ſeruo talentum tollere dicuntur, quia illa die cognoſcent talentum ab illo ſimpliciter auferri,aut hactenus, quia bona quæ in eo remanebunt,non erunt ei bona,vel vtilia,ſed potiùs quantò plura habuerit,tantò grauiùs punietur. *Et date ei qui habet decem talenta.* Damnatorum bona in die extremi iudicij, electis conferuntur,quia bonum quod in impijs inuenietur,iuſtos delectabit, & gaudebunt de bonis operibus quæ facta ſunt ab his qui non perſeuerauerunt,deq; bonis officijs quæ fecerunt & habuerunt impij ac infideles. Vnde liquet quàm bonum ſit eſſe in ſocie-

tate

tate timentiũ,quoniã omniũ bonorũ à quibuſcũq; facta ſint,particeps efficitur: ſicuti è cõtrario quiſquis in pereuntiũ ſocietate reperietur, oĩm malorum etiã ab electis aliquando factorum particeps erit: electorum enim praua opera in ſocietate impiorum in qua facta ſunt, manent: quemadmodũ patet de peccato regis Manaſſæ, quod poſteaquàm is pœnituit, in Iudæis tamen adhuc hodie vindicatur. Quia verò iſta bonorum alienorum remuneratio,eſt quaſi quoddam accidentale præmium accedens ad beatitudinem, congruè talentum ſerui inutilis donatur habenti decem talenta, poſteaquam dictum eſt ei; intra in gaudium Domini tui: accidentalis enim gloria principali beatitudini per hunc ordinem accedere denotatur. Si quem verò moueat quod talentum impij nõ datur niſi habenti decem talenta,cùm omnibus electis donandum videatur:intelligat ſcripturæ morẽ, quæ maiora, & notabiliora ponit, quemadmodum ſupra dictum eſt,ſanguinem omniũ prophetarum in deicidis Iudæis vindicandum, quia inter homicidas iſti obtinent principatum. Ita omnes electi omnibus bonis gaudebunt:at inter eos maximè præclari,qui optimè ſua dona expenderunt,ita ſingulariter impiorum bona occupabunt, vt in eorum cõparatione nihil tale in inferioribus ſanctis eluceat, vel emineat.Eadem ſententia extat & ſuprà cap. 13. ſed quę ad huius temporis profectum pertinet,hęc verò ad futuri ſæculi abundantiam. *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Omni benè vtenti eo quod habet amplius in die iudicij adijcietur. *Ei autem qui non habet*, qui malè vtitur, *& quod uidetur habere*, quod in veritate poſsidet,ſed eo abutitur,*auferetur ab eo*, aut ſimpliciter,aut inquantum vtilè,& bonum illi eſt. Sic Auguſtinus. *Et inutilem ſeruum eijcite*, vos angeli mei, *in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium.*

Lib. 2. quæ. euan. q. 46. cap. 8.

tium. Istud suprà explicatum est. Hic aduertẽdum quã grauis seruũ illũ vĩdicta maneat qui donis acceptis cõtra Deũ & proximũ abusus est, cũ seruus piger tã seuerè puniatur. *cũ autẽ uenerit filius hominis in maiestate sua*, Quia plurima de iudicio futuro parabolicè dixit, nũc apertis verbis ipsis iudicij formã ponit. Est autẽ hęc pars euãgelij oĩbus fidelibus diligenter inculcanda, quia supra modũ admiranda: ea enim apertè ostendũtur quę in illo extremo iudicio oĩbus sunt euentura. Notãter hoc loco dicit, filius hoĩs, cũ enim hęc diceret, vilis & miser apparebat, statim ignominiosum crucis suppliciũ subiturus. Filius enĩ hoĩs nõ est aliud q̃ filius mortalis, ex mortali, & misero hoĩe nat⁹. Tũc autẽ in maiestate sua venturus est, qñ veniet ad propriã & naturalem gloriã seu diuinitatẽ suã oĩbus reuelandã, etiã impijs, nõ eã quidẽ in seipsa, sed in effectis: nã tãetsi nõ videbũt hi eius diuinitatẽ, perspicuè tñ & euidenter cognoscent eum Deũ & Dñm suũ esse. Sãcti aũt videbũt eũ in essentia sua, & qualis in semet ipso est. Quidã per maiestatẽ, gloriã corporis Christi, quã in transfiguratione Apostolis ostẽdit intelligũt, quod licet verũ quoq; sit, magis tamẽ placet prius illud. *Et oẽs angeli cũ eo*. Aug. per angelos prędicatores intelligit, qui viã salutis nũciarũt: hi enim cũ Christo tanquã iudicij eius assessores sedebunt. Verũ potiùs intelligẽdi vidẽtur cœlestes spiritus, cũ quibus suprà se vẽturũ dixit & eorũ gloriã ostẽsurũ. In quẽ eundẽ sensum Aug. dicit Christũ cũ cœlestibus spiritibus descẽsurũ. Vidẽtur autẽ hic Angelorũ noĩe comprehẽdi oẽs spiritus celestes, sicut apud Zacha. oẽs sancti cũ Christo vẽturi dicuntur, vbi noĩe sanctorũ, vt & alias sæpe in veteri testam. angeli intelliguntur, quomodo accipit & Enoch, citatus à Iuda in sua canonica. Ostẽdit Christus inquit Chrysost. cœlos euacuari, omnes Angeli erũt

Psal. 49. Et lib. 50. Hom. 5.

Lib. 20. de ciuit. Dei cap. 24. Zach. ult. Dan. 4. et 8

cum

cũ ipſo, teſtantes quot quantaq; miniſterio ſuo, cũ à Dño mitterentur, ad ſalutẽ hoĩm peracta ſint. Deſcẽdet etiã Chriſtus ſtipatus oĩbus Angelis, vt nota fiat maieſtas eius & diuinitas. Vidẽtur autẽ viſibiliter apparituri, vt ab oĩbus etiam impijs videãtur, quẽadmodũ habet Greg. hom. 1. Domi. 2. aduẽtus. *Tunc ſedebit ſuper ſedẽ maieſtatis ſuæ* ſuper thronũ iudicialẽ, tanquã oĩm rex, & iudex, q. d. Nunc nõ apparet gloria eius incredulis, mox enim eũ crucifixuri ſunt: ſed breui is qui nũc iudicabitur, ſuper oẽs iudicij thronũ habebit, *& cõgregabuntur ante eũ oẽs gentes,* ſiue tũc viuẽtes, ſeu olim mortuæ. Fiet id autẽ angelico miniſterio, ſicut ſuprà dictũ eſt, & tradit Auguſt. de ciu. Dei. *& ſeparabit eos ab inuicẽ,* eodẽ videlicet angelico miniſterio, *ſicut paſtor ouium & hædorum ſegregat oues ab hædis,* qui die ſimul paſti, veſpere in diuerſis ſtabulis collocãtur. Chriſtus vt & aliàs ſępe in ſcripturis paſtori cõparatur, ſimilẽ autẽ de ouibus & hircis parabolã habes apud Ezech. Electi autẽ cõparãtur ouibus propter mãſuetudinẽ quã à Chriſto mãſuetiſsimo didicerũt: & quia illi ſimiles in patiẽtia, qui tanquã ouis ad occiſionẽ ductus eſt effecti ſunt. Rurſum quia oues animal ſunt admodũ fructiferũ & vtile: habẽt enim lanã, lac, & fœtũ. Hœdi verò animal eſt infructuoſum, & laſciuũ per aſpera, & dura ſaxis, ac pręcipitia incedẽs. Rectè ergo aſsimilãtur eis reprobi qui in via iniquitatis laſſantur, & difficiles vias ambulant. *Et ſtatuet oues quidẽ a dextris ſuis* in ſumma beatitudine, vbi iuſtitia, pax, & gaudiũ eſt, *hœdos autẽ a ſiniſtris,* in miſeria. Sic Auguſtinus libro de fide & ſymbolo, & de agone Chriſtiano. Secundùm hunc ſenſum non neceſſariò ſitus corporalis intelligi debet, ita vt à ſiniſtris ſint tantummodo reprobi, & nulli electi, nã electi aliqui etiamſi ſecundùm ſitum corporalem ſiniſtri erũt Chriſto, rectè tamẽ à dextris dicuntur futuri,

Math. 13. et 16. & 24
Luc. 9
Cap. 13. & 24.
Li. 20. c. 14
Ezech. 34
Ioan. 10
Sapien. 5
Gal. 7
Cap. 16.

quia in gaudio,& consolatione erunt: perfecti verò sancti qui simul tanquam iudices cum Christo sedebunt,à dextris, & sinistris eum videntur circundaturi.

Tunc dicet rex his,qui a dextris eius erunt. Meritò Christus nunc rex appellatur, quia regnum eius tunc apparebit, & iudiciaria potestas regiam eius potestatem necessariò consequitur. An autem quæ sequuntur vocaliter,an mentialiter tantùm in cuiusque conscientia dicturus sit Christus, incertum est. D.Thomas posteriorem partem amplectitur:cum quo sentiunt & alij, nisi quod extremã iudiciariam sententiam voce proferendam putẽt. Quicquid sit, certum est quod à sua quisque conscientia iudicabitur. Tractantur hęc apud Magistrũ sentent.lib.4.distinct.47. *Venite benedicti patris mei,* id est,à patre meo benedictione sancti spiritus cõsecrati. De qua Apostolus ad Galatas dicit: vt in
Gal.3. gentibus benedictio Abrahæ fieret. Quam Apostolus interpretatur ibi pollicitationem Spiritus.
Possidete paratũ uobis regnum. Græcè est,hęreditatem, quomodo vertitur & Psal.36. Mansueti autem hęreditabunt terram,& delectabuntur in multitudine pacis. sensus ergo est,possidete regnum tãquam vestrum, & tanquam paternam vestram hæreditatem. *paratum uobis*, vel in Dei prædestinatione, nõ solùm à constitutione mundi, verùm etiam ante eius constitutionem: vel paratum in prima rerum conditione, ita enim Deus hominem initio creauit, vt cum eo in æternum regnaret. *Esuriui enim & dedistis mihi manducare.* Hanc laudem non sunt diuites habituri, qui nudo, vel famelico exiguam aliquot obolorum stipẽ donârint: secus est de pauperibus, in his enim affectus pro opere imputabitur: quare in die iudicij pro paruis eleemosynis laudabuntur cum his qui amplas & largas fecerint

vnde

vnde veſtiri & paſci egentes poſſent. Imò vidua illa quæ duo tantùm minuta in gazophilacium miſit, ſupra diuites qui multa miſerant, fuit à Domino prædicata. *Et reſpondens rex dicet illis: Amen dico uobis, quam diu feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*. Fratres eos vocat, quia voluntatem Dei patris ſui fecerunt: Minimos autem quia pauperes ſpiritu & humiles. Aut quia in hoc mundo contempti, & abiecti fuerunt. Poteſt etiam hic eſſe ſenſus: Quicquid feciſtis vni alicui Chriſtiano, etiam vilíſsimo, mihi feciſtis, quãtò magis quod ſanctiſsimis viris præſtitum eſt, mihi factum fuit. Si Chriſto factum eſt quicquid vni præſtitum eſt, quantò magis factum ei reputabitur, quòd populis multis fuerit impenſum. *Mihi feciſtis*, id eſt, tam gratum habui non ſecùs ac ſi mihi in propria perſona neceſsitatem patienti ſubueniſſetis. *Tunc dicet & his, qui a ſiniſtris eius erunt: diſcedite a me*, nullam ſocietatem mecum habentes. Quãdiu hic viuimus, etiam impij exiſtentes, corpori dominico communicamus, & cum chriſtianis cõputamur, tunc verò omnimoda ſeparatio erit. *Maledicti* reiecti, & execrati, *in ignem æternum: qui paratus eſt diabolo, & angelis eius*. Signanter non ait, qui paratus eſt vobis, ſicut dixit electis, paratum eſſe eis regnum cœlorum: Gehenna enim in mundi principio præparata fuit Diabolo poſtquàm peccaſſet, non autem homini, vt qui tunc nondũ peccârat. At is poſtquàm ſocius illi factus eſt in peccato, factus eſt & ſocius pœnarum, eodem igne cũ eo torquendus. Diabolus autem principis hic nomen eſt, quem nos Luciferum appellamus, quòd tanquam ſtella aliquando effulſerit. Angeli ſeu nũcij eius ſunt inferiores dæmones, qui vnà cum eo lapſi ſunt de cœlo, nunciantq́ per ſuggeſtiones hominibus quod principi ſuo placitũ eſt, prauas videlicet

Luc. 21.

delicet cogitationes, desideria mala &c. *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & non dedistis mihi potum, hospes eram, & non collegistis me, nudus, & nõ operuistis me: infirmus, & in carcere, & non uisitastis me.* Aduertendum hic est causam æternæ damnationis esse omissionem eleemosynarum, ne leue peccatum putetur nõ esse misericordem. *Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine quando te uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi: Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico uobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Falsò hic annotat Erasmus Franciscanos nomen suum fratrum minorum ex hoc loco desumpsisse, vt largiores acciperent eleelmosynas, quin potiùs ex Luca, vbi dicit Dominus, Qui minor est inter vos, erit maior. Recenset hic autem Christus sex tantùm corporalia misericordiæ opera, septimo de sepultura omisso, quia nõ tam euidenti, vt cętera, necessitati subuenit, tùm quia sepulturæ necessitas à mortuo nõ sentitur, verè tamen opus misericordiæ est, cupiũt enim omnes id sibi impendi, vt corporis sui miseria tegatur. Hic quæri solet vtrum hæc sententia: Venite benedicti patris mei, possidete paratũ &c. dicatur omnibus electis, etiam ijs qui tanquam iudices Christo assessuri sunt. Augustinus sentire videtur sanctos illos qui iudices in die iudicij futuri sunt non iudicandos: cæterùm quia in pręcedenti parabola dictum est quod Christus posuit rationem cum Apostolis, & ad Romanos dicũtur factores legis iudicandi, defendente eos ipsorũ cõscientia, & eadem accusante, alij condemnandi. Et in Apoc. dicuntur ex libris secundũ facta sua iudicati pusilli & magni, videntur etiam Apostoli iudicandi. Nec sufficit solutio dicentium Apostolos iudicio retributionis non discussionis iudicandos quia

Margin notes: *Esa.14.* (beside "spondebit illis"); *Luc.9.* (beside "Dominus, Qui minor"); *Epist.89 & in Psal. 40. & 90* (beside "Venite benedicti"); *Rom.2* (beside "rationem cum Apostolis"); *Apoc.20* (beside "in Apoc. dicuntur")

quia omnium facta æquè discutientur, dum omnibus innotescent. Simili modo iudicabũtur infideles omnes etiã iudicio discusſionis, quomodo ex Luca colligi poteſt, vbi refertur Chriſti diſceptatio cum infidelibus Iudæis. Auguſtin. igitur ſupra citatus & Gregorius à Magiſtro ſententiarum allegatus, dum dicunt perfectos, & infideles non iudicãdos, magis ad præſens tempus, quàm ad extremũ iudicium ſunt referendi, quia videlicet hoc tempore præſenti toti Eccleſiæ fidelium perfectorum innoteſcit beatitudo & infidelium damnatio: ſed fidelium imperfectorum damnatio, vel ſalus, occulta remanet ante diem iudicij non reuelanda. Luc. 13 Lib. 4. diſt. 47.

Obſeruandum hic eſt ſuperiores ſententias de factis vel neglectis miſericordiæ operibus, non ad omnes pertinere, multi enim pauperes ſaluabuntur qui hæc non fecerunt, multi prædones qui hæc fecerunt damnabuntur. Similiter multi ſalui erunt, qui aliqua miſericordiæ opera, non tamen omnia omiſerunt. Sed ſciendum quod non ſolùm iſta opera, ſed bona omnia opera vt & omnia peccata, ſecundùm cuiuſque conſcientiam in iudicio ſint receſenda, vt ex parabola decem talentorum & ad Rom. 2. & Apoc. 20. ca. docuimus. Ideo autem peculiariter tantũ miſericordię opera eaq́ corporalia referuntur, vt hinc intelligatur quantum valeant ad delenda priora peccata. Regulariter enim peccatores ſumus, & facilius non eſt remedium vulgo Chriſtianorum, qui ſublimes gratias non habent, quàm vt corporalibus proximorum neceſsitatibus ſubueniant. Vnde audiendi non ſunt hæretici quidam qui ex hoc loco ſtatuere voluerunt non poſſe damnari eum, qui hæc opera miſericordiæ fecerit de quibus apud Auguſtinum in Enchiridio & libro 21. de ciuitate Dei cap. 75. cap. 22. & 27.

Quæ-

Quærat hic quiſpiam, cùm iuſti atteſtante eis propria conſcientia benefacta ſua noſcent, & ex fide edocti ſcient Chriſtum in pauperibus refici, quomodo interrogaturi dicuntur, Domine quando te vidimus eſurientem &c? Reſpondeo. Non obliti operum ſuorum aut promiſsionis Chriſti, hæc dicent, ſed quòd parum & exiguum eis videbitur pro mercede quã à Domino accipient, quicquid viuentes fecerunt. Hæc ergo ſignificat ſanctorum interrogatio. Cui non diſsimiles ſunt illę,
Ioan.13 Domine tu mihi lauas pedes? Vnde hoc mihi vt
Luc.1. veniat mater Domini mei ad me. Regis autem reſponſio ſignificat ſanctos in veritate ſic honorandos quaſi Chriſtum ipſum in propria perſona pauiſſent, veſtiſſent &c. Interrogatio verò impiorũ ſignificat illos perſeueraturos in ſuperbia illa qua nunc Chriſtum in Chriſtianis pauperibus non dignantur agnoſcere. Vnde nec ſpeciatim recenſent peccata ſua, ſed præ ſuperbia obiter tantũ referũt, cũ iuſti contra in laudem miſericordię Dei, immorẽtur in commemoratione dignationis Dei. Intelligi poteſt præterea hæc iuſtorum interrogatio, quod tunc occurret illis admiratio quam in hoc ſæculo habuerunt, conſiderantes tam ſtupendam promiſsionis Chriſti benignitatem, quam ſibi imputare dignatus eſt, quicquid infimo ſuorum factum foret. Sic Chriſti reſponſio, quod reipſa verã eſſe experientur hanc eius promiſsionem, quam viui per fidem crediderant.

Occurret & impijs excuſatio, qua ſolent in hac vita dicere, ſi nos Chriſtus perſonaliter viſitaret, magnificè eum exciperemus. ſi tales nuc pauperes forẽt, quales Apoſtoli fuêre, libẽter eis ſuccurreremus, ſed quia pauperes nunc malè viuunt, & eleemoſynis aluntur, meritò nihil eis damus: & hoc ergo ſignificare poteſt per iſtã impiorum interrogatio-

gationem. Increpante verò eos Christo, tunc demum ipsa rerum experientia cognoscent vanam fuisse suam illam quondam excusationē: quodq́; non habuerint veram erga Deū & proximos misericordiam. Ad eūdem modū intelligi potest inutilis illius serui in superiore parabola excusatio nimirum vel quia memor erit excusationis factæ in hac vita, vel quia perseuerabit in eadem malitia qua se in hac vita solet excusare. Similiter & in parabola decem virginum dictum illud, date nobis de oleo vestro: Et: Ite potius ad vendentes ne fortè nō sufficiat vobis & nobis propter productas ibi expositiones, hoc sensu accipi posset, quod tunc fatuis virginibus occurret, quod in hac vita confisæ fuerint, prudentum Virginum societate in eadē fide, ijsdemque sacramentis, quum tamen propriū oleum, id est, bona opera in semetipsis non haberent, vel certè sine recta intentione. Occurret quoque prudentibus virginibus quod diem iudicij in hac vita valdè timuerint, quòd in multis bonis operibus suis fiduciam minimè collocârint denique quòd solitæ sint stultas virgines adhortari vt in tempore prospicerent sibi de oleo bonorum operum, nam post mortem in die iudicij secum fore ea de re cogitare. Id quod minùs verum fuisse fatuæ tunc virgines experientur: quod iuxta superioris intelligentiæ cōsequētiā rectè significabitur per id quod sequitur, dum autem irent emere &c. Non enim videntur impij spem aliquā euadendęq́; damnationis in die iudicij habituri, eo nec sese excusatouri, quomodo nos facere hic solemus quoties spes aliqua super est euadendi. Tunc autem vnum quemq́; mala sua conscientia condēnabit. Ita in verbis diuitis Epulonis præter nudum desiderium nulla spe subnixum nihil apparet.

Quæri præterea solet, Cùm sanctorum animæ Dei Luc. 16.

Dei visione iam sint beatę, moxq́ue vt resurrexerint gloriosa sint corpora habituri quũ per hanc Christi sententiam sunt amplius accepturi, corpore & anima perfectè beati? Ad hanc quęstionem triplex est responsio. Nam primum quidem accipi potest illa Christi sententia vt in eos propriè cõpetat qui tunc viui inuenientur: qui sanè secundum animã necdum fœlices erunt, nec secundum corpus immortales. Solet enim scriptura sacra ita loqui de die iudicij, quasi omnes deprehensurus sit esset viuentes. Et hic quidem in ipso raptu mortui hac sententia ijdem cum olim defunctis regnum & beatitudinem accipient. Secundo intelligi potest per regnum & vitam æternam non tantùm animæ corporisque beatitudo quam sancti omnes mox cùm resurrexerint sunt habituri, verumetiam locus regni cœlestis qui beatis cõueniat, nimirum cœlum ipsum: sicut in sententia contra impios prolata æternus ignis exprimitur, in quo miseri illi sunt futuri: vt sancti per sententiam istam id accipiant quod Christus in die ascensionis. Tertio significari per has sententias potest, quod loquente iudice ac iudicij sui iustitiam suam omnibus declarante, verissimum esse omnes experientur quod Christus prędixit, & iustos inæternum regnaturos, & impios æterno igne cruciãdos. Atq; ita non hic significabitur accepturos aliquid vel sanctos vel impios per iudicis sententiam, quod in ipsa resurrectione non sint habituri. Secundúm quam interpretationem vocula, Venite, in sententia pro iustis ferenda significabit non corporalem & progressiuum aliquem motum, sed fauorem & congratulationem. Contra vocula, Ite, contra impios dicenda, odium & abominationem. Sic quod infrà sequitur: Ibunt hi in supplicium æternum, hunc habebit sensum: manifestum, clarumque

tunc

tunc omnibus fiet quod impij æterna supplicia acceperint, seu quod olim ad hæc supplicia ierint: iusti verò in vita sint æterna: id quod experientia tūc magis docebit, quā nunc doctrina tradi potest. Verbum est non Euangelistę, sed Saluatoris. Quod supra dixit ignem æternum. hic æternum vocat supplicium, pro quo Augustinus combustionem legit. Ignis autem iste corporalis erit in quo corpora damnatorum cruciabūtur, sicut tradunt Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei cap. 9. & Grego. in 4o. dialogorum. Quod verò August. alibi ait: Cuiusmodi sit ignis æternus, & in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminē, nisi fortè cui spiritus diuinus ostendit: id eo sensu dictum est, quia nemo scit ex qua materia, vel quale corpus in particulari erit ille ignis, quanquam corpus erit: sunt enim varia ignis genera, vtpote ex fulmine, ex lignis, cespitibus, sulphure, ferro, carbonibus, lapidibus &c. Quomodo verò iste ignis affliget dæmones incorporeos, ostendit Aug. li. 21. de ciu. Dei. De igne per quē transeuntes quidā salui erunt, sic ait Aug. in Psal. 37. & de vera & falsa pœnitētia. Grauior erit ille ignis, quā quicquid homo potest pati in hac vita: vnde intelligi potest quātô futurus sit grauior & acerbior ignis ille æternus & inextinguibilis. Quomodo verò possibile sit perpetuò hominem permanere in igne, & ex eo affligi, nec tamen consumi? Pulchrè id August. libro 21. de ciuitate Dei à cap. 1. vsque ad cap. 9. declarat ex mirabilibus Dei operibus quæ operatur in natura, quorum rationē nullus reddere potest; & pręter exempla Aug. de Salamandria & vermibus in aqua feruenti viuētibus aduehuntur ad nos à mercatoribus ex peregrinis locis, animaliū quorundā pelles, mappę, itē ac mātilia, ex admirando quodā lino confecta, quæ in ignē coniecta adeo nō exurūtur

Cap. 29. Lib. 20. de ciuit. Dei cap 16.

Cap. 10.

Cap. 18.

tur,vt mūdentur potiùs. Huc pertinet quod ignis noſter ex putribus albiſque lignis carbones facit albos ac imputribiles, qui in agris termini vice cōſtituuntur. Rurſus quod vinum aduſtum ſudario infuſum,conſeruet illud in igne illæſum, ac per cū emundet.Quod autem non ſit iniuſtum temporale & momentaneum peccatum æterno ſupplicio puniri docet Auguſtinus eodem 21. libro de ciuitate Dei cap. 10. & 11. Nam & iudices ſæculi dum homicidas occidunt,quod ad ipſos attinet in perpetuum tollunt eos ex hominum ſocietate, & in æternum eos vita ſpoliant, impertinens enim eis eſt quod poſtea reſurgent. Ad hæc dum peccat quiſque ſic animo affectus eſt, vt optârit peccatum illud eſſe perpetuum, ac voluptatibus libidinum,ebrietatis,crapulæ &c.ſemper frui:iuſtè ergo pœna voluntati affectuiq; peccati reſpondet.Sic qui iuſtus pro bona ſua voluntate mercedē à Deo accipiet tanquam pro ipſo facto & opere,vbi id ſola excludit neceſſitas.

Platonis verò ſententiam qui docebat omnes pœnas ſiue humanis,ſiue diuinis legibus inflictas, ſiue in hac vita,ſiue poſt mortem,emendationi adhiberi,& quandoq; finiendas refutat idem Auguſt. ibidem cap.13.ac tribus ſequentibus.Reliquis verò capitibus ad finem libri potiſsimùm cap.13. reijcit. qui omnium miſericordiam illorum in ſpeciem affectum, qui omnium ſaltem quorundam damnatorum hominum,quos fides catholica in æternum puniendos prædicat, finiendum quandoque putant ſupplicium. Vide eundem lib. de hæreſibus ad Quotvultdeum in hæreſi Originis, qui in eundem errorem, Platonem ſequutus, incurrit. Item lib.10.de ciuitate Dei cap.20. Hieronymum item in Epiſtola contra errores Ioannis Hieroſolymitani,epiſtolam item Epiphanij quæ apud Hiero-

rony-

nonym.extat. August.quoque libro contra Origenistas & Priscillianistas, vbi etiam docetur, non posse vocem illam æternum,pro diuturno accipi. cap.5.6.et 7.

Notanter autem dictum est,*in supplicium æternum*, ne quis Origenista diceret, æternum quidem fore ignem in quem impij detrudentur, semperq; aliquos in eo puniendos, dum videlicet alijs liberatis,alij semper post alios cruciandi succedent, neminem tamen perpetuò & in æternum ibi puniēdū aut mansurū. Nam cùm dicitur æternū supplicium,euidenter significatur nullius damnatorum finiendū supplicium. Id quod annotauit etiam Augustinus lib.de fide & operibus,& alijs compluribus in locis. cap.15. *Iusti autem in uitam æternam* Quod suprà regnum, nunc vitam æternam appellat. Non est ergo extra regnum cœlorum vita vel salus æterna· volebat olim Pelagius,& nunc quidam vitiorum amore persuadere sibi conantur, quod dicere interdum audimus : Ergo illic nec rex, nec inter primos esse cupio, suffecerit mihi si cœlū obtineam. Rex enim erit quicunque ibi futurus est, vt annotauit Augustinus lib.50.Homel.Cæterùm Homil. 50. nomen æternæ vitæ proprium est scripturæ noui testamenti,licet enim res significata sub alijs vocibus ibidem non taceatur,sub eo tamen nomine expressa ibi non reperitur.Et quanquam iuxta grāmaticam significationem videri posfit alicui in scripturis non exercitato competere in vitam quoque damnatorum, qua in tormentis in æternum perdurabunt: in sacris tamen literis pro beata tantùm & sine tormentis vita ponitur, quæ verè vita est,consistens in visione Dei, vt ait Christus apud Ioannem.Hæc est enim, inquit vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Ioan.16 Iesum Christum. Tunc enim, vt ait Apostolus, videbimus eū facie ad faciem sicuti est. Vide Au- 1.cor.15.

 gustin.

cap.11 guſt.lib.19.de ciuit.Dei. Vſque adeo autem beatitudo illa vitæ proprietatem obtinet, vt præſens hæc animalis vita, non alia cauſa hoc nomine cenſeatur, quàm quòd dũ in ea agitur, ſpes ſit ad alteram illam perueniendi: adeò vt ſi cuiquam ſua condẽnatio hic reuelata à Deo foret, nõ iã viuere propriè ſed mortuus eſſe diceretur, ob vitæ æternæ deſperationem. Solet hoc loco quæri, vtrum paruuli ante vſum rationis ſine baptiſmo ex hac vita diſcedẽtes ſub hœdis cõpręhẽdantur, ituri cum diabolo in ſupplicium æternũ. Ad quod reſpõdemus quod ſic: quemadmodũ enim in hac vita à diabolo poſſidẽtur, ita cum eo pœnarũ habituri ſunt ſocietatẽ. Dicũtur enim hic Gentes oẽs ante Chriſtũ cõgregandæ, & ex ijs duæ partes futuræ, altera ad regnũ altera ad æternum ſuppliciũ deſtinata. Nomine autem Gentiũ cõpręhenduntur & paruuli ante vſum rationis mortui, ſiue baptizati ſint, ſiue nõ. Si enim hi ante rationis annos morientes gentium nomine non cõpręhẽderentur, non pertineret, nec ad baptizatos quidem eos, Abrahæ promiſsio: Benedicentur in ſemine tuo (quod eſt Chriſtus) omnes (quæcunque ſcilicet ſunt benedicẽdę) Gentes: quod

Ioan.5 eſt longè abſurdiſsimum. Certè apud Ioannẽ manifeſtè cõpræhẽduntur paruuli, qui & ipſi ſunt in

Epiſt.107. monimentis. Vnde Aug. epiſt. ad Vitalem, & lib.6. cõtra Iul. docet paruulos in die iudicij iudicandos & recepturos ſecundũ ea quę geſſerunt in vita. cũ igitur paruuli nõ renati inter oues nõ ſint à dexteris collocãdi, cõſequens eſt, vt cũ hœdis in æternũ eant ſuppliciũ. Huc facit quod ſupra dictũ eſt, paleas (cuiuſmodi & infantuli illi erunt) comburen-

Math.3. das igni inextinguibili. Et omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mit-

Apoc.20 tetur. Et in Apocalypſi iudicati dicuntur mortui puſilli & magni: Et quotquot non ſunt inuenti ſcripti in

pti in libro vitæ missi in stagnum ignis. Atq; hanc esse Augustini sententiam videre licet ex serm.14. de verbis Apost. Item ex cap.92. & 112. Enchiridij. Item lib.21. de ciuit. Dei cap.12. & 35. lib.2. de peccato originali contra Celest. cap.20. & 21. ait Pelagiū de infantibus sine baptismo moriētibus dicere solitū: quo non eant scio, quo eant nescio: vtpote nō ausim eos cœlū polliceri, at non ituros in mortem perpetuam. Præterea dicit nullū esse medium locū vlli omnino hominum, vt qui cū Christo nō fuerit in regno & gaudio, esse non possit nisi cū diabolo in supplicio. Denique libro hypognosticon, qui tametsi Augustini non est, ex scriptis tamē eius à Catholico aliquo collectus est. In eadē sentētia est Gregorius lib.9. moraliū super Iob, cap. 16. Prosper libro 2. de vocatione gentium cap.8. Qui liber non rectè Ambrosio inscribitur. Fulgentius libro de fide ad Petrum cap.3. & 27. Nam huius hic liber est non Augustini, quanquam inter eius opera censeatur. Isidorus lib. 1. de summo bono capite 24. Commentarius item Hieronymo ascriptus super illud Psalmi. 118. Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. Denique Concilium Florentinū in quo hæc verba reperiuntur. Illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt definimus mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Vnde Aug. lib.5. contra Iulianū, asserere non audet paruulos illos in tātis malis futuros, vt eis expediret natos nō fuisse.

Lib.1. de pec.mer. & remis.c.28.

Cap.8.

Est quidem ita quod lib.3. de libero arbitrio dubitare hac de re videatur, sed retractat locū eum lib.2. de dono perseuerantiæ cap.11. & 12. Dicens id se ex Pelagianorum sententia dixisse, at fidem catholicam tradere paruulos non renatos in Christo in æternam & secundam mortem ire. Epistola quoque 28. ad D. Hieronymum eundem

 locum

locum citans, ait non placere ſibi quæ ibi de pœnis habet paruulorum. Ita ſe tamen loquutū, quia etſi verum eſſet quod dicunt Pelagiani, nihilominus malam eſſe Manichæorum cauſam. ſe interim catholicam tenuiſſe ſententiam.

IN CAP. VIGESIMVMSEXTVM.
Matthæi.

S*citis quia post biduum paſcha fiet, & filius hominis tradetur &c.* Parū refert ſiue cum Dionyſio Carthuſiano interrogatiuè hęc legas, ſiue cū Veteribus aſſertiuè: nec intereſt, vtrum per præſens tempus, fit, & traditur, vt Græci legunt, an verò vt noſtra habet verſio, ſit & tradetur, per futurū enūciemus. Paſcha ſignificat trāſitum: cuiuſmodi tres fuerunt. Imprimis angeli percutientis primogenita, deinde Domini defendentis Iſraëlitas. Poſtremò ipſorum Iſraëlitarum exeuntium AEgyptum. Vſurpatur autem in ſcripturis vocabulum Paſchæ vt ſignificet vel agnum, quem Iudæi comedebant in memoriam tranſitus quo AEgyptum exierant: vel primi menſis decimamquartam lunam, in cuius veſpera ſtatim poſt occaſum ſolis agnus comedebatur: vel eiuſdem menſis diem decimumquintum, quo celebrabatur ſolemnitas Paſchæ, & in cuius initio, nimirum nocte præcedente comedebatur agnus: Nam die decimaquarta ſtatim poſt ſolis occaſum, initium erat ſolennitatis, vſque ad ſequentis diei veſperam. Quo factum eſt, vt decima quarta luna diceretur Paſcha, ſeu feſtum Paſchæ, quòd nox quę ſolennitatis initium erat, illius lunę pars eſſet. Necnon decimaquinta Luna ſimiliter: cuius pars dies ſolaris cum nocte præcedente diē paſchæ (vt iam diximus) conſtituebat. Ex quibus facilè intelligitur quo tempore præcedentia contigerint

gerint,& quo die Christus hæc dixerit, si animaduertamus Iudęos primum diem Paschæ celebrasse die sabbati Christo iam mortuo, & feria sexta ad vesperam comedisse agnum paschalem. Quod quidem ex Ioannis euangelio perspicuum fit, qui docet Christum mortuum in parasceue paschæ, siue eodem die, quo Iudæi præparabant se ad pascha celebrandum,atque idcirco eos non introijsse prętorium Pilati, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Corpora quoque latronum è cruce sublata fuisse,quia sequebatur dies ille magnus sabbati. Sabbatum autem illud magnũ erat, quia ad communem solennitatem sabbati accedebat solennitas festi paschalis omnium celeberrimi, quod non incertum semper diem (sicut apud nos in dominicum)incidebat,sed in alium, atq; alium pro annorum varietate,vt posteà dicemus. Cõstat præterea ex Ioãne, Christũ quinto ante pascha die asello insidentem in Hierusalem venisse,diem etenim præcedentem quo Christus in Bethania erat cœnatus, scribit euangelista sextum fuisse ante pascha.Is autem quintus dies, iuxta supputationem Iudæorum decima erat mensis primi, quo agnus paschalis emendus,& domum deferendus erat, ne omnia essent paranda in ipso die Paschæ. Vt itaque res ipsa respõderet figuræ,eodem die Christus verus agnus inductus est in Hierusalem, eratq; feria secunda, seu dies Lunæ, quamuis Ecclesia huius rei memoriam Dominico die recolat, ad significandam videlicet Dominicę resurrectionis lętitiã. Quemadmodum autem agnus typicus sexta feria quæ erat decimaquarta dies primi mensis,immolabatur,ita verus agnus Christus eodem etiam tẽpore immolatus fuit: siquidem mortuus est decimaquarta mensis primi, circa horam tertiam, quo tempore mulieres præparabant & assabant agnum

Ioan.19 *Ioan.18* *Ioan.19* *Ioan.12*

paſchalem, eodem die poſt ſolis occaſum comedendum.

Marc.11 Feria autem tertia eiecit Chriſtus ementes, & vendentes è templo, feria quarta mirati ſunt diſcipuli de areſacta ficu. *Ibidem.* Et eodem die contigerunt quæ Matthæus commemorat, partim 21. capite, partim quatuor ſequentibus: Item quod Ioannes *Ioan.12* refert de Gentibus cupiẽtibus videre Dominum, nam ſequitur in Ioanne quod Chriſtus abierit à Iudæis, & abſconderit ſe ab eis, quod non contigit ante feriam quartam. Eodem die congregati ſunt ſacerdotes, & ſeniores populi, vt poſtea ſequitur.

Hoc ipſo quoque die dixit Chriſtus verba huius loci, vt aſſerit Auguſtinus, non autem feria *Epiſt.86 ad Caſula.* quinta, tunc enim non erat poſt biduum crucifigẽdus, ſed poſtridie. Deinde Matthæus expreſsè diſtinguit primum diem azymorum (qui erat feria quinta) à die, quo iſta dicta ſunt. Vocatur autem *Exod.12. Leuit.23* hoc loco paſcha ipſa feria ſexta, in cuius veſpera comedebatur agnus, nam dies decimaquarta primi menſis in cuius veſpera agnus comedebatur propriè vocatur Phaſe, ſeu Paſcha, & ſic ſequens dies non propriè vocatur paſcha: licet enim illa veſpera pertinuerit ad diem decimamquintam, tamen computatur rectè cum die decimaquarta. Menſis autem primus Iudæis incipiebat à primo Nouilunio poſt æquinoctium vernũ, quod apud nos eſt Lunatio Aprilis, huius igitur Lunationis decimaquarta die ad veſperam incipiebat feſtum Paſchæ, & dies azimorum. Quæ dies eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, fuit feria quinta: ſequenti verò die, ſeu feria ſexta Chriſtus fuit crucifixus. Secus eſt de noſtro paſchate: quod ſemper incidit in primam dominicam poſt plenilunium primæ Lunæ.

Prima

Prima autem Luna est cuius plenilunium est primum post æquinoctium vernale, quod semper est in Martio die duodecima aut circiter. Sed de his hactenus, nunc ad Euangelium veniamus. *Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur*, quasi dicat. Notum est vobis Iudæos feria sexta vesperi celebraturos paschalem solennitatem vt in memoriam reducant (Deo ipsos in terram promissionis deducente) transijsse de AEgypto, vbi seruierant manus eorum in latere & luto, quòdque angelus percussor cùm occideret omnia primogenita AEgyptiorum, conspecto agni sanguine in postibus Israëlitarum, transierit domos eorum, neminem lædens, & Dominus transierit super filios Israël defendendo eos à percussore. Verùm aliquid post biduum continget quod nescitis, nam & filius hominis tradetur tanquam verus agnus paschalis, per quem transitur à vitijs ad virtutes, à miseria huius mundi ad patriam cœlestem. Cuius sanguine quisquis aspersus fuerit liberabitur ab Angelo percussore: & Deum habebit propitium defensorem.

Hic (inquam) verus agnus paschalis post biduum, ipso die Paschæ Iudæorum tradetur à multitudine Iudæorum in manus gentilium, vt ab eis crucifigatur, sicut in veru fixus paschalis agnus assari solet. Hoc loco obseruandum occurrit (quod & antea monuimus) Christum sæpiùs prædixisse se occidendum, & semper posteriori loco plura explicasse quàm prius. In hac itaque prædictione suæ mortis adijcit præcedentibus prædictionibus definitum diem, quo esset crucifigendus. Insuper mysteriũ illius diei explicat, quomodo nimirum ipse verus sit agnus paschalis pro hominibus immolãdus. *Tunc cõgregati* feria quarta scilicet. Ex his quæ iã dicta sunt, manifestũ est cur Cap 20.

 aban-

ab antiquis Christianis feria quarta sit designata ieiunijs, & in hodiernum vsque diem à religiosis obseruatur, hoc enim die Christus prædixit Iudæis cœcitatem ipsorum, in qua derelinquendi essent à Deo: maximas etiam pœnas eis comminatus est, plurimis denique parabolis eorum miseriam descripsit. Præterea Gentiles ad eum videndum sunt admissi. Et Christus abijt, & abscondit se à Iudæis: & terribilia de excidio Hierusalẽ, de Iudæorum, totiusque mundi calamitate, denique de iudicio extremo prædixit. Tunc etiam cõspiratum est in eius necem: atque à proprio discipulo Iuda venditus fuit. *Princeps sacerdotum*, hoc est, eius ordinis præcipui, quos Ioannes pontifices
Luc. 22. appellat. *Seniores populi*, quos Lucas vocat principes plebis, quos nunc vocamus scabinos. In-
Marc. 14 terfuerunt etiam scribæ, vt quædam exemplaria habent, & Marcus & Lucas attestantur. *In atrium*, id est, ad aulam, seu domum regiam, vt apud
Psal. 28. Psalmistam: Adorate Dominum in atrio sancto
& 95. eius. *Principis sacerdotum*, id est, summi sacerdotis episcopi & pontificis qui vocabatur Cayphas.

Et consilium fecerunt. Ioannes capite vndecimo meminit alteriꝰ cõciliabuli, quod istud diu antecessit: quo decernitur Christus publicè occidendus. Hic deliberatur, quanam ratione tutò certóque comprehendi possitque atque ita teneri, vt manus eorum effugere non posset: & ad hoc perficiendum oportunè tempus deligitur.

Quærebant, inquit Marcus, quomodo eum dolo tenerent: nouerant eius prudentiam, qua toties eorum insidias euaserat, nec eos latebat quàm multos fautores haberet: Censebant igitur eum
Psal. 40. non apertè aggrediendum esse, sed dolo, fraudibusque circumueniendum, secundùm quod prędixerat Dauid. Susurrabant aduersum me omnes

nes inimici mei, aduersum me cogitabant mala mihi. *Dicebant autem*: Conclusio consilij. *Non est in die festo.* Non expedit eum apprehendere toto hoc festi tempore, siue per septem proximos dies azimorum, quorum tunc primus incœperat feria quinta, quoniam plurimi eo tempore ex tota Iudæa conueniunt in Hierusalem, & permanent vsque ad diem septimũ azimorum, qui admodum ei fauent, & multi eorum in eum credunt. Quare si eum apprehenderemus illo tempore, concitaretur in nos populus qui per tumultum eriperet eum de manibus nostris. Non enim seditionem cauebant, sed Christum sibi eripi, & euadere nolebant. Per illos dies omne masculinum debebat Hierosolymam venire, ibique totos septem dies azimorum commorari. Atque hoc est quod de Christo refert Lucas: Consummatis diebus, reuersisque parentibus in Nazareth remansisse puerum in Hierusalem. Si legamus (fieret) illud (ne fortè tumultus) est euãgelistæ explicãtis nobis rationem consilij Iudæorum. Sin verò cum Græcis legamus (fiat) Iudæorum est sic consultantiũ. Diuinæ prouidentiæ fuit quod cõstituerent Christum non in die festo occidendum, vt vel hinc intelligamus non humano consilio dispositum fuisse, vt Christus mereretur in Paschate, sed singulari directione Dei contra humanum consilium, vt nimirum Christus agnosceretur verus agnus paschalis, qui tolleret peccata totius mundi, sicut coram toto mundo, seu toto populo passus est, vt pulchrè explicat Leo I.

Luc. 2.

serm. 7 de pass. Dom.

Cum autem Iesus esset in Bethania, in domo Simonis Leprosi. Simon quondam Leprosus fuerat, sed à Domino mundatus est, retinuit tamen antiqui morbi nomen, vt virtus curantis Christi commendaretur, quemadmodum Matthæus iam Apostolus ab anti-

Hierony.& Iuuen. in carm. Dom. pass.

antiquo vitio in canone Apostolorum adhuc publicanus nuncupatur. *Accessit ad eum mulier*, scilicet Maria soror Marthæ, & Lazari, *habens alabastrum*, id est, pixidem ex alabastro confectam. Est autem marmoris genus candidum & varijs internitentibus coloribus pellucidum, quod ad vascula vnguentalia cauari solet, vt in quibus vnguenta optimè incorrupta seruentur. *Vnguenti pretiosi*, id est, quod continebat vnguentum pretiosum. Ioannes fuisse ait vnguentum Nardi Pisticæ, id est, confectum ex Nardo sincera, & germana, non mixta, vel adulterata Marcus verò vocat, vnguentum spicatũ, vel spicatę Nardi. Est autẽ Nardus frutex aromaticus, cuius semina in aristas spargũtur, magisque commendatur illud, quod ex spicis Nardi conficitur vel cui spicæ Nardi admiscentur. Vnguenti autem huius liquor admodum preciosus est, valetque ad instaurandas vires defessas, mira odoris fragrantia recreans & exhilarans.

Et effudit super caput ipsius recumbentis. Addit Marcus fracto alabastro seu pixide: vt celeriùs forsan perfunderet caput Christi, quem fessum videbat. Ioannes dicit etiam pedes Domini perfusos, & extersos capillis Mariæ. Vtrumque factum est: neque enim dubium est quin eadem à tribus Matthæo, Marco, & Ioanne narretur historia: tũ quia omnes istud in Bethania contigisse dicunt, tũ quia eadem indignatio contra mulierem, & eadem Domini responsio describitur. Sed Ioannes ordinem historiæ seruat, Marcus autem, & Matthæus obiter istud adferunt, vt ostendant quæ fuerit Iudæ occasio Christi vendendi, & inimicis consilij mutandi de non occidendo Christo in die festo.

Videntes autem discipuli eius, aut per syllepsim, qua pro vno omnes, aut vnus pro omnibus appellari

solet

ſolet ſignificatur hic ſolus Iudas quem Ioannes ſolum commemorat indignatum. Aut etiam alij diſcipuli incitati à Iuda ex imperitia indignati muſsitarunt. *vt quid perditio hæc?* quorſum perditio vnguenti fit? *potuit enim iſtud uenundari multo*, nempe trecentis denarijs, *& dari pauperibus*, hoc eſt pretium in pauperes erogari. Ioannes dicit Iudam falsò prætendiſſe curam pauperum, verè autem auaritiæ cauſam egiſſe. Eum in hoc facto imitantur hodie multi, dum contra ea quæ expenduntur ad cultum Dei, vel ad pium aliquem vſum murmurant, ſub prætextu curę pauperum, cum re vera ſola inuidia ducantur. Licet enim quandoque ſplendidiora quædam facere ad honorem Dei, nō enim omnia expendenda ſunt in vſus pauperum.

Sciens autem Ieſus ait illis. Sciens ipſum murmur, tametſi ad aures eius quærelæ perlatæ non eſſent: Apparet enim Iudam nō apertè reprehendiſſe Mariam, coram Domino, ſed occultè ipſam prodigalitatis inſimulaſſe apud alios diſcipulos. Dominus itaq; Mariam apertè defendit, dicens: *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* id eſt, cur eam obiurgatis? nā ſecūdū Marcū fremebant in eā. *Opus enim bonum* præclarū, & laudabile. *Nam ſemper pauperes* quorum curā prætexitis aduerſus Mariam, *habebitis uobiſcum*, & integrum erit quouis tempore illis benefacere, *me autē non ſemper habebitis*, citò carebitis mea præſentia. Nō enim ſic in poſterū ero vobiſcum, vt hactenus fui familiari conuictu, ſubiectus communi hominum neceſsitati, quo huiuſmodi corporalibus officijs de me poſsitis bene mereri Sic Hieronymus: Similiter &. Auguſtinus illud Ioannis: Iam amplius nō videbitis me. Sic & illud Lucæ intelligendum eſt: Cum adhuc eſſem vobiſcum, perinde ac ſi tunc cum illis non eſſet quia tunc nō erat ampliùs mortalis, & miſer ſicut Apoſtoli.

In matth. *Tract. 90 ſuper Ioan.*

Porrò

Porrò ſecundum diuinitatem ſemper nobiſcum eſt, vſq; ad conſummationem ſæculi: ſecundũ humanam autem naturam adeſt nobis in altari modo prorſus inexplicabili, longè tamen veriſsimo. Auguſtinus alibi hunc locum aliter exponit, vt Chriſtus alloquatur Iudam, & ei ſimiles: vt ſenſus ſit, Quamuis vidiamini mihi ad hærrere & me pro Domino veſtro habere, in futuro tamen ſæculo manifeſtum erit quod me non habeatis. *Mittens enim hæc unguentum hoc* Quod vos putatis perditionem eſſe vnguenti, officium eſt ſepulturæ. Si mihi ſepeliendo, aut ſepulto hoc vnguentum infudiſſet, nemo Mariam reprehenderet. æſtimetis, igitur ipſam anticipaſſe in viuo corpore, quod piè pręſtaretur mortuo. Moris enim erat apud Iudæos multis aromatibus condire corpora mortuorum, quo diutius incorrupta permanerent, ad commendãdam fidem reſurrectionis. Chryſoſtomus hic putat occultè taxari Iudam, ac ſi Dominus dicat: Iſta mihi obſequitur, & præſtat quicquid poteſt, tu verò qui me vis adigere ad mortem audes etiam hanc obiurgare! Ex eo autem quod Marcus dicit: Quod habuit hæc fecit, id eſt, fecit quod potuit, & præuenit vngere corpus meum, indicatur Mariam quandoq; deſyderaturam vt impendat vnctionem corporis Chriſti cùm non poterit præuenta videlicet reſurrectione: quaſi Chriſtus diceret: Maria quandoq; deſiderabit vngere me ſepultum, nec tamen poterit reputanda eſt igitur nunc præueniſſe officium ſepulturæ vnguendo corpus meum, quando poteſtatem vngendo habet. Hinc argumentum ſatis probabile habetur eandem eſſe hanc mulierem, quæ in hiſtoria reſurrectionis Magdalena vocatur, omnium maximè ad ſepultum vngendum ſędula. *Amen dico uobis ubicunq; &c.* Attende notitiam futurorum: Iam enim moriturus præuidet Euangeliũ de

Tract. 50 ſuper Ioan.

de Christo saluatore hominibus exhibito, toto orbe prædicandum & ex Christi amore mulieris huius memoriam quæ illi obsequiũ hoc præstitit apud omnes celebrandam. *Dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius*, hoc est, prædicabitur simul & factũ quod hæc fecit in memoriam eius, quæ fecit. Est enim, quod, relatiuum non aduerbium: similiter, eius, mulierem refert, non factum. Monet Beda obseruandum esse, quod sicuti Maria gloriam de obsequio præstito toto orbe adepta est: ita è conuerso qui obsequio eius detraheret non timuit, lõgè lateq; infamatus sit; Dominus tamen bonum opus laude digna remunerans, futuras impij contumelias silentio prętèrijt. Viderint hic quàm prudenter agant qui memoriam huius mulieris cæterorumque sanctorum abolere conantur, cùm euangelium habeant, quod mulieris huius memoriam celebrandam docet. Augustinus arbitratur hoc opus à Christo admissum tanquam propheticum, & significatiuum: Dicit enim: neque vllo modo quisquam sobrius crediderit Domini pedes ita vnguento pretioso perfusos, vt luxuriosorum & nequam hominum solent, quorum talia conuiuia detestamur. Odor enim bonus, fama bona est, quã quisquis bonæ vitæ operibus habuerit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes eius pretiosissimo odore perfundit. Ita quod in alijs personis plerumque flagitium est, in diuina, vel prophetica persona magnæ cuiusdam rei signum est. Hactenus Augustinus. Porrò diuersa fuit præsens vnctio ab ea quam commemorat Lucas de peccatrice veniam peccatorum à Christo impetrante, diuerso enim tempore vtraque contigit. Verùm id à cõmentatoribus in quæstionem vocatur, an vtrobique eadem fuerit Maria Marthæ soror. Hieronymus in ea est sententia vt putet hanc Mariã nõ esse pec-

De doctrin. christiana lib. 3. c. 12

Luc. 7.

Lib.2. de consen.euã. cap.79. peccatricem illam cuius meminit Lucas. Augustinus verò eandem esse autumat, adductus argumento verborum Ioannis, quibus ait, Maria erat quæ vnxit Dominum vnguento, vbi manifestè de sorore Marthæ fit mentio, & eadem vnctio innuitur, quam describit Lucas: Alioqui non diceret eam tum vnxisse, sed vncturam fuisse cùm vbique temporis ordinem studiosè admodum seruet. Nam exempli causa, dum Iudæ proditoris meminit ante proditionem factam, non dicit, Iudas qui eum tradidit, sed qui erat eum traditurus. Huc accedit quod Maria sæpiùs oppugnata fuit, semel à sorore Martha, semel à Iuda: semper autem à Domino defensa. Idipsum verò accidit peccatrici apud Lucam: à Simone enim reprehensa, à Domino defenditur. Deinde soror Marthæ semper ad pedes Domini describitur, semel Ioannis vndecimo, ac iterum duodecimo capite: & apud Lucam peccatrix illa adest etiam pedibus Domini.

Ioan.11 *Ioan.7.* *Ioan.6. & 12.*

Postremò & peccatrix & soror Marthæ videntur in domo Simonis familiares fuisse, & vtraque vnctio in eadem domo facta narratur: quare & vnguens eadem fuisse videtur, præsertim cum Lucas secundam vnctionem omittat, quod facturum fuisse non est verisimile, nisi de vnguente abunde antea dictum esse iudicasset. Mouent præterea quæstionem an Maria soror Marthæ peccatrix, sit Maria quæ vocatur Magdalena. Ex interpretatione autem quam paulò antè in eum locum (mittens hæc vnguentum &c.) attullimus omnino colligitur eadem esse. Idem probare videtur singularis sermo à Marthæ sorore, & Magdalena sub vtroque nomine ad Dominum habitus. Ad hæc, Magdalena Matthæi vlt. & Ioannis 20. indicatur accessisse ad pedes Domini sicut pro

more habebat soror Marthę. deniq; confirmat sententiam istam huius mulieris memoria, quã Christus toto orbe cœlebrandam affirmauit. Siquidem ecclesia vnicam mulierem eamq; Marthæ sororẽ, & peccatricem & Magdalenam celebrat.

Tunc Quarta feria, qua sacerdotes, & scribæ congregati erant apud Caypham. *Abijt unus* memor vnctionis huius, & indignè ferens mulierem à Domino defensam fuisse. *De duodecim.* Exaggeratio est ingratitudinis eius erga Dominum *qui dicebatur Iudas Iscariotes*, Ad distinctionem alterius, qui fuit inter duodecim eiusdem nominis frater Simonis, & Iacobi, cognomine Thaddęus. Dicebatur autem Iscariotes à vico Iscario, vel ab Isachar, de cuius tribu erat. *Quid uultis mihi dare* Infœlix Iudas, inquit Hieronymus, damnum quod ex effusione vnguẽti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare. Nec certam tamen postulat summam, vt saltem lucrosa videatur proditio, sed quasi vile tradẽs mancipium, in potestate emẽtium constituit, quãtum vellent dare, *Et ego uobis eum.* Non nominat Iesum, sed quem odit, & ab alijs odio haberi nouit satis notum existimat.

Aug. li. 2. de consen. euã. cap. 78.

In cõment.

Tradam seu prodam occultè. Apertè enim comprehendi propter vulgi fauorem, & suam prudentiam non potest. *At illi constituerũt illi triginta argẽteos.* Hoc pretium Dauid spiritu prophætico pręuidit, psalmo, cuius initium est, Deus laudem meam ne tacueris &c. in persona Christi loquens triginta maledictiones Iudę venditori, & Iudæis emptoribus imprecatur: Hunc enim Psalmum de Iuda intelligendum esse declarat Petrus in Actis Apostolorum. Mysticum autem sensum præsentis venditionis ab Augustino petere licebit, libro primo quæstione Euangelicarum quæstione 41.

Psal. 108

Act. 1.

Et exinde quærebat oportunitatem ut eum traderet scilicet

sine

ſine turba ac tumultu etiamſi ea oportunitas feſto die iſto accidiſſet.

Prima autem die azimorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum Oſtendimus ex Ioanne diem Paſchæ Iudæorum tempore paſsionis Chriſti incidiſſe in diem ſabbati Dominus igitur vno die citius celebrauit Paſcha quam alij, feria nimirum quinta ad veſperam, Iudæi verò celebrârunt feria ſexta ad veſperam. Expreſsè enim dicit Ioannes, Ante diem feſtum Paſchæ &c. Si Paſcha Iudæorum incidiſſet in feriam ſextam cùm dies feſti eorũ incipiant à veſpera precedente, uequaquam ante diem feſtum Paſchæ diceretur Chriſtus Paſcha celebraſſe, ſed ipſo die Paſchæ. Proinde vbi apud hunc Euangeliſtam, & Marcum diſcipuli interrogant: *vbi uis paremus* &c. non eſt intelligendum diſcipulos vltro interrogaſſe vbinam paſcha parandum eſſet, nunquam enim diſcipulis in mentem veniſſet. Chriſtum ante alios paſcha ſuum celebraturum, ſed priùs ſignificauit eis Dominus quod in celebrãdo paſchate populũ eſſet præuenturus. Hinc apud Luc. primũ iubet Petrũ, & Ioannẽ preparare Paſcha. Deinde quærũt illi de loco vbi id fieri velit: poſtea verò Dñs mandat diſcipulis hæc nunciari patrifamilias. *Magiſter dicit: Tempus meum prope eſt.* Redditur ratio, cur Chriſtus ante alios celebrauerit Paſcha, ſenſus enim eſt: Iam imminet mors mea ideo non debes offendi quod ego maturiùs celebrem Paſcha. Illud (primo die azimorum) intelligunt quidam de Paſchate ſolius Chriſti, non autem de paſchate totius populi, quaſi dicat Matthæus, feriam quintam fuiſſe primum diem feſti quod Chriſtus ſeruauit, quia feria quinta veſperi cœpit comedere azimos panes: ſed cùm Dominus dicat apud Matthæũ: Scitis quia poſt biduum paſcha fiet &c. Omnino videtur loqui de feſto totius populi Iudaici, non

Ioan. 13.

Ruptus ſuper Matth. & Paulus Burgen. ſuper Lyram.

non de priuato suo festo: alioqui nesciuissent Apostoli quodnam pascha futurum esset post biduum, neque verum esset quod Lucas ait, venit dies azimorum in quo necesse erat occidi pascha. Nō enim peccauerunt boni Iudæi qui non immolârunt feria quinta: nam eos tunc nō immolasse ex eo liquet, quod Christum tunc de cruce deposuerint, sepelierint & emerint aromata, quæ prima die Azimorū erant eis illicita. Annotant præterea Euangelistæ dies, & tempora, vt historico more tradant quid quoque die acciderit: popularia itaque eos & nota festa descripsisse, non priuata oportet. Quare Euthymius illud, primo die azimorum, interpretatur, pridie azimorum seu die præcedente diem sextam, in cuius vespera comedebant azima: vt feria sexta vocetur dies azimorum à sua vespera, & superlatiuus, primo, ponatur pro, priore. Quod verò Marcus habet Quando pascha immolabant, nō refertur ad ablatiuum, priori die, sed ad genitiuum Azymorum, hoc modo: Pridie festi azymorum, in quo festo solent Iudæi Pascha immolare. Dum autem Lucas ait (Venit dies azymorum) significat festum illud imminere, ad eum modum, quo festū aliquod imminens dicimus iam adesse. Celebrauit autem Christus pascha decimaquarta Luna, vt hic ait Hieronymus. Non tamen culpandi sunt Iudæi quod immolauerint decimaquinta Luna, ita, vt decimasexta luna esset eis primus dies festus.
Quamuis enim lex præciperet decimaquarta luna immoladi pascha statutum tamen anquiquum erat apud eos, ne vnquam duo festa solennia continuò celebrarentur, ne populus nimis grauaretur seruādis cadaueribus (quæ per eiusmodi festa sepelire non licebat) & cessando à parandis alijs necessarijs. Similiter neque nos peccamus celebrando quandoque pascha mense secundo, cùm tamen præce-

ptum ſit celebrari menſe primo in Martio videlicet. Quãdo enim ex præpoſitorũ negligentia contingit non ſeruari legitimos dies, excuſantur ſubditi. Cùm igitur tempore paſsionis Chriſti paſcha futurum eſſet feria ſexta, tranſlatum eſt ad diem ſabbati, ne ſimul ſabbatum, & paſcha per biduum eſſent celebranda, Chriſtus verò qui morte ſua aboliturus erat cæremonias veteres, nõ debuit anxius eſſe de ſabbato ſequenti, lex enim de ſabbato ſeruando per Chriſti mortem expirauit. Vide Rupertum ſuper Matthæum, & Paulum Burgenſem in additionibus ad Nicolaum Lyram. Cùm autem Chriſtus Dominus paſſus ſit octauo calendas Aprilis (quo die vt habet Auguſt.) etiam cõceptus fuit, celebrauit Paſcha nono calend. April. Atq; ſexto cal. eiuſdem reſurrexit: quinta verò Maij aſcẽdit in cœlum, ac decimaquinta deſcendit ſpiritus ſanctus. Porrò de myſterijs Paſchæ Chriſtianorũ, & de tempore celebrationis eiuſdem, eleganter tractat Auguſtinus altera epiſtola ad inquiſitiones Ianuarij. Et Beda in hiſtoria gentis Anglorũ. Quomodo verò nunc errare contingat in celebratione Paſchæ docet Ioannes Driedo de Eccleſ. dogmatibus.

Aug. lib. 4. de trin. c. 6. Lib. de ciu. Dei c. 8. & cap. 54. Epiſt. 119. Lib. 5. c. 21 Lib. 3. 4. p. cap. 5,

Vbi uis paremus tibi comedere paſcha? De domo quęrunt non de ciuitate, nam certum erat debere comedi in vrbe Hieroſolymitana. *At Ieſus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam.* Hebraica phraſi dixit, ad quẽdã, vt putat Hieronym. pro eo quem Dominus certis indicijs deſcripſit, quemadmodũ apud Lu. & Mar. deſcribitur paterfamilias baiulãs lagenã aquę. Auguſt. quoq; ſic exponit vt, ad quendam, verba ſint Euangeliſtę interiecta per parentheſim, fortè ſaluator patremfamilias nominare noluit, ne Iudas noſſet apud quẽ cœnare ſtatuiſſet: nam ſine dubio erat illuc Iudas ſatellites ſuos adducturus, ac myſticam

Lib. 2. de conſen. euã. cap. 8.

cœnam

cœnam, ac prolixũ sermonem illum quem Ioannes commemorat, impediturus. *Et dicite ei, Magister* tuus & noster (erat enim hic paterfamilias fidelis, ac Christi discipulus) *dicit, Tempus meum prope est &c.* hoc est, instat tempus transitus mei ad mortem, tẽpus gloriosæ resurrectionis & ascensionis ad patrem, ideoque ante cæteros sum pascha celebraturus, quod domi tuæ facere cupio vnà cum discipulis meis: quare pro numero conuiuarum sufficiens procuretur ciborũ apparatus. *Et parauerunt pascha* hoc est, præparauerunt agnum paschalem, curantes eum mactari & assari. Dum autem dicuntur præparasse pascha, vtique intelliguntur azyma, & lactucas agrestes adhibuisse, sine quibus non immolabatur pascha. Futile itaque est argumentum eorum, qui colligunt Christum consecrasse panem fermentatum, quod priùs celebrârit pascha, quam reliquum vulgus, nam sicut agnum parari iussit, ita etiam reliqua ad manducandum requisita. *Exod. 12. Num. 9.*

Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis. Manducato videlicet iam agno: id enim nisi stando fieri poterat. Annotandus est autem ordo rerum ea nocte in illa domo gestarum. Primùm ergo comederunt agnum paschalem, quo comesto, vel certè antea, facta est inter Apostolos contentio, quis eorum videretur esse maior. Deinde surrexit Christs à cœna, & lauit pedes eorum. Postea dixit se eis dedisse humilitatis exemplum. In eundem enim sensum coincidunt verba Lucæ, & Ioannis de humilitate. Inde Eucharistiam instituit, tum de proditore loquutus est (vt patet ex Luca capite 22.) Augustinus de consensu Euangelistarum libro tertio capite primo, existimat Dominum bis loquutum de proditore, semel ante Eucharistiæ institutionem *Luc. 22. Ioan. 13.*

apud Matthæum, ac postea iterum apud Lucã videlicet. Verùm id minimè necessarium est, Matthæus enim facilè intelligitur illud per anticipationem dixisse. Postquam enim Christus apud Matthæum respondit Iudæ, (tu dixisti) ordine sequitur historia, quam de seipso memorat Ioannes his verbis: Erat ergo recumbens vnus ex discipulis etiam vsque ad discessum Iudæ. Hic ordo cœnę satis consonat illi sententiæ, qua Christus dicitur lauisse pedes discipulorum, non solùm in exemplum humilitatis, sed etiam ad designandam idoneam præparationem ad Eucharistiæ perceptionẽ. Id quod habes apud Ambros. lib. de his qui myst. initi. cap. 6. & lib. 3. de sacrament. cap. 1. & Bernard. in sermone de cœna Domini.

Dixit turbatus à seipso (vt ait Ioannes) & præ se ferens magnam tristitiam. *Amen dico uobis quia unus uestrum me traditurus est.* Dominus, inquit Leo, dicẽs, Amen dico vobis, notam sibi proditoris consciẽtiam demonstrauit, non aspera, nec aperta impium increpatione confundens: sed leni ac tacita admonitione conueniens, vt faciliùs corrigeret pœnitudo, quem nulla deformasset abiectio. *Et contristati ualde.* Ecce, inquit idem Leo, immaculati, & innocentes discipuli ad significationem facinoris expauescũt, & oẽs sibi nõ ædito impietatis autore formidant: contristati enim sunt nõ de cõscientia reatus, sed de humanæ mutabilitatis incerto, timentes ne minus verum esset, quod in se quisque nouerat, quam quod ipsa veritas præuidebat. Et Augustinus super Ioannem. Sic in discipulis erat erga magistrum suum pia charitas, vt tamen eos humana alterum de altero stimularet infirmitas. Atque hoc est quod ait Ioannes: Aspiciebant ergo se inuicem. Et Lucas: Ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset. *Nunquid*

Serm. 7. de pass. Dom.

Ibidem.

Tract. 61.

ego sum Domine? Arbitror quamlibet interrogationem vndecim discipulorũ cor Christi, quasi gladio amoris transfixisse, dum innocentes discipulos per humilitatem sibi metuere videt, & ex nimio amore erga se contristari. *Qui intingit mecum manum in paropsidem hic me tradet.* Hieronymus, Chrysostomus, & Leo putant Iudam impudentia illa, qua Christum traditurus erat, dum cæteri discipuli contristati manum retraherent, & cibos ori suo interdicerent, manum misisse in paropsidem cum ipso Christo, vt audacia bonam cõscientiam mentiretur. Potest autem intelligi intinxisse, non tanquam in præsenti id fecerit, sed quod solitus esset cum Christo ex eodem disco cibum sumere, iuxta illud Psalmi: Qui edebat panes mecum &c. *Psal. 40.* Quem sensum sequutus videtur Augustinus, existimans hic non esse expressum quisnam esset Christum traditurus. *Lib. 3. de consen euã. cap. 1.* Facit autem illud, ad augẽdã proditoris ingratitudinem, qui non modo ei familiaris esset, verum etiam cum ipso in eadem mensa, atque ex eadem paropside comedere solebat. *Filius quidem hominis vadit*, scilicet per mortem ad patrem suum. Et quidem vadit, quia voluntariè, & spontè tradidit seipsum in mortem, quæ transitus magis quàm mors dici debet. Rectè autem ait, Filius hominis vadit, quia ea ratione qua Dei filius est, perpetuò stat, & permanet. *sicut scriptum est de illo.* In lege Moysi, Psalmis, & prophetis: quod addit Christus ad discipulorum consolationem, ne per eius mortem, quam in scripturis audiunt esse prædictã, turbentur. *Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur.* Etsi scripturæ compleantur in morte eius nihil tamen inde vtilitatis vel laudis accedet proditori illi, sed potiùs æterna miseria, & damnatio. Non enim malitia Iudæ salutem nostram operata est, sed sapientia Christi, qui malitia Iudæ ad no-

in coment. ſtram ſalutem vſus eſt. Hic inquit Hieronymus: pœna prædicitur, vt quem nō corrigit pudor, corrigant denunciata ſupplicia. *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Non eſt hinc exiſtimandum Iudam alicubi extitiſſe priuſquā naſceretur, quia videlicet nulli bonum aliquod niſi exiſtenti eſſe poſſit. Fuit is Origenis error, vt ſentiret nulli bonū eſſe quod natus ſit, animas enim ob peccata in corpus tanquam in carcerem miſſas atq; concluſas eſſe. Nihil aliud autem ſignificare Saluator hic voluit, quàm optabilius fuiſſe, prorſus natum non eſſe & nunquam fuiſſe, quàm in eam incidiſſe miſeriam in quantam Iudas incurrit. Porrò Auguſtinus tres huius loci proponit expoſitiones. Quarum prima hæc eſt: Melius fuiſſet Iudæ in vtero matris interire, quam naſci, & ad tantam miſeriam peruenire. Secunda: Melius erat ei non naſci, ipſi diabolo ad peccatum: Tertia: Melius erat illi vt non naſceretur ipſi Christo per vocationem ad Apoſtolatum, quàm quod factus eſt apoſtata. Harum poſteriores duæ à Domini ſententia ſunt ſatis alienæ: Prima verò non videtur ſufficere, qui enim in maxima ſunt conſtituti miſeria (qualem hic Saluator Iudæ futuram prædicit) optare ſolent nō tantùm ſe non eſſe egreſſos ex vtero matris, verùm etiam nunquam fuiſſe conceptos, vt Iob qui maledixit nocti, in qua conceptus fuit. Videtur itaque hoc loco ſignificari ſatiùs fuiſſe Iudæ, ſi neque natus vnquam neque conceptus fuiſſet. Quem etiam ſenſum habet idem Auguſtinus lib. quinto contra Iulianum. Vt autem intelligamus quomodo Iudæ melius fuiſſet non eſſe, quam in tantā venire miſeriam, quædam obſeruanda ſunt: Et in primis quidem, non eſſe, neque appeti poteſt ſecundum ſe, neque eſt bonum, vt tradit Auguſtinus: At verò dum apprehenditur vt excluſiuum miſeriæ, appre-

Lib. 1, quæſt. euan. ca 40

Iob. 3.

cap. 8.

Lib. 3. de li. arbi. cap 7. & 8.

apprehenditur tanquam bonum, licet reipsa nihil sit: potestq; recta ratione appeti non solùm à damnatis, sed etiam à miseris hominibus in hoc mūdo. Hinc in Ecclesiastico. Mors miseris bona, & optabilis dicitur. Et alibi: Fęlicior omnibus hominibus dicitur, qui necdum natus est: Sic enim illud exponit Hieronym. Similiter & id quod est apud Hieremiam: Maledicta dies in qua natus sum. Potest præterea, non esse, considerari cū omnibus suis circūstantijs, & nō tantùm vt miseriam auferens, sed etiam vt bonum aliquod tollens, atque hoc modo nō esset bonum damnatos nunquam fuisse, cū bonum, & iustum sit impios in æternum puniri. Itaque si quis expendat simul incommoda miserię & commoda suæ subsistentiæ non potest appetere non esse: sin verò attendat solam absentiam miseriæ, quæ ex non esse consequitur, non autem simul absentiam boni, quod ex eo quod sit habet, vel si incommodum miseriæ sit longè maius, quam cōmodum quod ex suo esse consequitur (sicuti in Iuda contingit) bonum esse ei si nunquam natus fuisset. Arbitrantur doctores istud competere in omnes adultos damnatos. Augustinus loco supra citato contra Iulianum asserere non audet istud in paruulos etiam competere sine Christi baptismate morientes, quia Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestibus, & impijssimis hoc pronunciauit.

Eccle. 41
Eccle. 4
Hierem. 20

Cæterùm quia reliqui omnes Apostoli interrogârant num ipsi eum essent proditurí, Iudas ne tacendo se prodere videretur, quærit & ipse. *Nunquid ego sum Rabbi?* Blandiùs Christum compellans quam cæteri. Rabbi enim Hebræis blandiùs sonat quam Dominus.

Ait illi, tu dixisti: Neque hic, inquit Augustinus expressum est vtrum ipse esset, potest enim adhuc intel-

Lib. 3. de con. cuā. c. 8

intelligi tanquam dixerit: Tu dixisti,nō ego dixi: Potuit etiam sic à Iuda hoc dici, & à Domino sic responderi,vt non omnes aduerterent: Hæc Augustinus cuius posterior expositio videtur accōmodatior,vt illud, Tu dixisti,sit modestè concedentis,& affirmantis,vt posteà de Caypha, & Pylato dicetur.Loquutio autem illa hinc sumpta videtur,quia qui interrogat aliquid,profert illud, licet non asserat,sic qui nunc modestè vult asserere, id quod quęsitum est dicit:Tu hoc dixisti,vel protulisti, quasi dicat,quod dicis non est falsum.

Cœnantibus autem eis, hoc est, Discipulis adhuc comedentibus post agnum paschalem, quod satis ex Ioanne constat, qui dicit intinctam buccellam Iudæ sub eius exitum traditam. Quare autem non liceat nunc Eucharistiam post cibum sumptum extra infirmitatis casum sumere, tractat Augustinus,

epist. 118. cap. 6. epistola ad Ianuarium. Ideo verò Lucas & Paulus dicunt Christum calicem post cœnam porrexisse,

ibid. ca. 5 inquit Augustinus,vt cæna appelletur ipsa sumptio corporis Domini, quemadmodum Paulus vocat cænam dominicam,acceptionem corporis Domini. Christus etiam corpus suum in cæna sumpsit

Quæst. 2. vt ait Hieronymus ad Hedibiam fœminam scribens:Dominus Iesus inquit, ipse conuiua, & conuiuium,ipse comedens,& qui comeditur.Thomas

In 11. ca. 1. ad Corint. intelligit corpus Christi inter cœnandum datum, sanguinem verò absoluta cæna, & huius rationem assignat, quia videlicet corpus Christi mysterium incarnationis iam factæ repræsentat, legalibus cęremonijs statum habentibus: inter quas præcipua erat agni paschalis cæna, sed sanguis Christi directè eius passionem repræsentat, in qua effusus est & per quam vniuersa legalia terminata sunt. *Accepit Iesus panem* azymum videlicet, quia agnus cum azymo pane comedi debebat, non tamen hoc exigente

gente

gēte sacramēti necessitate sed decētia. Græci enim verè in pane fermentato corpus Christi cōficiunt & in sua Ecclesia illam consuetudinem seruare debent, vt declarat Concil. Florentinum. Quod autem decentius in azymo pane consecratio fiat, declarat Thomas. Idem pulchre ostēdit cur Christus corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis & vini consecrari voluerit, & quare Christus nobis relinquere voluerit corpus suum, & sanguinem sub sacramento, quia (inquit) nemo vnquam saluus factus est sine fide passionis Domini, nā sicut nos quotidie in symbolo dicimus, Passus sub Pontio Pilato, sic patres veteris testamenti sancti dicebant tacite, passurus est, atq; hoc futurum in Messia sibi promisso credebant, & implendum, quod nūc certò credimus impletum, & factum. Ambrosius præter dictas rationes aliam adfert: nimirum vt ostendat Christus Christianorum sacramenta altiora esse Iudæorum sacramentis, Melchisedech enim in figuram Christi panem & vinum obtulit. Remigius quoque alias rationes assignat. Aptè (inquit) Christus fructum terræ obtulit, vt per hoc monstraret se ad hoc venisse, vt maledictionem illam, qua maledicta est terra propter primi parentis Adæ peccatum auferret. Congruenter etiā iussit offerri quę de terra nascūtur, & pro quibus homines maximè laborant, vt non esset difficultas in acquirenda sacrificij materia, & vt homines de labore manuum suarum Deo sacrificarent. In libro de hæresibus ad Quodvultdeum varios hæreticos, qui circa materiam huius sacramenti errarunt, recenset Augustinus. Quidam enim panem, & vinum, & caseum offerenda censebant, pro argumento sumentes quod Abel, & Cain fructus terræ, & ouium obtulissent, valde autem inconueniens videri, Cain potiùs imitari panem & vinum

3. part. qu. 67. & 74. art. 4.
Eadem qu. art. 1.
Eadem qu. art. 5.
Apud Thomam in catena
Genes. 14.

vinum offerentem, quam Abel qui obtulit de primogenitis gregis sui,& de adipibus eorum, pręsertim cum Dominus respexerit ad Abel, & munera eius, non autem ad munera Cain. Sed hic error magnus est, & ex ignorantia huius sacramenti manat. Rectè enim argumentarentur si in hoc sacramento maneret panis, & vinum, & in corpus & sanguinem Christi non mutaretur, qui est primogenitus gregis electorum, ac omni pinguedine benedictionis repletus, qui est verus Abel occisus

Haeres. 64. à Cain ad quem Dominus semper respicit. Eodem libro ponit Augustinus aliquos qui Aquarij nuncupantur, sub specie sobrietatis solam aquam offerre volentes, non intelligentes in hoc sacramento spiritualiter inebriari animam musto spiritus sancti, & vino, quod germinat virgines, vt ait Za-

Zach. 9. charias, nec repræsentari aduertebant Christi passionem, qui amore nostri inebriatus, sicut Noë, in Iudaico populo nudatus est, & à proprijs filijs sub-

Lib. 12. ca. 23. & 24 sannatus. Eleganter hanc figuram prosequitur Augustinus contra Faustum, & Cyprianus vbi contra Aquarios disputat. Si autem rogetur cur sub

Lib. 2. epi. 3 alièna specie instituerit, vel hoc sacramentum dederit Christus. Respondeo vt fides locum haberet, & meritum: & ne horreremus carnem humanam, & sanguinem in propria specie sumere. *Et benedixit* id est, gratias egit, vt idem verbum Græcum versum est apud Paulum & Lucā, quemadmodum enim Christus ante Lazari resuscitationem quod in omnibus à patre suo exaudiretur, gratias ei egit, idque clara voce, vt à turba circunstante audiri & intelligi posset, ita sacramentum hoc instituturus magna cordis lætitia in laudem patris sui erupit, vsqueadeo, vt oculos omnium discipulorum sigulariter in se intentos faceret. Egit autem gratias Deo patri, quod iam ipsius morte redem-

redempturus esset totum genus humanum, quodque in tanti benificij memoriam, potestatem ab eo accepisset, instituendi singulare hoc sacramentum, quo perpetuò corporaliter fidelibus suis adesset, & per quod omnes fideles adunarentur. Hinc etiam antiquissimo ritu hoc sacramentum cœlebrari nō potest sine gratiarum actione, ita vt quamuis varij sint apud græcos & latinos in huius sacramenti cœlebratione ritus ac cæremoniæ, in hoc tamen coueniunt, quod nec sacrificium pro defunctis, nec pro viuis sine singulari Dei laude, & gratiarum actione Patres cœlebrari voluerint. Hinc mox in ipso prefationis, quā vocamus, initio, dicitur. Benedictus qui venit in nomine Domini. Imò in figuram istius nec in veteri quidem lege mente tristi, & lugubri sumenda erant vetera sacrificia. Nemo tamen hinc argumentari debet non rectè in Missæ canone distingui inter benedicere & gratias agere; aut sacerdotes dum benedictionis verbum proferunt, imperitè super hostiam crucis signum facere: quamquam enim hoc verbum apud Mathęum & Lucam propriè gratiarū actionē significet, apud Marcum tamen aliud verbum est quod significet benedicere; non solùm quomodo Deo benedicimus, sed etiam, quomodo creatura benedicitur, cum quis ei benè precatur: quale & illud apud Lucam: Eleuatis manibus suis benedixit eis, Et factum est, dum benediceret eos recessit ab eis. Item, benedicentur in semine tuo omnes Gentes, sic Christus ipsis panibus, & piscibus benedixisse dicitur. Benedicere etiam interdum pro consecrare vsurpatur, vt calix benedictionis cui benedicimus, id est, quem consecramus. Sic Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 4. & 5. inter illa duo, benedixit, & gratias egit, canonem sequutus distinguit. Venerabilis Beda in Marcum mysticè istam

Leuit. 10
Deut. 16
Marc. 14
Luc. ult.
Genes. 12
Luc. 9.
1. Cor. 10

istam panis benedictionem hoc modo exponit: Panem, inquit, benedixit Christus, quia naturam humanam quam passurus assumpsit, ipse vna cum patre, & spiritu sancto gratia diuinæ virtutis impleuit. Quod verò in Missa dum sub consecrationem verbum benedixit, profertur, signum crucis formetur, id nō ideo fit, quasi benedicere significet cruce signare, sed quia omne bonum, & omnis virtus sacramentorum ex Christi passione pro nobis crucifixi prouenit. Quomodo autem panis benedici in consecratione dicatur, cùm tunc mutetur, & desinat esse panis, pulchrè declarat Thom. docens irrationales creaturas dici benedictas, vel maledictas, quaten⁹ ex ijs boni aut mali aliquid facimus. Hæc autē benedictio quam Christus protulit super panem, non fuit aliud quàm prolatio horum verborum. Hoc est corpus meum. Si nūc enim tanta est eorum virtus, vt sacerdotes in persona Christi ea proferentes (vt ex B. Ambrosio & Ecclesiæ traditione constat) corpus Domini cōficiant, non est existimandum minorē ea vim habuisse cùm à Christo proferrentur. Qua de re consule Diuū Thomam. Solet etiam quæri circa hunc locum, an Christus in hac cœna corpus sanguinemq́ suum Deo patri obtulerit, & sacrificârit. Sanè cùm oblatio nihil aliud sit, quàm aliquid Deo oblatum in agnitionem summi eius dominij, & Christus in cœna corpus & sanguinem suum consecrauerit ad honorem Dei patris, atque ei gratias agendo distribuerit, clarum est eum obtulisse & sacrificasse. Deinde fuit sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Sed si in cœna seipsum non obtulisset in sacramento, nunquàm ritū Melchisedech obseruasset, qui panem, & vinū obtulit: vt ostendunt Cyprianus lib. 2. epist. 3 August. in Psalm. 190. Irenæus lib. 4. cap. 22. & sequentibus

secunda secundæ quæ. 76. ar. 2

3. part. quæ. 78. art. 1.

Psal. 190

bus. Leo sermone 7. de passione Domini, & alij complures.

A c fregit scilicet corpus suum, siue panem iam consecratum. Quomodo verò dicatur hic corpus Christi frangi, & anne magis propriè species dicantur frangi, quam corpus secundùm species, tractat Magister sentent. vbi etiam ostendit quid istæ partes fractæ significent. Hoc loco autem sufficit annotare quod sub qualibet fractionis particula, integer Christus remaneat, quanquam hæc fractio significet diuisionem, & lacerationem, quam Dominus in passione sustinuit in corpore suo, dum flagellis cæsus, spinis, clauis, & lãcea perfossus est, vnde pro eo quod habemus apud Paulum, quod pro vobis tradetur, græci legunt, quod pro vobis frangitur, sicut de sanguine postea dicitur, qui pro vobis effundetur. quasi dicat Corpus meum pro vobis sic lacerabitur, sicut nunc sub specie panis hic frangitur. Atq; hinc ortum est, quod tempore fractionis hostię, siue cùm primùm fracta est, tanquã cernentes Christum crucifixum, inuocemus eum, dicentes: Agnus Dei qui tollis peccata mundi &c. Quod singulis totius anni diebus in sacrificio missæ dicitur, excepto sabbato sancto, quia tunc Ecclesia in luctu sit. Significat etiam ista fractio diuersas gratias spiritussancti in Christi corpore mystico, quod est Ecclesia ex Christi passione prouenĩẽtes. Non ociosè dicitur, Christus ipse panem fregisse, non frangendum Apostolis tradidisse, quo nimirũ significetur nõ absq; propria sua volũtate factum esse, quod Iudæi ipsum lacerauerint, & crucifixerint. *D edit q; discipulis suis*, tam Iudæ, quàm alijs vt constat ex Luca, qui tradito sanguine dicit Christum dixisse, Veruntamen ecce manus tradẽtis me mecum est in patena: vbi manifestè liquet, Iudam post traditum calicem adfuisse: quod & omnes veteres

Genes. 14

Lib. 4. sen. 12. dist.

1. Cor. 11.

in matth. teres tradunt, dempto vno Hylario, qui ex eo quod ſequitur, donec bibam illud vobiſcum, putat Iudam non communicaſſe, nam manifeſtum eſt(inquit)Chriſtũ non bibiſſe poſtea de hoc genimine vitis cùm Iuda in regno patris. Sed facilè reſpondetur, non loqui ibi Chriſtum Iudæ, ſed vndecim tantùm Apoſtolis, ſicuti quando dixit. Et vos mundi eſtis,ſed non omnes,quia non Iudas. Vel ſi loquatur etiam Iudæ, intelligendum erit id ei dictum ſecundũ quod erat Apoſtolus, nõ ſecundùm quod erat priuata perſona & completũ eſſe in

math. 11. Mathia eius ſucceſſore: ſicut quando dixit:Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Iſraël.Quanquam & ſic intelligi poteſt, bibam vobiſcum, videlicet quantũ ex me eſt, per me non ſtabit quo minùs etiam cum Iuda bibam.

Accipite, & comedite, Meritò in hac vita eis corpus ſuum comedendum tradidit,mirabilem enim adfert gratiam eis qui dignè id ſumũt. Qua de re plu-

3.par.q.67 ra Thomas,Cyrillus,& Chryſoſtomus. Canõ no-

in c.6.10. ſter hoc loco addit, Comedite, ſeu manducate ex

in eund.lo. hoc omnes,ſicut de calice dicitur.bibite ex hoc omnes,ad deſignandum quod omnes Apoſtoli ex vno communicati ſunt. In quo nõ paruũ eſſe my-

1.cor.10 ſterium oſtendit Paulus,dicens: Vnum corpus, & vnus panis multi ſumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus.

Hoc eſt corpus meum. Romana Eccleſia ex traditione Petri Apoſtoli coniunctionem,enim, in conſecratione corporis Domini adiecit, ſicut in conſecratione calicis expreſsè ea adijcitur à Matthæo, hoc namque ſenſus requirit,nam ideo Chriſtus ad id ſumendum quod in manibus habebat,eos inuitat quod corpus eius eſſet. Ex eo autem quod Apoſtolus reum eſſe pronunciet corporis & ſan-

1.cor.11. guinis Domini qui Euchariſtiam indignè ſumpſerit,

rit, quia corpus Domini à cæteris cibis nõ discernat, item ex ipsa Apostolorũ viua traditione certo tenendum est sermonem hunc. Hoc est corpus meum, minimè tropicum esse, sed proprium, eoq́; significari proprium & naturale Christi corpus quod suspensum est in patibulo, & nunc ad immortalitatem resurrexit esse verè, propriè, & realiter in Eucharistia. Quod abunde ostenderunt scriptores contra Sacramentarios scribentes ex omnibus catholicis doctoribus, qui ab initio nascẽtis Ecclesiæ vsque ad nostra tempora extiterunt. Nimirum ex Irenæo lib. 4. contra hæreses cap. 22. & sequentibus. Hylario lib. 8. de trinitate. Ambrosio lib. de his qui mysterijs initiantur cap. 9. & lib. 4. de sacramentis ca. 5. & 6. Chrysostomo in Matthæum Homil. 36. 51. & 83. Item in Ioannem Homel. 45. Hieronymo epistola ad Rusticum monachum. Cypriano lib. 2. epistola 3. Et in expositione orationis Dominicæ. Cyrillo in 6. ca. Ioannis Cõcilio Ephesino primo. Leone papa cũ Synodo Romana ad clerum & plebem Constantinopolitanã. Quorum duobus postremis ita certum, & persuasum fuit in altari esse corpus, & sanguinem, Domini, vt inde refutârint Nestorianam sui temporis hæresim, quæ docebat alium esse filium Mariæ habentem corpus, & sanguinem, alium Dei filium incorporeum, & Eutichianam, quæ docebat naturam carnis, & sanguinis à diuinitate absumptam. Irenæus etiam loco supra citato, ex eo quod certum & exploratum habebat corporaliter nos Christi corpus, & sanguinem sumere, refutat eos qui corporum nostrorum negabant resurrectionem. Synodus quoque septim. vniuersalis quę est secunda Nicena, docet Apostolos, vel patres nunquam Eucharistiam vocasse imaginem corporis Christi, sed semper corpus Christi.

Et in

Et in Synodo Romana, quæ tempore Nicolai papę primi facta est residentibus in ea 113. Episcopis, coactus est Berengarius suam reuocare hæresim, quã primus inuexerat, qua docere cœperat panem, & vinum, quæ in altari ponuntur post consecrationem non esse verum corpus & sanguinem Domini, sed signum tantum. Sic in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. & in Concil. Constantiensi hęresis ista damnata fuit. Cæterùm quia D. Augustinus alicubi de Eucharistia ita loquitur, vt imperito Lectori sacramentarijs fauere videatur, explicanda erũt eius verba quo sensu ab eo dicta sint, neq; enim putãdus est in hoc religionis nostrę dogmate à fratrũ suũm, doctrina sentẽtiaq́ recedere, vt ex varijs eius locis manifestum euadit. In primis enim lib. 3. de trinitate dicit hoc sacramentum
cap. 4. significare Christum, sicut alia eum significãt, hoc tamen habere præ cæteris sibi proprium, quod etiã corp' & sanguis Christi sit. Ibid. tã graui authorita-
ca. 10. eius. te tradit hoc quod est in altari esse Christi corpus, vt si nunquam alibi species illa nisi in altari videretur, nihil aliud crederetur quàm Christum in tali specie apparuisse moi talibus, & talem liquorem
psal. 68 de latere eius fluxisse. Rursum ita in hoc sacramẽto Christum esse asserit, vt ab omnibus adorari debeat. Vide eundem quæ dicat præfat. in Psalm. 33. & quæst. super Leuiticum cap. 26. Quando ergo dicit in libro contra Adamãtum Manichæi di-
cap. 12. scipulum: Non dubitauit Dominus dicere: Hoc
epist. 23. est corpus meum, cùm signum daret corporis sui, quomodo loquitur & in Epistola ad Bonifacium: & super Psal. 89. Non hoc, inquit, corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri sanguinem illum quem fusuri sunt qui me crucifigent. Non negat verum corpus Christi esse in Eucharistia, sed tantummodo intelligit non esse id ibi in propria

ſua ſpecie, quomodo apparebat quum in terra verſaretur, & nunc in cœlo cernitur. Ipſum autem corpus Chriſti verè exiſtens in ſacra Euchariſtia, ſub aliena tamen ſpecie occultatum, ſignum eſt ſui ipſius, ſub propria quondam ſpecie in hoc mundo conuerſantis, & nunc apparentis, & aſsidentis patri in cœlis. Atque ita ipſum ſumimus in veritate, non tamen ſub propria ſpecie. Hunc eſſe ſenſum Auguſtini, planum eſt ex verbis eius quæ citantur à Gratiano. Cauſa verò cur Auguſtinus, & alij aliquot veteres aliquando obſcurè loquuti ſunt de tanto myſterio hæc videtur fuiſſe, auditores habebant tunc temporis non modò Chriſtianos, ſed & cathecumenos & infideles, à quibus legebantur etiam eorum libri & ſcripta: quare coacti ſunt de religionis noſtræ myſterijs tectiùs obſcuriusq; loqui ac ſcribere, ne ſanctum canibus darẽt. Sic Dionyſius Areopagita ritus ſacramentales literis mandaturus, ſanctiſsimè obteſtatur Timothęũ ne quæ ſcripſiſſet in publicum efferret, nec ea niſi Epiſcopis legẽda communicaret, primus tamẽ admonitis, ne quibus alijs & ipſi communia facerent. Cõſule Ambr. in princ. li. de ijs qui myſterijs initiantur, Baſilium, & Auguſtinum, vbi oſtẽdit moris fuiſſe antiquitus, vt occultaretur cathecumenis myſterium Euchariſtię. Vnde pro more habet, vt, quando de Euchariſtia loquitur, hoc adijciat, norunt fideles, hoc modo ſatis eos inſtituens, & occultans cathecumenis. Hinc arbitror antiquitus à Gentilibus accuſatos fuiſſe Chriſtianos, tanquam veſcerentur carne humana, quia ſumebant corpus & ſanguinem Chriſti, vt apparet ex hiſtoria Euſebij. Hinc etiam idololatræ deridebant Chriſtianos quod dicerent ſe Deum ſuum in ſacrificijs ſuis præſentem videre, vt refert Auguſtinus. Si quis autem roget qui fieri poſsit, vt ſub tam exigui panis ſpe-

De conſec. diſt. 2.

Lib. de ſpir. ſanct. c. 27.

Tra. 13. & 96. ſup. Io.

Lib. 5. hiſt. eccleſ. ca. 1.

Epiſt. 43

nis ſpecie tam magnum corpus contineatur: quemadmodum infideles Iudæi interrogauerunt: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Rogabo & ego viciſsim eum quomodo fieri poſsit, vt tres perſonæ ſint vnus Deus, eadem perſona ſit Deus & homo; ex nihilo aliquid fieri potuerit, mortuus reſurgere poſsit, virgo parere, corpus humanum clauſis ianuis ad diſcipulos intrare, deniq, quomodo in cœlum aſcendere. Certe innumera ſunt etiam vſitata naturę, quorum rationem reddero non valemus, vt quod homo generat hominem, quemadmodum bene ſenſit mater Machabęorum, dicens: neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis. In talibus rebus, inquit Auguſtinus, tota ratio facti, eſt potentia facientis. Aduertendum verò eſt quod dicat Chriſtus: Hoc eſt corpus meum, non autem hoc eſt caro mea, quia plus cōplectitur, & includit corpus, quam caro: ad corpus enim pertinent nerui, oſſa, ſpiritus vitales, animales, naturales, & ſimilia, quæ ad carnem non pertinent. Per pronomen, Hoc, Demonſtratur id quod Chriſtus in manibus habebat, quod Apoſtoli ſumebant, quod videbatur eſſe panis. Et quia ſermo hic Chriſti operatorius erat, verificatur oratio illa non pro tempore, in quo profertur, ſed pro tēpore quo iam prolata eſt: ſicut ſermones omnes quibus quid imperamus aut efficimus verificātur pro illo tempore quo finita eſt oratio & completam habet ſignificationē, vt quando Chriſtus dixit, Remittuntur tibi peccata vel quando quiſpiā alteri dicit, do tibi hanc veſtem, ignoſco iniuriā mihi illatam, vel cùm Dominus manumittens ſeruū dicit: Tu es liber. Item ſponſus ſponſę do tibi fidem meam in quibus omnibus completa dūtaxat ſignificatione, & oratione ipſa, oritur effectus, quē quis per has orationes efficit, ſicut etiā cū imperat Dominus

Epiſt. 6.
Epiſt. 3. ad Voluſianū.

minus seruo, fac hoc, non oritur obligatio nisi cōpleta oratione, simili modo nec erat ibi corp' Christi, donec cōpleta esset oratio. Hoc est corpus meū.

Et accipiens calicem, in quo vinum erat aquæ mixtum. Cur autē aqua admisceatur, & an in magna quantitate debeat apponi, deinde vtrum sit de necessitate sacramenti: rursum quid significet, tractatur apud Magistrum sentent. pluribus distinctionibus. *Bibite ex hoc omnes*. Inuitantis est, non præcipientis: atque vt detur præcipientis esse, non potest is Christi sermo ad alios quàm duodecim præsentes pertinere, quos tunc solos alloquebatur. Quare ex hoc loco non potest statui necessitas cōmunionis sub vtraq; specie. *Hic est enim sanguis meus*, idem est, ac si dixisset, hoc est sanguis meus, vt *hic*, pronoīs officio fungatur. Cōiunctio, *enim*, nō est in textu græco apud Matth. sed sensus eā omnino exigit. *Noui testamenti*. In græco habetur, hic est sanguis meus qui est noui testam. Testamentū significat pactū, vel promissionē, & vsurpatur specialiter pro illa dispositione quæ à morientibus cōditur, vt patet ex Apost. Testamentū enim sola morte interueniēte cōfirmatur. Duplex autē in scriptura assignatur testamētū: Vetus, & Nouū. Vetus est pactū Dei quod inijt cū Iudæis, vt si seruarent mandata decalogi, haberēt abundantiā bonorū terrenorū, imò etiā vitam æternā. Hoc pactū irritū factum est dum non seruârunt mandata Dei, imò accepta scientia legis per propriā malitiam magis sunt præuaricatores effecti. Hoc testamentum confirmatum fuit sanguine pecudum: cùm enim Deus mori nō posset secundùm diuinitatem, vt alicuius morte confirmaretur hoc pactum, occisa sunt pecora, & eorū sanguis oblatus est: maximè quia sic præsignari oportebat sanguinē noui testamenti: Nouū verò testamentum promissio est, qua Deus fidem, spem cha-

Lib. 4.

Heb. 9.

Exod. 24

charitatem, veniam peccatorum & vitā æternam electis suis se daturum promisit, vt ait Augustinus lib. de spiritu & litera à cap. 19. vsque ad 25. Istud autem testamentum post lapsum hominis statim promulgatum fuit, quando dixit Deus serpenti: Ipsa conteret caput tuum, & quando dixit Abrahæ: Patrem multarum gentium constitui te, &: Benedicentur in semine tuo omnes Gentes. Quanquam

Genes. 3. & 22. verò à principio mundi promiserit Deus iustitiā, & vitam æternam, vocatur tamen nouum testamentum, tum quia per nouum Adam impletur, & pro veteris Adæ nouatione institutum est: tùm quia nouissimis temporibus per Christi passionē, & resurrectionem in toto orbe terrarum patefactū est: Sicut & illud vetus testamentum dictum est, tum quia veteri homini datum, vetustatem eius non abstulit, sed auxit potiùs: & ad hoc datū fuit homini, vt peccati vetustatem agnoscens consurgeret ad nouum Adam: tum quia prius tempore vulgo Iudæorum manifestatum fuit. Sic Augustinus, lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianor. cap. 4. & loco suprà citato de spiritu & litera. Vocatur au-

Hiere. 32 tem idem nouum testamentum (æternum) quia nunquam erit irritum, sicut irritum fuit vetus testamentum per inobedientiam Iudæorum. Christi verò sanguis dicitur noui esse testamenti, quia confirmat, ratum efficit, atque implet nouum testamentum. in nullo enim impletur gratiæ Dei, & & vitæ æternæ promissio, neque impleta vnquam fuit, nisi per Christi mortem, non est enim in aliquo alio salus. Declarat autem Saluator hunc san-

Act. 4 guinem esse completiuum noui testamēti per hoc quod subdit: *Qui pro multis effundetur in remissionē peccatorum*, quod causaliter intelligēdū est. Quasi dicat ideo sanguis meus implet nouum testamentum, quia effundetur in remissionem peccatorū: morte

enim

enim mea illud confirmabo. Commemoratur autem hoc loco tanquam legatum ipsum, vel promissum à Deo, ipsa remissio peccatorum, non autẽ vita æterna, nec obseruatio mandatorum Dei, cũ tamen illa per mortem Christi nobis præstentur, quia præcipua gratia est remissio peccatorum, quę sola, vt est apud Esaiam, separant nos à Deo, & quibus remotis amici Deo efficimur: moxq́ consequuntur munera gratiarum, spiritus nouus, adoptio filiorum Dei, & vita æterna. Vnde Dominus apud Hierem. dũ promitteret scripturum se legem suam in cordibus fidelium, & daturum pro mercede vitam æternam, pro ratione tanti promissi assignat remissionem peccatorum: Quia propitius ero, inquit, iniquitati eorum, & peccata eorum nõ memorabor ampliùs. Vide Augustinum lib. de spiritu & litera. Quanquam verò etiam corpus Christi noui sit testamenti completiuum, sitq́ in remissionem peccatorum traditum, tamen corpus suum noui esse testamenti non dixit; quia sanguis seorsim cõsecratus, expreßiùs repræsentat nobis Christi paßionem, & mortem, in qua sanguis fuit à corpore separatus, quam ipsum corpus sub specie panis consecratum. Si roget quis, cur plura adijciamus in consecratione calicis quam habeant euãgelistæ. Dicendum, formam consecrationis ita nobis traditam esse, euangelistas autẽ contentos fuisse explicare sensum verborum Domini. *Dico autem uobis: non bibam amodo de hoc genimine uitis &c.* Augustinus putat Lucam, non duos sed vnũ modo calicem commemorasse, quodq́ priùs de calice dixit, intelligit per anticipationem positum. Iuxta cuius sententiam Matthæus rectum ordinem seruauit in recensendis his Domini verbis. At B. Hieronymus duos calices à Luca commemoratos dicit, quos ipse mysticè interpretatur. Similiter Venerabilis

Esa. 54.

Ierem. 31. Cap. 25.

Lib. 3. de cõsc. euan. c. 1.

In cõment.

rabilis Beda,& Theophylactus duos apud Lucam calices agnoſcunt, quorum mihi ſententia veriſimilior videtur. Siquidem calicem primum in Luca intelligit Dominus calicem legalem, ſicut ante etiam de agno legali loquutus erat. Abrogatis autem legalibus nouum agnum, & nouum calicem propinat. Hoc ſenſu Matthęus,& Marcus per repetitionem verba hæc: Dico autē vobis &c. poſuiſſe intelligendi ſunt, vt quæ ante corporis Dominici conſecerationem dicta ſint. Quorum hic eſt ſenſus: quod iam dixi non amplius me agnum paſchalem manducaturū, donec in Eccleſia, quę eſt regnū patris mei ſpiritualiter impleatur, ita nec potum veteris Paſchę, ſeu vinū veteris teſtamenti, quod bibi cum agno paſchali ſolet, ampliùs ſum guſtaturus, vſq; ad illud tempus, quo vobiſcū bibā in Eccleſia

Ioan. 4. nouū illud ſanguinis mei vinum. Eum autem intelligitur bibere, dum fideles eū dignè bibunt, quia Chriſtus ſalutem fidelium, ſuum reputat cibū, & potum. Significat ergo Chriſtus nolle ſe ampliùs vti agno,& vino paſchali, vt per duo maxima legis edita, eſcam ſcilicet,& potum paſchalem, ſpiritaliter immutata, diſceremus oīa legis ſacramenta ad ſpiritualem obſeruantiam fuiſſe transferenda,& horum loco corpus & ſanguinem Domini deinceps ſumenda. Ergo, hoc genimen vitis, vetus eſt paſchale vinum, nouum verò Chriſti ſanguis: qui meritò vinum nouum vocatur, nuſquam enim tale vinum, bibitum fuerat: nec niſi nouorum hominum potus eſſe poteſt, ad cœleſtem nouitatē perducens. Et fortè relatiuum, *illud*, refertur ab Euangeliſta ad ſanguinem Chriſti,& propterea interpoſitum ab eo eſt, vt cōmodiùs intelligeremus quod nam eſſet nouum vinū de quo Chriſtus loquebatur: vt videatur ideo verba iſta poſt conſecrationem ſanguinis poſuiſſe, tametſi ante dicta forēt, vt

meliùs intelligeretur quid esset nouum vinum. Sic Hieron. quæst. 2. ad Hebidiam, Venera. Beda in Lucam, & commentarius ille in Marc. qui extat inter Hiero. opera. Potest interim etiam vt simpliciter dictum accipi, quod ab hora cœnæ vsq; ad tempus resurrectionis vinum bibiturus non esset. Post resurrectionem autem cibum, potumq́ sumpsisse eũ testatur Petrus, dicens: Mãducauimus, & bibimus cum illo postquã resurrexit à mortuis. Sic Chryso. & Theophyl. quam recitat etiã V. Beda. Iuxta quẽ sensum nouum intelligetur vinum, quia nouo illud modo bibiturus erat, vtpote iam immortalis, nec potu, vel cibo indigens. Regnum autem patris resurrectio erit, quia in his qui ad gloriam resurrerunt Deus perfectè regnat, morte quã inuexit diabolus destructa. Alias duas expositiones dat Augustinus lib. 1. quæst. Euangel. Aliam præterea D. Hieronymus quę quanquam ad primam multum accedat, diuersa tamẽ est ab ea. Refert & aliã Theophyl. quas oẽs apud autores suos legẽdas relinquo. Act. 10. Cap. 43 in Matth.

Et Hymno dicto. Ad verbum est, cùm decantassent laudem: vt non solus Christus, sed & Apostoli cecinisse laudem intelligantur. Sic Hylarius, Hieronymus, Origenes, & Theophylactus. Venerabilis Beda ad solum Dominum retulisse videtur intelligens per hymnum, illam Domini Saluatoris ad patrem orationem, quam habet Ioannes Rabbi Burgensis in additionibus super Nicolaum de Lyra putat istum hymnum fuisse Psalm. 112. cum quinque sequentibus quos dicit à Iudæis in festo Paschæ decantari solitos. Hoc Christi & Apostolorũ exemplo, & facto docemur post sumptũ cibũ gratias Deo agendas, & post sacram cõmunionem non ad vanitates, & nugas, sed ad Domini laudem & preces confugiendum. Eodem exemplo defendendus est cantus Ecclesiasticus, nõ solùm in Cap. 17 Psal. 112

horis canonicis, sed etiam in sacrificio Missæ: qua de re vide Augustinum Epistola 119.cap.18.item li. 2.Retract.cap.11. Nec putanda est hæc veteris esse legis cæremonia, quanquam & eo tempore cũ iam non esset tabernaculum ampliùs transferẽdum, ex Dauidis institutione cantarent etiam Leuitæ. Refert enim tripartita histor. hunc per Antiophonas psallendi modum ab Ignatio ad Angelorum imitationem in Ecclesiam introductum, qui post pacem à persequutionibus Ecclesiæ data longè latéque propagatus fuit.

1. Paral. 23. & 24. Lib. 10 c. 9

Exierunt in montem oliueti. Ne si Iudæi Christum in ciuitate capere voluissent oriretur tumultus populi, & sic ex eorum manibus eriperetur. Exierũt autem versus montem Oliuarum, tùm quia cõsueuerat Christus illic pernoctare in orationibus, tum vt à Iuda faciliùs inueniri posset, qui non ignorabat Christum, locum illum frequentare solitum. Beda mysticum huius loci sensum tradens: Pulchrè, inquit, Dominus discipulos sacramentis imbutos in montem educit Oliuarum, vt typicè designet nos per acceptionem sacramentorum ad altiora virtutũ dona, & charismata sancti spiritus, quibus in corde perungamur ascendere debere.

Tunc dicit illis Iesus, omnes uos scandalum patiemini in me in ista nocte. Si, tunc temporis ordinem significat, oportet trinã Petri negationem sæpiùs fuisse à Domino prædictam: semel in itinere, ac semel iterũ vt minimum, in domo, vt ex Luca, & Ioanne intelligi potest. Et Augustinus quidem de consensu Euangelistarum id concedit, ter videlicet fuisse à Domino Petro prædictum quod ter esset negaturus. Sed sanè intolerabilis videbitur Petri pręsumptio, si postquam semel ei à Domino prædictum est, ausus fuit & postea de suis viribus præsumere. Placet ergo magis aliorum sententia. Qui voculã, tunc,

tunc, accipiunt hoc loco, vt significet non temporis ordinem, sed vt tantundem valeat ac si diceretur, In illo tempore: vt Matthæus omissam historiam inserere hic intelligatur. Quando ergo Lucas dictum à Domino ait Simon, Sathanas expetiuit vos &c. Tūc dictum etiam fuit quod hic Saluator futurum prædixit de scandalo, item quod non possent eum sequi modò, cui deinde Petrus respondit: Ego nunquam scandalizabor, paratus sum & in carcerem & in mortem tecum ire, animam meam pro te ponam.

Porrò quod ait: *omnes uos scandalum patiemini*, hūc habet sensum. Prædico vobis omnibus quod non post multum temporis, sed in hac ipsa nocte magni peccati occasionem ex me accipietis, vt sitis nō tāntum me in manibus inimicorum meorum relicturi, verumetiam fidem, quam de me iam habetis deserturi. Id satis clarè ex Ioanne colligitur, apud quem cùm assererēt Apostoli, credere se Christum à Deo exijsse, respondet Christus, modo creditis? Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solùm relinquatis, quasi dicat, Iam creditis, sed in hac fide nō diu permansuri: Sic enim explicat Augustinus. Idē satis arguit & illud Cleophę dictum: Nos sperabamus, quod ipse esset redēpturus Israël. *Scriptum est enim.* Prædicit, inquit Hieronym. quid passuri sint, vt cùm passi fuerint, non desperent salutem, sed agentes pœnitentiam liberentur. Producit autem Prophetæ testimonium, vt ostendat non se inuitum, sed Dei consilio, & propria voluntate crucifigendum: tum vt ipsi magis aduertant quantum eis malum immineat. *Percutiam pastorem.* Verba sunt Dei patris: Pastorem autem percussurus dicitur, tradendo eum in manus inimicorum, & mortem crucis. *Et dispergentur oues*, Hoc est, discipuli

Cap. 16

Tract. 23

Luc. ult.

puli eius, dum corporaliter ab eo fugiunt, & fidei vnitatem deserunt. Allegat autem Euangelista sensum prophetæ non verba nam apud Zachariam Deus gladium suum alloquitur, mandans ei vt pastorem percutiat: quod nihil aliud significat quàm Deum gladio afflictionis percussurum esse filium suum. Hæc autem Dei prædictio nullam Apostolis peccandi necessitatem iniecit, nam is tali hoc modo prædixit futurum quali per liberam eorum voluntatem reuera futurum erat. *Postquam autem resurrexero præcedam uos in Galilæam.* Post multa quæ prædixerat tristia subiungit læta quædam, quibus depressos eorum animos erigat. Significat autem priùs se post suam resurrectionem in Galilæa futurum quàm ipsi essent.

Zach. 13.

Respondens autem Petrus, ait illi. Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Petrus, inquit Hylarius, in tantum & affectu, & charitate Christi efferebatur, vt & imbecillitatem carnis suæ, & fidem verborum Domini non cõtueretur quasi dicta eius efficienda non essent. Non ergo putandus est Petrus voluisse Christo dicere, quod falsum diceret, sed nimio Christi amore verba eius non attendit, nec putauit Christum prophetice istud dixisse. Sed nec mentitus est, nam sincerè proponebat nunquam Christum derelinquere, putabat enim se posse, quod se velle sentiebat, vt ait Augustinus de gratia & libero arbitrio capite 17.

Porrò in cœna Petrus multum timebat ne fortè ipse proditor esset: cùm enim Christus de vno tantùm ex duodecim diceret, nec ita propriè Petrum tangeret, non ita turbauit eum amoris passio, quin facilè consideraret, & vera esse Christi verba, & se admodum imbecillem. At nunc vbi apertè omnes dicuntur scandalizandi, & disertè

Petrus

Petrus tangitur, mox amoris magnitudine perturbatus non aduertit ad Christi verba quemadmodum debebat. Deinde postquam vidit à proditionis metu se esse liberatum, factus est multò confidentior, nimio scilicet affectu, quo erga magistrũ suũ ferebatur. Peccauit tamen Petrus ita respõdendo per elationem, & præsumptionem, sibi videlicet, suisque verbis tribuendo quod solius erat gratiæ Dei, & alijs se præferendo. Vide Augustinum in Ioannem. & lib. 20. de correptione & gratia. Dicere autem Petrus debuisset. Precamur Domine vt nos ab huiusmodi scandalo custodias: & si fortè vel malitia, vel imbecillitate nostra labi contigerit, reducas nos statim ad rectam viam, neque nos in peccatis nostris derelinquas. Causam cur primarium Apostolum suum ita Christus labi permiserit, reddit Augustinus, Apostolum, inquit, intuẽdo admoneri nos oportet, ne homo quisquã de humanis viribus fidat: nã quid aliud pertinuit ad doctorem saluatoremq; nostrum, nisi vt nobis nequaquam de se quenquam præsumere debere, in ipso primo Apostolorum demonstraret exemplo? *Amen dico tibi quia in hac nocte* Tibi, inquam, qui tã confidenter loqueris, dico, quod nõ solũ in hac nocte sis scandalizandus, sed etiã *antequã gallus cãtet, ter me negabis*, dices quod me nõ noueris: neque id diu differes, vtpote ante galli cãtũ id faciens. *Ait illi Petrus: Etiãsi oportuerit me mori tecũ, nõ te negabo*. quasi dicat. Absit Domine vt tantũ in te scelus admittam, non te negauero etiamsi hinc occidendus mox essem. Sentiebat enim velle Christum dicere hanc illi negationem metu pœnarum, & mortis extorquendam. *similiter & omnes discipuli dixerunt*, vt Petrus dixerat, nec se scandalizandos, nec Christũ negaturos, etiamsi moriendum cum eo esset: non tamen dixisse videntur. Etsi oẽs scandalizati fuerint.

Tract. 66. & 123. cap. 9.

Tract. 66. in Ioan.

Porrò

Porrò dictum illud Christi: Antequam gallus cantet ter me negabis conciliandum est cum eo quod apud Marcum dicitur, ante secundam Petri negationem gallum cantasse. Nam eandem omnino esse prædictionem apud Marcũ & Matthæũ, ex præcedentibus & sequentibus liquet. Quidam putant Petrum quinquies negasse, ter ante primum galli cantum, bis ante secundum. Sed vanum hoc est: Christus enim Petro insolenter de se præsumēti deterrimum quod erat ei euentuerum prædixit: & satis clarum est Marcum per easdem negationes quas refert Matthæus, declarare vera fuisse Christi verba antequam gallus bis cantet &c. Ter ergo tãtum Petrus negauit quomodo post resurrectionē ter tantùm exegit ab eo Christus amoris confessionem, in trinæ videlicet negationis satisfactionem. Primus igitur commentarius est Beati Augustini, vt apud Ioannem, Lucam & Matthæum non simpliciter significetur negatio Petri, sed timor & perturbatio illa, ex qua Petrus ter Christũ negauit, hoc nimirum sensu: Antequam gallus cãtet, in tantum incides timorem, vt me ter sis negaturus. Sed quia prædicti tres Euangelistæ declarare volentes vera fuisse Domini verba, post trinam Petri negationem subijciunt gallum cantasse, quasi Dominus de hoc galli canti prædixisset, non de primo illo cuius meminit Marcus. Euthymius & Dionysius Carthusianus sic intelligũt verbũ cantabit, vt idem sit quod perficiet seu absoluet cantum suum. Verùm nec iste commentarius satisfacere videtur: quomodo enim gallus cantum suum compleuit, quando post tertiam negationem adhuc cantauit, nam hic cantus in illa noctis parte priùs fuisse videtur, eo quod inter secundam & tertiam negationem interuallum (vt ait Lucas) horæ ferè vnius intercesserit. Primus quoque galli cantus

Marc. 14.

tus circa primam negationem factus non videtur, idem cum illo qui circa tertiam factus est negationem tãquam vnus perfectus cantus. Sicut qui sic intelligant: Non audies gallum cantantem, quum me ter negaueris. Quartus est commentarius, qui præ cæteris magis placet, vt Christus apud Matthæũ nõ de quouis galli cantu loquatur, vti Marc. sed de eo qui tẽpore fit matutino, appropinquante iam die, quod tempus gallicantum appellare solemus. Quasi dicat priusquam gallus propter lucẽ propinquam canat, ter me negabis. Imò in hac nocte non bis gallus cantabit quum me ter ante neges. Secundùm hunc sensum dici potest Petrum vtrumque galli cantum audiuisse, & de primo quidem insinuare videtur Marcus dicẽs Petrum exisse foras ante atrium, & gallum cantasse: qui eo audito quia nondum respexerat eũ Dominus, nõ est verborum eius recordatus. Ideo autem in secundo gallicãtu eorum est recordatus, quia vt ait Lucas, tunc eum Dominus respexit. Et hunc quidem sensum secuti vidẽtur Iuuẽcus, Ambrosi. in hymno matutino, cuius initiũ: AEternæ rerum conditor, & Prudentius in hymno, qui incipit: Ales diei nuncius. Potuisse autem tantùm temporis labi, vt tertia Petri negatio circa matutinum demũ gallicantum fieret, facilè intelligat qui expendat omnia quæ acta sunt, post exitum Iudæ, quãdo nox erat vsque ad ea quæ in Cayphæ domo sunt facta: Christum item passum circa æquinoctium vernũ denique in Iudæa citiùs diescere quàm hic apud nos. *Tunc uenit Iesus cum illis in uillam, quæ dicitur Bethsemani.* Locus est ad radices montis Olineti, trans torrentem Cedron, in quo hortus erat, cuius meminit Ioannes, quo loco tempore D. Hieronymi Ecclesia erat ædificata: interpretatur aũt vallis pinguissima. *Et dixit discipulis suis*, octo videlicet, *sedete hic*,

te hic, locum eis designans. Ideo autem sedere ibi iussit quod ob ardentem erga Christum affectum præsertim propter ea quæ in cœna audierant, non facilè possent ab eo diuelli. *Donec uadam illuc, & orem.* Solebat Christus seorsim sine discipulis orare, vt doceret oraturo quietem, & solitudinem esse captandam. Addit Lucas mandasse Christum vt & ipsi orarent ne intrarent in tentationem. Quomodo autem Christo conueniat oratio habes apud
Quæst.21 Thomam parte 3. *Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi.* Hi tres transfigurationi interfuerant, quare conueniens erat, vt quemadmodum præ alijs participes fuerant gaudij, ita tristitiæ etiam consortes essent: & quia gloriam Domini viderant, minus erant scandalizandi quam cæteri.

Et cœpit contristari, hoc est, tristitiæ, & pauoris magna præ se ferre indicia, tremere, & labascenti gressu incedere, vt ijs mos est quibus animus metu, ac mœstitia plenus est. Assumpsisse autem Christum passiones nostras, tristitiam scilicet, timorem, iram, ac similes pulchrè explicat Beatus Thomas parte tertia quæstione decimaquinta ab articulo quarto vsque ad nonum. Quo etiam loco Augustinum secutus libro 14. de ciuitate Dei capite nono. Et Hieronymum in hunc locum, discrimen ostendit inter Christi passiones ac nostras. In Christo enim non fuerunt passiones quæ ad illicita mouerent, nec quæ iudicium rationis perturbarent, aut impedirent, nec nisi volũtariè præeunte rationis iudicio susceptæ. Vnde apud Ioannem cõtristatus dicitur Christus quia turbauit seipsum. Vide prҿterea August. lib. 83. quæst. 80. Et in Ioan. Tract. 49. 52. 66. Cur autem has affectiones, seu defectus Christus assumpsit, tres causas anno-
3. part. quæ. 14. 1. tat B. Thomas. In primis vt pro peccatis nostris satisfaceret, deinde vt veritatem humanæ naturæ in se osten-

se ostenderet. Tertiò, vt patientiæ nobis præberet exemplum quibus adde quartã, vt mala nostra aboleret, prauasq; cupiditates & cogitationes nostras corrigeret. Christus enim, vt inquit Paulus, missus est in similitudinem carnis peccati, vt iustitia legis impleretur in nobis: sic & mortuus est, vt mortem nostram moriendo destrueret, & corpus ac animã ab æterna morte liberaret. Id quod pulchrè explicat Augustinus lib. 4. de trinitate cap. 2. & sequentibus. Item Cyrillus lib. 9. thesauri cap. 3. Et Leo serm. 3. de passione Domini. Rom. 8.

Porrò tristitiæ huius causæ fuerunt, primũ grauissimi cruciatus, quos iam imminentes coram oculis, & in imaginatione tanquam præsentes sibi proponebat: vnde in Psalmo illo exclamans ait, Deus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? Ad hæc considerabat omnia omnium hominum peccata esse sibi à Deo patre imposita, pro quibus satisfacere deberet, tãquam omnia ipse perpetrasset. Vnde aiebat: Longè à salute mea verba delictorum meorum. Ego dixi miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi. Præuidebat præterea ingratitudinem & infidelitatem Iudæorum, Apostolorum scandalum, & lapsum, tot denique futuros Christianos, qui laborem sanguinẽque ipsius tam parui facturi, imò & conculcaturi essent. Hæc ergo præuisa mirè grauabant Christi cor, vt tristitia toto corporis habitu ac incessu foris se proderet, quam & verbis aperiens, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Plenus sum, inquit, tristitia quæ vsqueadeo magna est, vt si paulò maior foret, planè me opprimeret. Sic Augustinus in Psalm. 86. Et Dionysius Carthusianus. Aliter Hieronymus. Nũc inquam, tristatur anima mea, & hæc tristitia durabit vsque ad mortem. Assumpsit autem hanc tristitiam vt verus homo Psal. 21.

fuisse

fuiſſe intelligeretur, bene intelligens quanta mala paſſurus eſſet non ſtupore mentis & paruipendens:
Luc.9. exemplum nobis prębens non eſſe deſperandum quoties in graues animi anxietates inciderimus: deniq;, & noxiam omnē triſtitiam, ſcrupuloſam cordis anxietatem atque triſtitiam à nobis auferret, ſalubrem verò triſtitiam veramque lætitiam largiretur, ac ignoſcere nobis poſſet quoties ſolum triſtitia eum offenderemus. Annotârūt hunc locum veteres cōtrá Arrianos, & Apollinaniſtas humanā animam in Chriſto negantes.

Suſtinete hic, id eſt manete ſimul hoc loco, vbi congregati ſunt octo reliqui Apoſtoli: Nam poſtea inuenit Apoſtolos omnes ſimul: & quod ſequitur, Vigilate mecum, ita hoc tribus dicit vt ad omnes tamen referatur: quemadmodum magiſtratui interdum aliquid dicitur quod ad omnes tamen pertinet ciues. Vnde Lucas dicit omnibus dictū eſſe: Orate ne intretis in tētationem. Senſus autem eſt, Ego iā vigilaturus ſum, & in orando laboraturus, magno mihi erit ſolatio ſi & vos habeam mecum ſimul vigilātes, laborantes ac orantes: ſolet enim labor videri leuior quoties alius ſimul nobiſcum laborat. Dignatus eſt autem Dominus conſolationem aliquam ab Apoſtolis quærere, quam tamen ſciebat ſe non habiturum, propter nos videlicet qui commerueramus in ærūnis ac triſtitia noſtra nullā inuenire cōſolationē. Malum autē noſtram repulſam paſſus aſſumpſit vt bonum nobis ſuum comunicaret: atque ita impletū eſt quod ait pſalmiſta: Suſtinui qui ſimul contriſtaretur & non fuit qui conſolaretur & nō inueni. Quamuis enim triſtes eſſent Apoſtoli carnalis tamen erat eorum triſtitia, que adeo Chriſtum non conſolabatur, vt magis etiam cōtriſtaret. Simili de cauſa hoſpitium aliquando à Samaritanis petijt cum ſciret ſe non recipien-

recipiendum. Nemo igitur eum consolatus est, vt sciremus eum solum redemptorem esse nostrum, solum Christum esse qui nos à peccatis nostris liberaret, qui pœnam peccatis nostris debitam sustinuerit. *Et progressus pusillum.* Spatium explicat Lucas: Quantus est, inquit, iactus vnius lapidis. *Procidit in faciem suam*, in signum magnæ humilitatis & reuerentiæ. Exteriora hæc signa, casus in terram, tunsio pectoris, genuflectiones, ac similia hactenus in orationibus sunt adhibenda, quatenus seruiunt ad inflammandum desiderium nostrum, mentemq; in maiorem erga Deum reuerẽtiam, & atentionem excitandam, quemadmodum adhiberi debent & verba: qua de re vide Augustinum epistol. ad Probam, quæ est de orando Deo. *Orans, & dicens*: Cur Christus orârit duas causas assignat D. Thomas parte 3. quæst. 21. Nimirum vt ostenderet se esse à patre profectum, & orandi nobis exemplum daret: Tertiam assignat Damascenus, vt nos faceret orantes, seu vt nobis orandi mereretur affectum. Lib. 3. c. 14

Pater mi si possibile est, Hac oratione, expressit Christus desiderium sensualitatis, & naturalis voluntatis, quæ mortem secundùm se consideratam, non potest non refugere, & exhorrescere. Rationes cur Christus sic orauerit assignat B. Thomas loco suprà citato ar. 2. Præter illas est & alia, vt qui nimirum pro sua reuerentia in omni oratione quã ex parte deliberatæ rationis orauit, exauditus est, in aliqua oratione non exaudiretur, iuxta quod dicit Psalmista: Clamabo per diem & non exaudies: vt dũ nõ exauditur exaudiri dignissimus, nos qui verè indigni eramus exaudiri, propter eũ exaudiremur. Sensus igitur est: Oro pater, vt amarũ istud poculum passionis ac mortis imminentis à me auferatur, vt ne gustem illud: nam hunc esse sensum Heb. 5. Psal. 21.

ſatis intelligitur ex ſecunda oratione, quæ eadem eſt cum prima. Quia verò ſciebat Chriſtus patrem velle, vt mortem pro humano genere pateretur, nō ſimpliciter orauit, ſed adiecit conditionem, ſi poſſibile eſt: non quaſi patri aliquid foret impoſsibile, cùm apud Marcū dicat: Omnia tibi poſsibilia ſunt, ſed hac conditione patris voluntatem ſignificans, id enim patri poſsibile eſt quod fieri voluerit. Vnde clariùs Lucas pro eo quod eſt apud Matthæum ſi poſsibile eſt, poſuit, ſi vis: agit enim de poſsibilitate non ſimpliciter, ſed quæ conueniat, conſiderata etiam Dei voluntate. Epiphanius lib. Anchoratus quintam huius orationis cauſam aſsignat: vt videlicet diabolus videns Chriſtum deprecantem mortem, non aliud quàm hominem eſſe putaret, atque ita non vereretur Iudæos in mortem etiam impellere. Vbi obſeruabis diabolum ſibijpſi cauſam fuiſſe cur dominationem ſuper homines proderet. Magna eſt autem Emphaſis in eo quod dicit: Pater mi: Vnde apud Marcum geminatur patris vocabulum, Abba, pater. vocula, mi, ſignificat ſolum ipſum naturalem eſſe Dei patris filium.

Veruntamen non ſicut ego. Ex vehementi affectu imperfecta eſt ſecunda hæc orationis pars, ſic cōplenda. Veruntamen non fiat ſicut ego volo, quaſi dicat, quia ſcio te nolle vt tranſeat à me calix iſte, peto vt non fiat quod ego humana naturali, & ſenſitiua voluntate volo, *ſed ſicut tu vis* voluntate diuina.

Hinc intelligitur non dixiſſe Chriſtum, ſi poſſibile eſt, vel ſi vis, ignorantia diuinæ voluntatis, ſed ad complendam orationem ex parte naturalis voluntatis prolatam: ſecunda hæc Domini orationis pars profecta eſt ex parte deliberatæ rationis, qua Chriſtus paſsionem ſuam conſidera-

bat

bat quatenus futura erat humani generis redemptio.

Hoc loco conuincitur duas fuisse in Christo voluntates, vnam diuinam, quam habet cum patre & spiritu sancto communem, alteram humanam & creatam, qua idem semper cum Deo patre volebat, quatenus deliberatiua erat & rationis, non idem quatenus naturaliter agebat, & versabatur circa res, non secundùm omnes suas circumstantias, sed secundùm se & simpliciter apprehensas: nunquam tamen voluntates istæ inter se fuerunt contrariæ, id quod in sexta vniuersali Synodo Constantinopolitana determinatum fuit, lege determinationem Concilij actione 17. Doctissimam item Epistolam Romani Concilij insertam sextæ Synodi actioni 4. Idem & antea determinatum fuit in Synodo quingentorũ quinque Episcoporum Romæ à Martino primo celebrata, qui eius dogmatis gratia martyrio etiam fuit coronatus. Vide & Damascenum lib. tertio capite decimosexto & multis sequentibus. Eiusdem quoque huius argumenti opusculum. Reijciendum ergo est quod habet Pseudocyrillus de miraculis beati Hieronymi, vbi ait hæreticum esse affirmare duas fuisse in Christo voluntates, ac Hieronymum sensisse vnicam in eo fuisse voluntatem, Cyrillum quoque Episcopum Hierosolymitanum, cùm librum illi inscriptum citet Agatho pontifex planè contrarium asserentem.

Et uenit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, ad vndecim videlicet. Verba præsentis sunt temporis. *Et dicit Petro* tanquam qui præ cæteris plura pollicitus fuisset. *sic non potuistis*, sic enim legendum secundum Hieronymũ & Chrysostomum. Loquitur autem Petro tanquã primo

 ac su-

ac superiori, ideoq; in eo omnibus loquitur. Sensus autem est: Adeone imbecilles estis, vt vel modico tempore non potueritis mecum vigilare, tã multa paulò ante polliciti? Nam particula, sic, increpantis est. *Ne intretis in tentationem*, id est, vt non superemini à tentatione. Spiritus quidem promptus. Hoc, inquit Hieronymus, aduersus temerarios qui quicquid crediderint putãt se posse consequi: itaque quantum de ardore mentis confidimus tantùm de fragilitate carnis timeamus. Est autem sensus: Voluntas vestra pro fidei ardore parata est tentationibus resistere, sed caro valde infirma est ad vincendum, id est, multum habet adhuc homo vetustatis, & admodum adhuc debilis est ad vincẽdas tentationes, etiamsi sit bonæ voluntatis. Non ergo hic sermo ad impios pertinet, sed ad pios quales tunc erãt Apostoli: nam in illis non promptus, sed segnis carnalis est spiritus. Sic ad Apostolorum spiritum & carnem refert Hylarius: at Cyrillus lib. 4. in Ioannem cap. 1. Ambrosius in Lucam, Athanasius, Gregorius Nyssenus contra Appollinarem citatus ab Agathone papa Actione 4. sextę Synodi, & Beda in Marcũ, verba hæc ad Christi spiritum & carnem referunt, vt sit sensus: Quamuis voluntas mea deliberatiua ad mortem sustinendã promptissima sit, caro tamen mea infirma horret ac metuit mortem, quanto magis ergo vestra caro tanto imbecillior mortem ac imminentia mala horrebit: quare ardentissimè nunc orare deberetis. Hæc expositio non videtur improbabilis, si cogitemus Apostolorum spiritũ eo tempore necdum fuisse omnino promptum, quandoquidem ne vigilare quidem cum Christo possent. *Iterum secũdo abiit, & orauit, dicens: &c.* Quod secundò & tertiò idem Christus orauit, ideo factum est, vt firmaret

Genes. 1 in nobis ea ob quæ ipse primo orauit. Sicut Ioseph dicit

dicit Pharaoni. Quod vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium firmitatis indicium est. Deinde vt nos doceret in eadem re petenda perseuerare, nec inutile esse in oratione eadem verba frequentiùs repetere. Ideo autem interrupit orationem suam & postremò prolixiùs orauit (sicut ait Lucas) vt doceret nos prolixam, vel breuem orationem fundere, prout magis conuenit pro informando affectu. Consule Augustinum mysticè triplicem hanc Domini orationem exponentem. *Et uenit iterum & inuenit eos dormientes: Erant enim oculi eorum grauati*, præ dolore & tristitia. *Et relictis illis:* ex cōpassione scilicet, Marcus addit ignorasse eos quid Christo somnolentiam eorum increpanti responderent. Annotat Lucas quod prolixiùs orauerit Christus, quodq; factus sit in Agonia & copiosè sudauerit sudorem sanguineum, atque ab Angelo solatium acceperit. Quæ verisimile est in tertia oratione contigisse, nam ante consolationē angeli, non videtur cessasse ab oratione. *Tunc uenit ad discipulos, suos, & dicit illis: Dormite iam, & requiescite.* August. de consensu Euangelistarum putat istud dictū à Christo permissiuè, ita vt aliquandiu post hæc verba prolatata, apud Apostolos dormientes remanserit, & post moram illam subiunxerit, Sufficit: At quia Lucas narrat Chistum dixisse. Quid dormitis, Surgite, & orate, & subiungit Christo adhuc loquente aduenisse Iudam; magis placet quod istud ironicè dictum accipiatur. *Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Iam tempus est, quo tradar in manus sceleratissimorum hominū. Qui per antonomasiam vocantur peccatores. *Surgite, eamus* obuiam eis scilicet, vt me volūtariè subire mortem ostendam. *Ecce appropinquauit qui me tradet.* Iudas apparuit Apostolis à longè veniens. *Et cum eo turba multa.* Ioannes explicat hanc turbā fuisse mi-

Epist. 121 ad Probam cap. 1. & li. quæst. euāg. quæst. ult.

Lib. 3. ca. 4

se ministros pontificum, & cohortem cum tribuno. Cohors constabat militibus Romanis, qui erant in Hierusalem constituti sub præside Pilato substituto Cæsaris Augusti ad reprimendas populi Iudaici seditiones. Conducta autẽ erat hæc cohors, & Tribunus à põtificibus, & senioribus, quia valde metuebant ne populus in Christum credens qui iam propter diem festum Paschæ proximum multus erat Hierosolymis, Christum defenderet, vel captum eriperet. Cohors apud Romanos ad minimum continebat 555. pedites, equites verò 66 sed non semper plena erat cohors, sed minor multitudo gerebat nomen cohortis, sicut nunc sæpe vocamus manum militum, quanquam vix dimidiũ vexilli cõtineat. Lucas nõnullos etiam ex summis sacerdotibus, & senioribus, & magistris templi cõgressos fuisse ostendit, vt scilicet populus eorũ authoritate à seditione retraheretur, & compesceretur. *Cum gladijs & fustibus*, habebant omne genus armorum illius temporis. *Qui autẽ tradidit eum, dedit eis signum, dicens*: Hieronymus putat Iudam signũ dedisse, quia audierat Christum in monte transfiguratum fuisse, ideoq; timebat ne simili transformatione ex manibus cohortis elaberetur. Theophylactus causam signi dati affert, quia nox erat, & ab alijs dignosci nõ poterat. Sed probabilior causa videtur esse, quod Romani milites deridebant legem & cæremonias Iudaicas, vixq; Christum nouerant qui semper in tẽplo & in diuinis versabatur. *Quemcunq; osculatus fuero ipse est, tenete eum*. Elegit signum osculi, quia moris in Iudæa fuisse videtur, vt amici conuenientes statim sese mutuo oscularẽtur. Vt ergo scelus suum tegeret, nam plenus erat malitia, amicitiæ signum præstitit. Additur apud Marcum (& ducite cautè) quia sciebat Christum quandoq; insidiantium manus euasisse: & signa eius non diuinæ

uinæ virtuti,sed magiæ tribuebat, vt annotat Hieronymus. Putabat ergo cautela ducentium magię illudi posse. *Et confestim accedẽs ad Iesum dixit:* A ue Rabbi. Quidam putant Iudam prius esse osculatũ Dominum antequam ipsam turbã interrogaret quẽnam quæreret:ita vt Iudas solus Christum adierit procul relicta turba, & post datum osculũ redierit ad turbam:cui Christus obuiam ierit interrogans quẽ quæreret. Sed probabilius videtur quod Christus processerit obuiã cũ discipulis antequã Iudas eũ oscularetur. Percussit autẽ Dominus Iudã,& totã turbam cœcitate,quẽadmodũ & Sodomitę percussi fuerũt, ad ostendendum nihil iuuare prorsus traditoris signũ quo agnosceretur, nisi ipsemet agnosci vellet:sicuti cùm prostrauit omnes ostendit tantã cateruã,tantamq; ad capiendũ eũ missam potentiã nihil prodesse,nisi se eorũ manibus traderet. Ex voce autẽ (Ego sum) 2. prolata,ipso volente à Iuda cognitus est. Atq; probabile est Iudæorũ ministros ante Iudæ osculũ nouisse Christũ,sed ex solo osculo cognouerunt eum Romani milites,quibus prius ignotus erat. Quum primum igitur Iudas eũ agnouit,cõfestim accedẽs,osculatus est eũ. Hũc ordinẽ ponit Cyrillus & Dionysius Carthu. in Lucã: Quia verò Lucas dicit Iudã antecessisse ipsam turbã,nõ sic intelligendũ est,quasi loco antecessisset, sed quia dux eorũ (vt testatur Petrus) erat, qui cõprehẽderũt Iesum. *Et osculatus est eũ*, Hieron. Impudẽs quidem,& scelerata cõfidentia magistrũ vocauit,& osculũ ei iungere nõ metuit quẽ tradebat: tamẽ adhuc aliquid habet de verecũdia discipuli,cũ nõ eũ palã tradat persecutoribus sed per signũ osculi. Ambr. in Luc. Suscipit osculũ traditoris,nõ quo simulare nos doceat,sed ne proditionem fugere videatur: & illud Psalmi cõplet. Cum his qui oderãt pacem,eram pacificus. Quanta autem pœna fuerit

Cap. 33. lib. 11. sup. 10ã.

Act. 1.

Christo Domino, suscipere osculum à traditore, satis ex odio quod gerebat aduersus hypocrisim, discordiam,& ingratitudinem intelligi potest. Atque ex Psalm. qui in horto completus est, vbi vehementi affectu dixit. Si inimicus meus &c. *Dixitque illi Iesus, Amice ad quid uenisti?* Per Antiphrasim eum amicum vocat, quasi dicat. Tu te amicum simulas,sed noui quàm sis amicus,& quorsum, qua intentione quáue causa ades,& mihi osculum prębes:non certè ex amicitia sed vt me tradas. Clariùs hoc explicuit Lucas, vbi Christus interrogat; Iuda osculo filium hominis tradis? id est, tradis me Iuda signo amicitiæ, me,inquam,qui filius hominis sum mansuetus, & mitis: qui etiamsi non essem pater,& Dominus tuus,quia tamen tam humaniter erga te me habui, non eram certè à te prodendus. Sic Hieronymus. Quidam tamen aliter intelligunt, vt videlicet Christus amicum eum vocet,quia tot beneficia illi impenderat, & adhuc paratus sit,si pœnitentiam agere velit,eum recipere. *Tunc accesserunt*, postquam ex osculo cognouerunt eum. Non autem statim post osculum, nam inter osculum Iudæ sermonemq; Christi ad Iudam, & captionem Christi intercessit amputatio auriculæ Malchi, & admonitio Petri quod ex Ioanne, & Luca patet: Dicit enim Lucas discipulos videntes quid futurum esset, id est, iam hostes imminere Christo, vt eum caperent interrogasse Christum. Domine,si percutimus in gladio. Ergo futurũ videbatur,vt Christus caperetur. Similiter ante captiuitatem ad ostensionem diuinitatis suæ,& charitatis etiam erga inimicos,& confirmationem discipulorum Malcho restituit amputatam auriculam. Id quoque ante captiuitatem protulit: tanquam ad latronem existis &c. nam per illud quod dixit: Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarũ, se com-

Psal. 54

Ex cap. 20. & 22.

se comprehendi permisit. Ideo autem hæc omnia captiuitatem Christi præcesserunt, vt multis modis declararetur voluntariè captus, sicut Propheta dicit: Oblatus est, quia ipse voluit, dū enim agnoscitur Christus, non necessitate, sed voluntate propria passus, aufertur crucis scandalum: ratione enim humana valde absurdum videtur illum esse Deum, qui tanquam latro crucifixus est. *Et manus iniecerunt in Iesum*, maximam diligentiam adhibuerunt omnes, vt eum caperēt. Super quod dicit Cyrillus: Vincula omnium reorum Domino immittunt, qui ad naturam nostram descendit, vt à peccato, & diaboli vinculis nos eriperet. *Et ecce.* Tanquam nouum ponit istud Euangelista, non enim habebant discipuli Domini pro consuetudine pugnare, sed in omnibus mites erant. *Vnus ex his*, scilicet Simon Petrus, qui audaciam sumpserat, ex hoc quod viderat Dominum iam illos prostrauisse, & sciebat eū multa miracula fecisse. Ideoq; ipse amore Domini, quod suum erat præstare volebat. *Exemit gladium suum*, quo vsus in scindendo agno paschali fuerat. Qui secundum quosdam nihil aliud erat quam magnus culter aliquis. Cyrillus in Ioannem dicit eum habuisse propriè gladium, ad abigendas feras, vel cōtra insultus nocturnos, Iudæorum more. *Et amputauit auriculam eius dexteram*, quia cæteris ferociùs instabat ad capiendum Christum, Petrus exacerbatus eum occidere voluit. Mysticè Cyrillus dextram aurem amputatā, dextero, proboq; auditu caruisse Iudæos significare putat. Augustinus verò vetustatem literæ amputatam, sic inquiens. Malchus interpretatur regnaturus. Quid ergo auris pro Domino amputata, & à Domino sanata significat, nisi auditū amputata vetustate renouatum, vt sit in nouitate spiritus & non in vetustate literæ? Quod cui præstitū fuerit à Christo, quis dubi-

Tract. 66. & 113. cap. 9.

Tract. 12. in Ioan.

dubitet regnaturum cum Christo &c. Hieronym. vtrumq; commentarium cõiunxit. Alium sensum habet August. lib. de agone Christiano cap. 29. *Omnes enim qui acceperint gladium.* Omnes qui vsi fuerint gladio, vt Augustinus interpretatur. Ille accipit gladium, vel illo vtitur, qui nulla superiore, aut legitima potestate, vel iubente, vel concedente cõtra sanguinem alicuius armatur. Istud intelligi debet extra necessitatem defensionis, nam tunc gladio defendere se licet: nec peccasset Petrus si Christus voluisset defendi, aut inuitus fuisset mortuus.

Lib. 22. cõ. Faust. c. 7.

Gladio peribunt. Apud Deum videlicet, vt interpretatur Augustinus propter peccatum quod cõmittunt in vsu gladij. Theophylactus intelligit istud esse dictũ legis, quasi diceret: Qui aliũ gladio occiderit, ipse etiã reus est, vt gladio occidatur. Et hæc videtur cõgruentior textui interpretatio, vt Christus significet ipsos Iudæos Romanorũ gladio perituros, quia contra eũ gladiũ sumpserunt. *An putas quia non possum rogare patrem, & exhibebit mihi modo &c.* Ostendit se non egere defensione hominum, nã si vellet maximam angelorũ cohortem conuocaret, vel vnico angelo omnes hostes prosterneret, sicuti vna nocte in castris Assyriorum centum octoginta quinq; hominum milia prostrauit. Legio vt minimũ continet sex milia teste Hieronymo: vel vt quidam volunt, sex milia sexcẽta sexaginta sex aut ad summum 7. milia militum. Ex hoc loco rectè colligitur Deum multa posse quæ nunquam facit, sicut rectè colligit Augustinus lib. de spiritu & litera, tamen sunt qui insipiẽter putant eũ omnia facere quæ potest. *Quomodo ergo implebuntur scripturæ?* Si per angelos me protegam, non implebũtur scripturæ significãtes, vel prænũciantes quod sic oportet fieri. *In illa hora,* i. in illo tẽpore, *dixit Iesus turbis,* non omnibus præsentibus, sed præcipuis de turba illa

Lib. 1. de serm. Dom. in monte.

4. Reg. 19.

In cõment. cap. 1.

illa, sacerdotibus scilicet, magistris tēpli, & senioribus, quos dicit Lucas cū turba venisse: nā ad milites Romanos nō dixit: Quotidie apud vos sedebā docens &c. cū illi tēplū, & legē Iudæorū deriderēt. *Tanquā ad latronē existis cōprehendere me cū gladijs, & fustibus?* Quid ita armati ad me capiendū venitis nocturno tēpore extra ciuitatem, quasi latro essem, & summa vi me defendere cuperē. Ego certè nō tanquā latro qui nō ausim prodire in publicū, qui vitę hominū insidier, sed apertè in loco maximè publico, & sanctissimo apud vos versatus sum, *docēs* ad docendū, & benefaciēdū oībus. *Quotidie.* More vulgi istud dictū est, nō quod absolutè quotidie fuerit in tēplo Hierosolymitano, sed quia frequenter. *Et nō me tenuistis.* Istud eleganter explicat Cyril. qui citatur in cathena aurea super Luc. Nō (inquit) culpat hic Dñs pręsides Iudęorū, quia sibi nō maturè pręparauerint insidias mortis, sed eos arguit qui temerè opinabātur se eū inuasisse ipso inuito, q.d. Tunc nō cœpistis me quia nolebā, sed neq; nūc nisi spōtè vestris me subijcerē manib', possetis. Vnde sequitur in Luc. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarū. i. parū tēporis vobis cōcessum est exercēdę in me vestrę superbiæ à patre meo. Atq; per hæc verba quæ protulit se ab impijs Iudæis capi permisit. Pro eo autem quod Lucas dicit: Hæc est hora vestra, refert Marcus, Christum dixisse. Sed vt impleantur scripturæ, permitto me capi, quod hoc loco Euangelista expressit dicens: Hoc autē totū factum est, vt adimplerētur scripturæ prophetarū. Quāuis quidam quod dicitur: (Hoc autē totū factū est) putēt esse verbū Christi, nō Euāgelistæ: secūdū quorū expositionē Christ' dixisse fertur istud post captiuitatē: quod sup. dixim' nō esse cōueniēs. *Hoc aūt totū factū est, ut adimplerētur scripturæ prophetar.* quod Christus. s. à proprio discipulo est traditus, quod à

Iudæis

Iudæis captus, nullo eum defendente, factum est non necessitate aliqua siue potentia Iudæorum, sed Deo permittente: vt hoc modo per malitiam eorũ complerentur scripturæ prophetarum, quæ prędixerunt Christum à discipulo tradendum, à Iudæis capiendum, & occidendum.

Tunc capto Christo, cùm viderent eum crudeliter à Iudæis tractari, *discipuli omnes*, sine vlla exceptione, *relicto eo*, in manibus Iudæorũ, *fugerunt* metu mortis, & carceris. Tunc completum est illud: Longè fecisti notos meos à me: & illud: Elongasti amicum, & proximum, & notos meos à miseria. Non sunt autem Apostoli capti, non quia noluerũt eos capere, & occidere, sed quia nõ potuerunt imperio Christi impediti: qui dixerat, Sinite hos abire. *At illi tenentes Iesum duxerunt ad Caypham*, prius tamen ad Annam socerum Cayphæ, *ubi scribæ*, scilicet in domo Cayphę conuenerant. Iosephus vocat Annam Annabem, cuius omnes filios pontificatu functos esse dicit: Emebat enim iste Annas nunc pro se, nunc pro filijs suis pontificatum. Dicitq; Caypham proprio nomine vocatum fuisse Iosephum, cognomento verò Caypham. *Conuenerant* scilicet ad consultandum, quomodo impetrarent à Pilato Christi necem. *Petrus autem sequebatur eũ a longe, usque in atrium*, id est, aulam vel palatium, nimio Christi amore. Quomodo intrauerit, latiùs narrat Ioannes, qui dicit etiam alium discipulum sequutum esse Christũ. Et Marcus quendam adolescẽtẽ. Mysticè sequelam Petri exponit Augustinus dicens: Quod ad pàssionem euntem Dominum à lõge sequitur quidem, id est, imitatur paßionẽ Domini sed longè differenter, Ecclesia enim pro se patitur, at ille pro Ecclesia. *Omne conciliũ* tota congregatio *Quærebãt falsum testimonium contra Iesum*, scilicet idoneum ad hoc vt possent eum morti tradere

Marginal notes: Psal. 87 (beside "tu mortis, & carceris"); In fine lib. 1. quæ. euã. (beside "Mysticè sequelam Petri")

dere. Prius tamen ipse Cayphas conatus est expiscari ex verbis Christi: interrogauit enim de doctrina eius qualis esset, & de discipulis eius, quare eos congregaret, an ad occupandum regnum: vel simile. Et vtriq; quæstioni Dominus obiter respondit doctrinā suā omnibus palā propositam esse. Cùm igitur manifesta esset doctrina, satis patebat quid Christus doceret discipulos, an doceret eos rebellare Romanis, & occupare regnū an nō. Cùm autem pontifex ex ore Christi nihil posset criminis elicere cogitauerunt omnes per falsos testes Christum aggredi. *Et non inuenerunt* aliquod testimonium conueniens & idoneū, quod Pilato proponerent. Vnde Marcus: Et conuenientia testimonia non erant, id est, non habebant colorem aliquem propter quē Pilatus videretur curaturus. Sic Origenes: quanquam Augustinus intelligit testimonia non conuenisse testibus. quia testes non erant cōcordes in verbis suis, sicut legitur de duobus senibus populi iudicibus, Susannæ accusatoribus. *Cum multi falsi testes accessissent.* Quæ mendacia hi confinxerint non constat, nisi fortè eum dixisse accusarint non oportere ante prandium lauare manus, nec eum qui in Sabbato fameret debere sabbatum seruare, non oportere lapidari adulteros, quæ tamen nō dixerat. Tunc completum est illud Psalmi: Surrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi: & illud: Surgentes testes iniqui quæ ignorabam interrogabant me. *Nouissime autem venerunt duo falsi testes*, tanquam præ cæteris aliquod singulare crimen Christo obiecturi, dicentes: *Hic dixit, Possum destruere templum Dei*, scilicet, in Hierusalem, *& post triduum reædificare illud*, id est, illud intra triduum suę pristinę integritati reddere. Etsi Christus dixisset: Possum destruere templum hoc, adhuc tamen verus fuisset eius sermo, si illo soluto incœ-

Lib. 3. de cons. euang. cap. 5.
Dan. 13.
Psal. 44
Psal. 34

incœpiſſet, ipſum die tertio reædificaret. Nã reædificare nõ ſignificat iã aliquid perfectũ facere, ſed incipere, vt tãdem ad perfectionẽ perueniat. Marcus habet paulò aliter: Ego deſtruã, ſeu diſſoluã teplũ hoc manufactũ, & poſt triduũ nõ manufactũ reædificabo. Dixerũt enim illi falſi teſtes vtrũq;. Ego poſſum, & ego deſtruam, volẽtes hoc teſtimonio Chriſti accuſare, ꝙ ſibi diuinã vſurpaſſet potẽtiam, ꝙ nullũ erat crimẽ in ipſo. Deinde hoc teſtimonio eũ accuſabant, quod Deo aduerſarius eſſet, vtpote qui vellet inſigne Dei tẽplũ deſtruere; ac promiſsũ illud quo ſe poſt triduũ reædificaturũ pollicit' fuerat, vt vanũ reputari volebãt. Sed iſtud teſtimoniũ (vt ait Marc')nõ erat cõueniẽs, quod primi teſtes à ſecũdis diſcordarẽt. Fuerũt aũt teſtes illi falſi, quia
Ioan. 2. aliter Chriſtũ dixiſſe retulerũt, quã dixerat. Dixerat enim: Vos ſoluite, non ego ſoluã; & tẽplũ hoc, nõ (tẽplũ Dei manufactũ, &: Excitabo) nõ reædificabo, Vt de viuo & ſpirãte corporis ſui templo loquutus intelligeretur. *Et ſurgẽs Princeps ſacerdotũ.* Irę ac furoris impatiẽs quo calũniæ locũ nõ inueniret exilit è ſede ſua, quo veſaniã mentis, motu corporis demõſtraret. Et qui Iudex animo quietus, & ab affectibus alienus eſſe debet. *Ait illi.* Redit ad prius conſilium, vt aliquis crimen ex ore Chriſti exquireret, cùm ex falſis teſtibus non inueniret. *Ieſus au-*
Eſaiæ 54 *tem tacebat*, ſicut agnus corã tõdente ſe, ſciebat enim quicquid reſpõdiſſet trahendũ ad calumniam. Tacuit vt nobis linguæ continentiã largiretur, & impias, dicaces, ſcurriles & ineptas fabulas noſtras aboleret: vt excuſationes noſtras quibus peccata excuſamus auferret. Taciturnitas (ait quidã) Chriſti ex
Geneſ. 4. cuſationẽ ſiue apologiã Adæ excuſat. Tacuit, vt fiduciã nobis loquẽdi, quãdo loquendũ pro Chriſti gloria & eius Eccleſia foret largiretur. *Adiuro te per*
2.2.qu.90. *Deũ uiuũ.* Mãdo tibi ſub atteſtatione dei viui *ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei* quẽ prænũciauerũt Pro

phetæ; De adiuratione quid ſit, quomodo liceat; patet apud Tho. *Dicit illi Ieſus*, Christus reuerentia paterni nominis,& quia diuinitas ei⁹ quodãmodo irridebatur reſpõdit hoi alioqui reſponſione indignisſimo. *Tu dixiſti.* Aug. Mar. inquit, tãtum valere oſtẽdit, quod ei dicit Ieſus; Tu dixiſti, quantũ ſi diceret, Ego ſum. Theoph. in ſequẽs cap. Matth.& in Lucã putat Chriſtũ ambiguè reſpondiſſe, hoc modo, Tu dicis, vt res ſeſe habet; vel tu dicis, non aũt ego: aut, tu ſolo ore interrogas an ſum filius Dei, corde aũt me cõtemnis. Lucas verò legit: Dicitis quia ego ſum, improperatis mihi quod ſim Deus. Huic ſenſui bene cõuenit quod ſubditur. *Veruntamẽ dic o uobis*, quãuis me nũc deriſui habeatis, quod videbitis me veniẽtẽ in nubibus cœli,& vniuerſum mũdũ iudicantẽ. Hũc ſenſum ſubindicat Iuuencus hoc carmine: *Iſthęc ſola tibi procedũt uectore uerba. Vera tamẽ ueniet uobis uiſenda per auras, Maieſtas hominis.* Hæc expoſitio etiã adaptari poteſt reſponſioni Chriſti, qua Iudæi interrogãt. Nũquid ego ſum Rabbi, reſpõdit. Tu dixiſti. i. tu interrogas nũ me ſis proditurus ſubſannando, quaſi neſcirẽ te illũ eſſe. Similiter quod Chriſtus reſpondit Pilato: Tu dicis quia rex ſum ego, poteſt hũc habere ſenſum; Tu improperas mihi quia rex ſum deridẽdo; in hoc peccas, ego enim verè rex ſum; In hoc enim nat⁹ ſum, vt teſtimoniũ perhibeã veritati. Simile quid dicit Iudæis alibi; Ego honorifico patrem, & vos inhonoraſtis me. Sic poterat dicere Pilato: Ego ſum rex, & tu derides me,& Cayphæ. Ego ſum filius Dei,& derides diuinitatẽ meã. Hæc expoſitio cõfirmari videtur ex eo quod Chriſtus in paſsione ſua nõ legitur reſpõdiſſe inimicis, niſi ijs qui deriſerunt vel patris ſui diuinitatẽ, vt quãdo Põtifex interrogauit de doctrina eius, & hoc loco,& quãdo Pilatus arroganter dixit. Neſcis quia habeo poteſtatem,&c.

Libr. 3. de conſ. euãg. cap. 6.

Ioann. 8.

a modo, id est, post modicum tempus, *videbitis filium hominis sedentem a dextris uirtutis Dei*, Sedere à dextris patris conuenit Christo secundùm humanam naturam, & significat sessio illa esse eum collocatū super omnem creaturam, tanquam omnium Dominum, & gubernatorem. Græca exemplaria nō habent (Dei) sed tantùm (virtutis) nec D. Augustinus legit. Theophylactus per virtutem intelligit patrē, nec immeritò patrem suum hic appellat virtutem quia nunc in vinculis & passione constitutus, nō videbatur filius esse omnipotentis. Dicit autem istud, vt ostendat iudices præ oculis semper debere habere extremum illud iudicium, in quo is qui pro nobis iniustè iudicatus est, iustum iudiciū sine personæ cuiusquam acceptione iudicabit: & re-
Dan 7 spicit ad illud quod ait Daniel filium hominis peruenisse vsque ad antiquum dierum, & datum ei esse regnum, & quod tanquam filius hominis venerit in nubibus cœli, quasi dicat. Vos in me scandalizamini, quia me Christum esse filium Dei assero, sed recordemini illius quod de filio hominis dixit Daniel, quod peruenerit vsq; ad antiquū dierum, quod nunquam completum fuit in alio, sed nunc in me complebitur: nunc enim tempus est, vt à dextris æterni patris cōsideat ille filius hominis.

4. Reg. 5 *Tunc princeps sacerdotum scidit uestimenta sua*. Iudæi
Act. 14. audita in Deum blasphemia in signum displicen-
4. Reg. 22. tiæ scindebant vestimenta sua, quod etiam signū
& Iob. 1. erat pœnitentiæ. Sed hoc signum (sicut multæ aliæ
Iohel. 2. çæremoniæ) hypocriticè seruatū est à Iudæis qui-
Leuit. 10 bus dictum fuit. Scindite corda vestra, & non ve-
& 21. stimenta vestra. Porrò singulariter prohibitum erat ne vnquam summus sacerdos scinderet vestes suas. Cayphas autem vt augeret inuidiam criminis in Dominum, neglecto legis præcepto in signū magnæ displicentiæ scidit vestes suas. Mysticè hic

designatur quod à gentę Iudaica sacerdotalis dignitas, cum ipsa lege esset auferenda. Dum enim sibi vestem scidit quo tegebatur, ipsum velamentū legis abrupit. Surrectio ipsius etiam ex sede vacuā significauit apud Iudæos cathedram Pōtificis māsuram. Hoc annotārūt Hieronymus, & Leo. Nec aliena est ista significatio à scriptura: sicut enim verba Cayphæ fuerunt prophetica ita & facta eius. *serm. 6. de paß. Domi.*
Manifestè etiam patet scissionem vestis Samuelis, & vestis Ahijæ prophetæ designasse abruptionem regni Saulis, Salomonis, & Roboam, & translationem ad alios vt Ieroboam &c. *Dicens: Blasphemauit.* Iniuriosè contra Deum loquutus est, dum dixit se esse Christum filium Dei, & sessurū à dextris Dei, & venturum ad omnes iudicādum. *Quid adhuc egemus testibus?* Quibus eum Dei aduersarium, & inimicum morteq́ dignissimum esse conuincamus. Exaggerat Christi crimen, quasi dicat. Ecce nunc etiam dum in manibus nostris est, & coram tribunali nostro, audet blasphemare Deum coram omnibus nobis, quid ergo fecisse eum putabimus cū liber apud discipulos suos esset. *Reus est mortis*, dignus est mori, magna est horum cœcitas, & amentia, contra enim iustitiam omnem accusant, & ad mortem condemnāt, iidem ipsi accusatores & iudices esse volunt. Blasphemauit: O Caypha si tuæ calumniæ respondere liceat? nōne satis magna miracula ostendit? nonne Messiæ tempus aduenerat? Hæc certè te admonere debebant vt maturiùs deliberares anne verum dixerat, quando se esse Dei filium confessus est. Cur non vocastis ipsum blasphemum quando allegauit vobis Psalm. dicens: *Psal. 109*
Dixit Dominus Domino meo &c. Cur etiam nō ipsum Dauidem dum filium suum sedentem Dominum à dextris Dei vocat? Cur non & Daniele tanquam blasphemum arguitis? Rectè verò dixi-

 sti: Quid

ſti: Quid adhuc egemus teſtibus? quia ſemper ijs eguiſtis nec inuenire potuiſtis quẽquã qui aliquod crimẽ ei verè imponeret. Manebitis igitur etiã nũc egeni non intelligentes teſtimonia prophetarum quibus illi gloriam Chriſti teſtati ſunt. In hoc
Pſal. 21. conſilio eſt illud impletum: Circundederunt me vituli multi tauri pingues obſederunt me, & il-
Ierem. 12 lud: Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi Leo in ſylua. Auguſtinus libro de conſenſu Euangeliſtarum capite ſeptimo putat: Principis ſacerdotũ admirationem cõtigiſſe mane ſicut ponit Lucas mane Chriſtum interrogatum an eſſet Chriſtus. Sed quia Matthæus & Marcus duo conſilia ponunt, nocturnum vnum, alterum matutinum, meliùs videntur ſentire, qui Chriſtum bis interrogatum fuiſſe dicunt an eſſet Chriſtus, primo nocte, ſecundo mane.

Tunc expuerunt in faciem eius, ſcilicet poſtquam fuit condemnatus morte. Qui autem fuerint illi expuentes, non ſatis cõſtat ex hoc Euangeliſta, ſed Marcus videtur dicere quod non fuerint miniſtri ſoli, nam ſeorſim de illis ſubdit (& miniſtri colaphis eũ ceciderunt.) Et Lucas quoſdam viros deputatos ad eum tenendum dicit illuſiſſe Chriſto, vnde non ſolum miniſtri, ſed & iudices hæc faciebant. In faciem autem non velatam, ſed apertam conſpuerũt
Eſa. 50. iuxta illud: Faciem meam non auerti à conſpuentibus, & increpantibus me, id eſt, non habui oculos auerſos dum conſpuerent me.

Et colaphis eum ceciderunt, id eſt, pugnis clauſis. *Alij autem palmas*, id eſt, manus apertas: *qui & uelauerunt eum*, vt poſſent ei illudere tanquam prophetæ. Myſticè deſignabatur per velamen illud, ſuper cor Iudæorum ponendum eſſe velamen in lectione veteris teſtamenti, vt claram Chriſti faciem non poſſent intueri. *Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui*

qui te percußit? Dixisti te esse Christum, ac Prophetam, dic ergo quisnam tibi infringat colaphū? Declara nunc te nosse occulta. Ex Esaia capit. 50. satis constat quod etiam ei barbam euulserint: Genas enim meas (ait) dedi vellentibus. Lucas addit multa alia eos blasphemantes in eum dixisse, prout videlicet malitia suggerebat eis, proque varietate affectuum varias in eum effundebāt blasphemias. Ex Luca durasse videtur hæc illusio vsque mane. Pulchrè commentarius inscriptus Hieronymo causas assignat, ob quas ista passus sit Christus. Condemnant (inquit) eum reum esse mortis quo reatu suo reatum nostrum solueret, & velamine faciei suæ velamen cordium nostrorum auferret, & sputaminibus exceptis faciem animæ nostræ lauaret, & colaphis quibus in caput percussus est, caput humani generis (quod est Adam) sanaret, & alapis quibus expalmatus est, maxima laus eius nostris manibus, & labijs plauderet. Augustinus. Quod dictum est (inquit) spuerunt in faciem eius, significauit eos qui præsentiam gratiæ respuerunt. Item tanquam colaphis eum cædunt, qui honores suos ei præferunt palmas in faciem eius dant, qui perfidia cœcati eum non venisse affirmant, tanquam præsentiam eius exterminantes, & repellentes. Venerabilis Beda. Cæditur etiam Christus nunc blasphemijs falsorum Christianorum. Hæretici quoque Iudæi, & mali Catholici, qui eum reprobis actibus exacerbantes quasi ei illudentes dicunt: Quis est qui te percusit, dum ab illo cogitationes suas, & opera tenebrarum cognosci non æstimant, qui eius doctrinam & Ecclesiæ sacramenta violant. *Petrus uero sedebat foris in atrio.* nam Dominus erat intus in penetralibus supernis, sicut satis patet ex Marco, qui dicit Petrum fuisse deorsum in atrio, id est, vestibu-

In Mar.

Lib. quæst. euan. q. 44.

veſtibulo domus. Sedebat calefaciens ſe non tam frigoris cauſa quam vt non putaretur eſſe de familia Chriſti. *Et acceßit ad eum una ancilla*, ſcilicet oſtiaria ipſius Cayphæ, quæ dum vidit eum ſedentem ad lumen diligentius eſt eum intuita dicens: *Et tu cum Ieſu Galilæo eras?* quod vel interrogatiuè, vt apud Ioannem, vel aſſertiuè legi poteſt. Erant autē Galilæi apud Iudæos contempti, vt patet ex Ioanne præſertim ex tunc quando Iudas Galilæus cœpit rebellare Romanis. *At ille negauit coram omnibus dicens.* Nimio timore præterritus, coram omnibus negauit, ſe fuiſſe diſcipulum Ieſu dicens: *Neſcio quid dicis*, id eſt, non noui hominem iſtum, neque vnquam ſum cum eo conuerſatus. Auguſtinus. Sanè in iſta negatione Apoſtoli Petri aduertere debemus nō ſolùm ab eo negari Chriſtum, qui dicit eum non eſſe Chriſtum, ſed ab illo etiam qui cùm ſit, negat ſe eſſe Chriſtianum. Dominus enim non ait Petro, diſcipulum meum te negabis, ſed (me negabis) negauit ergo ipſum, cū ſe negauit eius diſcipulum. *Exeunte autem illo ianuam*, dū præ nimio metu ſubtrahere ſe conatus eſt ex domo Cayphæ. *Vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi, & hic erat cū Ieſu Nazareno. Et poſt puſillum acceßerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro*, qui ſimulata rurſum audacia ad focū redierat, vbi ex ſuggeſtione vnius ancillæ dixerūt ei aſtantes: *Vere & tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit.* Ex idiomate & certa pronunciatione ſermonis, te Galilæum eſſe colligimus, non quin & miniſtri, & Petrus Hebraicè ſeu Siriacè loquerentur, at quia in vna lingua aliter Galilæi aliter Hieroſolymitani loquebantur. Vnde idiomatis proprietate Galaaditæ, ab Euphratæis diſtinguebantur. Ioannes etiam aliā tentationē Petri in hac tertia negatione ponit, nēpe quod cognat⁹ Malchi dixerit Petro: Nonne ego te vidi in horto cum eo?

Cap. 7.

Tract. 113. in Ioan.

Iud. 12.

Tunc

Tunc postquam tot modis conuictus esset *cœpit detestari* execrari dicens: Dehiscat me terra si noui hominem. Notanda est hic diligenter sanctorum virorum fragilitas. Item quod Petrus in aula Ecclesiastica,& societate impiorum Christum negauit; vt discamus impiorum aulas,& societates vitare. Aduertendum etiam est Petri malitiam semper creuisse,nam primo simpliciter negauit,secundo periurium addidit, tertio iuramentum execratorium, vt intelligamus quod grauitas peccati, & diaboli tentatio peccatorem non statim resurgentem,semper ad grauiora trahant. Obseruandũ tertio est,quod post primã negationẽ cantauit gallus, & non est conuersus Petrus. Rursum quod inter secundam & tertiam negationem horæ vnius tẽpus intercesserit. Et non est recordatus Petrus verbi Domini, quia nondum respexerat eum Dominus,nec ab ira furoris sui erat auersus:demùm autem secundo gallicantu verbi Iesu recordatus est, quando eum respexerat spiritaliter, non autẽ corporaliter teste Augustino. Non solùm autem respectus Dei misericordiæ necessarius est, quando agitur pœnitentia,verum etiam vt illa exequatur præuenire debet,quemadmodum pulchrè declarat Augustinus,& Ambrosius alludens ad istam historiam in hymno matutino : AEterne rerum conditor,sic deuotè precatur, Iesu labentes respice & nos videndo corrige , si respicit lapsi stabunt fletuq; culpa soluitur. *Et egressus foras fleuit amare* Quamdiu in societate impiorum fuit, peccatũ suũ non defleuit,misericordia autem Domini eum ante omnia respiciens hoc ei præstitit, vt illam relinqueret , & sic præ magnitudine amoris diuini corde perplexo, & amaritudine pleno peccatum suum defleuit. Vnde Ambrosius hortatur dicens: Si imitatus es peccantem, imitare amare flentem.

Lib. 3. de cons. euang. cap. 6.

Enchi. c. 81.

Erubeſcant hic hæretici Nouatiani, qui eos negāt abſoluendos qui poſt baptiſmum in ſcelera relabuntur, cùm tantus Apoſtolus, qui iam recenter corpus, & ſanguinem Domini acceperat, in tantū ſcelus inciderit: & nihilominus non ſolum Deo eſt reconciliatus, ſed etiam toti Eccleſiæ præfectus. Hæ tres negationes Petri in domo Cayphæ contigerunt, quemadmodum cæteri teſtantur Euangeliſtæ: Nec aliud dicit Ioannes qui Petrum in aula Pontificis negaſſe dicit, quoniam Cayphas Pontifex erat.

Videtur autem Ioannes dicere quod in domo Annæ Chriſtum negauerit, propterea quod textus Ioannis, prout nos eum legimus, integer non ſit, ſed corruptus: nam poſt illud (Adduxerunt illum ad Annam primùm erat enim ſocer Cayphę qui erat pontifex anni illius) iſtud legendū eſt (Et miſit eum Annas ligatum ad Caypham pontificem) vt inde ſequatur, Erat autem Cayphas &c. & quod poſtea dicitur (Si autem bene, quid me cædis.) Et vt iſtud (& miſit eum Annas ligatum ad Caypham pontificem) ſit illius quod ſuprà dixit repetitio, ita videlicet vt Ioannes orationem ad priora reducat, quoniam negationem Petri ſecundo & tertio factam exponere voluit. Atque hoc pacto textum legit, & interpretatur Cyrillus, & Effrem diaconus. Auguſtinus has tres negationes Petri myſticè exponit hoc modo. In trina (inquit) Petri negatione error hæreticorum de Chriſto tribus generibus terminatur, aut enim de diuinitate eius, aut de humanitate, aut de vtroque falluntur.

In Ioanne. ser. 14. de paſſ. Dom. Lib. 1. quæ. euan. ca. 45 & 46.

IN CA-

IN CAP. VIGESIMVMSEPT. Matthæi.

Mane autem facto, mane ipsius feriæ sextę denuò inierunt cõsiliũ quomodo cõmodè possent eum occidere. Latiùs prosequitur Lucas quid in isto consilio egerint. Videntur autẽ Iesum liberum statuisse in consilio suo, vt non si se Christũ cõfiteretur, prętẽdere posset, vi ac pœnarũ acerbitate se confessum fuisse. Deinde vt his blãditijs quasi non quęrentes mortem eius aliquid amplius ex ore eius expiscarentur. Quod autem nocte factum erat, actũ erat eo vincto. *Et vinctum adduxerunt eum*, tanquam iam damnatum ab eis, & morti addictum: pro more enim habebant, vt quẽ morti adiudicassent, ligatum traderent iudici Romano. Eduxerunt autem eum omnes sacerdotes, cæterique qui erant de consilio, ex domo Cayphæ. Cap. 22. sub finem.

Et tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Pontius prænomen est, sicut Marcus. Pilatus autem verum erat eius nomen, describiturque vtroque nomine, vt de tempore quo Dominus noster passus sit satis cõstet pręsidi, id est, gubernatori prouincię Iudęę. Defuncto enim Herode magno, & Archelao in exilium misso, non amplius reges in Iudæa à Romanis, sed præsides tantum & gubernatores constituti sunt, quos pro libito amouebant.

Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset ad mortem à Iudæis, ac nihil iam agi aliud quã vt per Pilatum occideretur, *pœnitentia ductus* non salubri, sed tali qualis erat Cain, & qualis est hominum damnatorum in inferno, qui magis propter dolorem & vermen ac remorsum conscientiæ, quam propter peccatum dolent. Genes. 4

Hoc enim diaboli artificium est, vt peccatum

nondum admissum extenuet, ac intellectum obscuret, ne sceleris turpitudinem videat, scelere autem perpetrato, turpitudinē eius ob oculos ponit, atque obtenebrat, & obscurat intellectum, ne aliud præter peccati malitiam, & turpitudinem considerret, atque hoc pacto ad desperationem adigit. *Retulit 30. argenteos principibus sacerdotũ.* Restituit iniquum pretium per quod eum spiritu sancto dirigente iustum confitetur, iuxta illud Ioannis: Quis arguet
Ioan. 8. me de peccato &c. *Quid ad nos, tu videris.* Hoc dixerunt à diabolo instigati: & sic Iudam ad desperationem adigebant. Hoc enim primũ esse solet quod impij retribuunt socijs suis, qui cum ipsis peccauerunt: derident eos dum sua dilapidauerũt, ac in magna sunt anxietate constituti. Tu videris ergo, nostra non refert tui: si peccasti, cura vt peccatum tuum corrigas: Docemur hic dum tristes sumus & anxij, non ad socios quibuscum peccauimus, sed ad pios & prudentes viros, Deũque timentes esse cõfugiendũ. Si enim infœlix hic Iudas sic se coram Apostolis, vel alijs Christi discipulis, imò matre eius Maria, sicut coram impijs humiliasset, aliud consilium accepisset, imò si ad vinctum ipsum Iesum confugisset spe veniæ, fuisset ere-
serm. 11. de pass. Domi. ctus. Leo putat Iudã mortuũ ante Christum quare videtur sacerdotibus, & senioribus occupatis ad occidendum Dominum retulisse triginta argenteos. *Et proiectis argenteis in templo,* tanquam in pio loco, volebat enim iniquam pecuniam restituere. *Abiens laqueo se suspendit,* vbi longè grauius quam cũ Deum tradidit, peccauit: Et suspensus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius. Tunc com-
Psal. 40 pletũ est illud Psal: In hoc cognoui, id est, alios cognoscere feci quod voluisti, id est, dilexisti me, quia inimicus meus Iudas, nõ gaudebit super me, neq; populus Iudaicus, Iudas enim post traditũ Christũ

tanta

tanta tristitia directus fuit, vt seipsum occiderit, & Iudæi ex signis factis in morte Christi; & post mortem vsqueadeo perterriti, & consternati per Apostolos, varijsque perturbationibus exagitati fuerunt, vt dixerint, Quid faciemus viri fratres? Actor. 2.
Non licet eos mittere in Corbonam. Corbona significat donum & hic ponitur pro gazophylacio, miram sanè sanctitatē hic simularunt quod non ausi erant mittere pretium quo Christum emerant cum alijs donis in arcam, cùm tamē non exhorruerūt eum crucifigere. *Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli,* quasi hanc pecuniam expēdentes, in pios vsus in eleemosynā scilicet vt pauperes & peregrini locum haberent in quo sepelirentur. Sed Deo sic dirigente cessit hoc ad æternum impietatis eorum monumentum, dum enim Iudæ suspensio omnibus in Hierusalem habitantibus nota facta est, eūquè argenteos proiecisse in templo scirent, omnes nouerunt & Christum pro triginta argenteis ab ipso traditū esse. *Propter hoc uocatus est ager iste Aceldema, hoc est ager sanguinis,* quia triginta argēteis quibus emptus fuit sanguis Christi, emptus est & ager ille. *Vsq; ad hodiernum diem,* quo scilicet ego Mattheus hunc librum scribo. *Tunc impletum est quod dictum est* In comme.
per Ieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt 30. argēnteos pretium appretiati. id est, empti *a filijs Israel.* id est, à Iuda *sicut constituit,* id est dixit, *mihi* Ieremiæ, *Dominus*. Et quia istud in Ieremia non legitur ideo laborant hic Commētatores. Hieronymus dupliciter se expedit: Primū intelligit istud esse sumptū ex apocrypho Ieremiæ, quod tamen in parte hac Matthæus sciuit non esse apocryphum. Scripsisse autem Ieremiam, plura quàm nos habeamus patet ex libro Machab. Secūdò putat istud sumptum esse ex Zacharia Propheta, & Euangelistam citasse sensum, non verba Prophetæ: Et hoc putat probabiliùs. 2.2.

biliús. Iuxta hanc explicationem, mendoſus eſſet textus Matthæi, & nomen Ieremiæ omitti deberet, & legi (per Zachariam Prophetam) vel ſimpliciter per Prophetam, Zachariæ vndecimo, iſtud habetur, quantum ad ſenſum; quod enim Chriſtus dicitur ibi proieciſſe 30. argenteos in domo Domini, id eſt, in templo hactenus verum eſt, quia curauit, vt eos Iudas proijceret in templo, inſtinctu, & directione ſua. Quod verò textus noſter habet ad ſtatuarium, Hieronymus dicit à ſe quondam ita verſum, ſed poſtea ſe cognouiſſe vocem eſſe ambiguam; & putat ſic transferendum eſſe, Proijce ad figulum; & quanquam interpretetur figulum illum eſſe Deum, non fuerit tamen improbabile per figulum hominem intelligere cuius agrum emerunt 30. argenteis vt ſit ſenſus Zachariæ: Proieci 30. argenteos in domo Domini ad figulum, id eſt, vt peruenirent ad manus figuli. Auguſtinus verò omnino putat legendum eſſe nomen Hieremiæ, & dupliciter ſe expedit. Primò, vt iſte locus ſumptus ſit ex Zacharia Propheta, tribuatur tamen Ieremiæ propter vnitatem ſpiritus in omnibus ſanctis Prophetis, qui ita eos direxit, vt magis inter ſe conſentiant, quàm ſi omnia dicta eorum, vno, vniuſque ore d cerentur. Et ideò quæcunque per eos dixit Spiritus ſanctus, & ſingula ſunt omnium, & omnia ſingulorum. Secundò dicit Ieremiæ caput triceſimum ſecundum citari, vbi Ieremias legitur emiſſe agrum ſeptẽdecim ſtateribus argenteis, & miſiſſe librum emptionis in vas fictile, non quidem ſecundũ ſenſum literalem, ſed ſecundum ſenſum myſticũ, quia ſcilicet ager emptus à Ieremia idem ſignificat quod ager hic figuli, à Iudeis emptus, vt hic dicatur impletum quod à Ieremia factum dicitur, quia ibi factum eſt ſignum illius rei quæ etiam hic ſignificatur,

catur & fortè 17. stateres apud Ieremiam, 30. argenteos valent, quorum hic fit mentio. Significat autem ager figuli emptus in sepulturam peregrinorum pretio sanguinis Christi, sanguine Christi emi requiem eorum æternam, qui in hoc sæculo peregrinantes consepeliuntur Christo per baptismum. Per emptionem verò agri apud Ieremiam significatur, quod liberati de captiuitate habitarent in terra sua possidentes agros, siue terram, de qua ait Christus: Mites possidebūt terram, id est, regnum cœleste. *Ca. 5. matt.*

Iesus autem stetit ante præsidem. Cum adductus fuit Dominus ad aulam Pilati, non introierunt Iudæi domum Pilati, sed Pilatus exiuit ad eos, & videns Iesum astare vinctum tanquam ab eis condemnatum interrogauit eos: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc. Responderunt, si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum, & dixit Pilatus accipite eum vos, Responderunt, nobis non licet interficere quemquam. Hæc narrat solus Ioannes. Deinde cùm viderent Pilatum nolle Christum condemnare causa non cognita, cœperunt accusare de tribus. Primò de subuersione gentis. Secundò de prohibitione tributorum, & tertio quod se regem diceret. Subuersionem gentis non admodum curauit Pilatus paruifaciens Iudaicam legem. Secundum vero crimen sciebat ab eis confictum, quia quando tentatus est Christus de quæstione tributi, aderant Herodiani, qui eius responsum ad Pilatum retulerunt. Fuisse autem illos ministros Pilati vel familiares satis patet ex Luca, qui dicit insidiatores ad Christum missos, vt caperent eum in sermone, & traderent eum principatui & potestati præsidis, id est. Pilato. Tertium crimen, quia dixerat se regem aliquo- *matth. 22.* *cap. 20.*

aliquousque Pilatũ mouit. Poterat enim hoc vergere in detrimẽtum imperij Cæsaris Tyberij magistri & domini sui. Vocauit igitur Iesum in prætorium, vt ait Ioannes, *& interrogauit eum.* *Tu es Rex Iudæorum,* Horum verborũ meminerunt & cæteri tres Euangelistæ. *Dicit illi Iesus*, à temetipso hoc dicis an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus quasi indignans. Nunquid ego Iudæus sum, gens tua, & pontifices tui tradiderunt te mihi, quid fecisti? Respondit Iesus regnum meum non est de hoc mundo, dixit itaque ei Pilatus, ergo Rex es tu? Respondit Iesus. Tu dicis quia rex sum ego, quæ verba posuerunt 4. Euangelistæ. Et subdit Christus: exponens regnum suum esse regnũ iustitiæ & veritatis, & mysticum: Ego in hoc natus sum, & ad
Lucæ 23. hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam
Ioann. 18. veritati, & omnis qui est ex veritate audit vocem meam. Dicit ei Pilatus quid est veritas? quæ quæstio potest etiam intelligi à deridente esse prolata, & cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, & dixit eis. Ego nullã inuenio in eo causam: Hoc apud Ioannem, & Lucam: At illi inualescebant, dicentes: Commouit populum, &c. quod vsque ad reditum Christi ab Herode, seu vsque ad particulam illam inclusiuè & illusum veste alba remisit ad Pilatum, ponit solus Lucas. Apud Pilatum in multis adhuc accusatus fuit, & nihil respondit. *Tunc dicit illi Pilatus. Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia*, id est. Non respondes quicquam? vides in quãtis te accusant? *Et non respondit ei ad ullum uerbum, ita ut miraretur præses uehementer*, Et hæc interrogatio Pilati facta est foris coram Iudæis: sicut ex Luca clarum euadit. Deinde Pilatus conuocauit Principes sacerdotum & Magistratus, & plebem, & dixit ad illos. Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce coram vobis interrogans nullam
cau-

causam,id est crimē inuenio in homine isto,ex his in quibus eū accusatis. Sed neq; Herodes,nam remisi vos ad illum & ecce nihil dignūm morte actū est illi. Emendatū ergo illū dimittā.(Hoc apud solū Lucā legitur. Incidebat enim Pilato cōsilium satisfaciēdi furori Iudæorū per flagellationē Christi, sed antequā Christū flagellaret incidit ei longè cōuenientior(vt ipsi videbatur)modus dimittendi Christū, nēpe per consuetudinē in Paschate reum mortis quēcunq; petijssent plebæi dimittēdi. Quā consuetudinē introduxerāt Romani ad captādam gratiam populi, quasi ipsi eorum sacra & solennitates magnifecisset. Igitur dixit Pilatus eis. *Quē vultis dimittam vobis*,quasi dicat: hanc ego consuetudinem infringam nisi vnum ex duobus eligatis, *vel Barrabam,uel Iesum, qui dicitur Christus. sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum*. Pontifices autem & seniores persuaserunt populo. vt peterent Barrabam Cum igitur turba consultasset,ac persuasa esset,vt peteret sibi donari Barrabam,venit ad Pilatum,vt antiquam seruet consuetudinem postulans. Hoc Marcus:Respondit igitur Pilatus. Quem vultis de duobus dimitti? Hoc Matthæus: Regem Iudæorum? hoc Marcus. Exclamauit vniuersa turba non hunc,sed Barrabā (quod omnes Euangelistæ conformiter habent) Respondit Pilatus, Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus. Dicunt omnes:crucifigatur. ait illis Præses. Quid enim malefecit. At illi magis clamabāt,dicentes:crucifigatur. Hoc duo priores Euangelistæ, Matthæus,& Marcus,& ex parte Lucas. Respondit Pilatus. Nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiā ergo illum & dimittam (hoc Lucas) redijt enim Pilatus tunc ad priorem conceptum de flagellatione Christi,dū videret non successisse consilium de dimittendo Christo per consuetudinē paschalē. Tunc ergo apprehen-

cap. 15.

prehẽdit Pilatus Iesum & flagellauit, sicut latè prosequitur Ioannes, qui multa dicta hinc inde ponit vsq; ad partẽ illã: Nõ habemus regẽ nisi Cæsarẽ. Sedẽte aũt illo pro tribunali misit vxor ad eũ, & lauit manus corã populo, clamatũq; est à Iudæis: Sãguis ei' super nos & super, &c (quę ponit sol' Matthæus) & tunc dixit eis: Ecce rex vester, sicut latè prosequitur Ioãnes. Tunc dimisit eũ crucifigendũ. Hic est ordo Euangelistarũ. Iesus autẽ interea stetit tanquam reus, & iudicandus intus in prætorio. *Dicit illi Iesus*, non statim, sed multis interpositis. *Tu dicis. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quãta aduersum te dicãt testimonia.* id est, sic te geris quasi non accusareris, aduerte quanta scelera tibi imponant, quotq; testibus te conuincant; quocirca purga te, & causam tuam foue. *Et non respondit ei ad ullum uerbum, ita ut miraretur Præses uehementer*, Mirabatur Præses Pilatus eius constantiam, quod tam imperturbatæ mentis esset, vt non conaretur repellere mortem, præsertim cùm sciret ipsum esse doctorem legis, adeò eloquentem, vt responsione sua facillimè posset accusationes omnium infringere. Istud autem factum est, vt omnes agnoscerent Christum volũtariè, nõ inuitè subijsse mortẽ: qui enim inuiti occiduntur, etiãsi maximè meriti sint mortẽ, multas solent adferre excusationes, & suppliciter pro mitigatione sentẽtiæ iudices rogare. *Per diem autem solennem* scilicet circa tempus paschale. *Consueuerat præses dimittere*, scilicet plebeis popularibus (ij enim gaudẽt huiusmodi priuilegijs) *insignem uinctum*, scelere, & malitia infamẽ, & notum: *Qui dicebatur Barrabas* hic erat seditiosus, & in seditione homicidiũ, seu latrocinium perpetrârat, totamq; perturbauerat ciuitatem. Barrabas interpretari solet (inquit Hieronymus) filius matris eorũ, & hoc bene quadrat huic historiæ. (Est enim mater Iudæorũ) diabolus

bolus, vel Antichristus: Sicut igitur pro filio Dei, filiũ diaboli elegerunt, ita nũc nõ Deus, sed diabolus est mater eorũ, non Christus, sed Antichristus. *cõgregatis ergo illis.* Cõuocauerat enim populũ Pilatus ad istud proponendũ studio Christũ liberãdi. Deus aũt ad hoc direxit Pilati desideriũ, vt manifestior fieret impietas Iudæorũ, qui latronẽ & homicidã viuere maluerũt, quã authorẽ vitę, qui auferebat languores corporis & animæ. Pilatus aũt ipsos putabat certò electuros Christũ, eumq́(etsi nocentẽ probassent) nullo pacto cõparandũ esse Barrabæ in malo. *qui dicitur christus.* scz. ab accusatorib⁹. Alij loco(Christi)ponũt(Rex Iudęorũ)quod teste Cyr. ironicè legẽdũ est quasi Pilat⁹ voluerit risu Iudæorũ rabiẽ mitigare. Notat hic Chrysõ. ordinẽ inuersum fuisse. Nã petitio pro cõdẽnatis solet esse plebis & concesio principis, nunc verò princeps petijt à plebe, & plebs ferociter respõdit. *sciebat enim quod per inuidiã tradidisset eũ.* Euãgelista causam reddit cur Pilatus tã fuerit sollicitus ad Christũ liberandũ quia vcz. sciebat quod nõ propter aliquod crimẽ, sed sola adducti inuidia tradidissent eũ. Inuidebãt Christo oẽs ferè etiã plebei, præcipuè tamen summi sacerdotes. Vnde Marc. De eis tantũ loquitur, dicẽs: Sciebat aũt quod per inuidiã tradidissent eũ, summi sacerdotes plebei inuidebãt Christo, quod cũ homo pauper esset, & filius, vt apparebat, fabri, sic ab oĩbus glorificaretur. Inuidebant sacerdotes quod totus populus sequeretur eius doctrinã, & celebraret eius miracula Dicunt enim. Ecce totus mũdus post eum abit. *sedente autem illo pro tribunali misit uxor eius ad eum.* Ad declarandum quanta mouerint Pilatum ad liberãdum Christum, & quot modis Iudęi reuocati sint ab hoc scelere. rursum, quot modis Christi innocẽtia probata sit adiũgitur hæc de vxore Pilati histor. Deo dirigẽte aũt venit hic nũcius ab v-

ab vxore quando ſedebat pro tribunali Pilatus, vt omnibus innoteſceret iſtud nuntium,& valde veriſimile eſt quod Pilatus populo aperuerit ſi per literas expoſitum ei fuit,ſi verò viua voce,tunc omnes aſtantes audiuerũt. *Nihil tibi & iuſto illi.* Non agas quicquam contra iuſtum illum, *Multa enim paſſa ſum.* Multa terriculamenta,multas minas. *Per uiſum* in ſomnis *propter eum*, vt eius impediatur occiſio pertuli. In ſomnijs,& viſionibus gentilis vxor intellexit,quod Iudæi vigilantes nec credere, nec intelligere voluerunt. Ideo autem potius datum eſt ſomnium iſtud vxori,quam Pilato,quia (vt ait Chryſoſtomus) fortè Pilatus non retuliſſet ſomnium. Ideo ergo mulier vidit, vt omnibus manifeſtaret. Hieronymus,& Chryſoſtomus à Deo dicunt iſtud ſomnium fuiſſe reuelatũ mulieri gentili ſicut Pharaoni,Nabuchodonozor,& alijs gentilibus quandoque reuelata ſunt ſomnia à Deo.

In cõment.

Quidam putant iſtud ſomnium vxori Pilati veniſſe à diabolo,quaſi videlicet diabolus nunc demum intelligens per Chriſtum ſe ſpolia ſua amiſſurum,ſicut primum per mulierem mortem intulerat,ita per mulierem voluerit Chriſtum de manibus Iudæorum liberare,ne per eius mortẽ amitteret imperium. Sed quodam in loco dicit Chriſtus veniſſe diabolum ad occidendum ſe,quanquã nullum haberet in ſe mortis meritum. Et Auguſtinus Chriſtũ à diabolo occiſum dicit, & Leo ſimiliter de his loquẽs aſſerit diabolũ nõ intellexiſſe conſilium miſericordiæ Dei, ſed perſtitiſſe in ſu rore ſuo,& inſtigaſſe eos vt eum tã crudeliter occiderent. *Principes autem ſacerdotum perſuaſerunt populo, ut peterent Barrabam, Ieſum uero perderent.* Notandum hic quod omne genus hominum cooperatum eſt ad mortem Chriſti: Iudæi & gentiles,viri & mulieres,nobiles & ignobiles,ſacerdotes & Laici, re-

Ioan.14

ctores & subditi, docti & indocti, imò & pueri, ad designandum neminē esse pro cuius peccatis Christus non sit mortuus, & ad omne genus hominū peruenire fructum passionis eius. Quantò autem in excellentiori gradu fuerunt tantò magis egerūt ad mortē Christi, magis sacerdotes quā Laici, magis Iudæi quā Gētiles, magis senatores quā plebęi, ad designandū, quod quātò quis grauius peccet, tātò magis causa sit mortis Christi. *At illi dixerunt Barrabam.* Vsque in hodiernum diem habent Iudæi, quod petiuerunt, nempe Barrabam, id est, latronē diabolum, & post Christi mortem adeò seditionibus, & latrocinijs studuerunt, vt à Romanis penitus euerterentur, & hactenus apud omnes gentes pateant cædibus, & direptionibus. *Quid igitur faciam de Iesu, dicunt omnes*: plebæi, & magistri *crucifigatur* non simplicem mortem patiatur, sed crudelissimā. *At illi magis clamabant, crucifigatur*, nullam reddentes rationem, sed sicut feri leones sine ratione postulantes crucifigi Iesum. Tunc illud impletum est: facta est mihi hæreditas mea quasi Leo in sylua, Et illud, filij hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & illud, lingua eorum gladius acutus. *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret*, videlicet in studio liberandi Christum, & tumultum (quem latiùs explicat Ioannes) crescere. *Accepta aqua lauit manus corā populo*, vt ostenderet se immunem esse à scelere, & iniquissima cæde Christi, eo quod quantum in se fuit (vt putabat) voluit Christum liberare. *Innocens ego sum a sanguine iusti huius*. Si ô Pilate hic est iustus, & potestatem (vt dixisti) habes dimittendi eum, quomodo non es nocens eum condemnando? tu scis eum ex sola inuidia traditum, negligis reuelationem diuinam vxori tuæ prius factam. Etsi in comparatione Iudæorum videaris innocens, grauissimum est peccatum tuum, nec in hoc sæculo

Ierem. 12
Psal. 56.

Lib.1.eccl. hist.cap.6. & 7. euades vindictam diuinam. De ipso eiusque morte tradit Eusebius, & quomodo sit in hoc saecul. punitus à diabolo pro iniqua hac in Christũ prolata sententia. Quomodo etiam ex illo tribunal. vnde voluit Iudaeis complacere, grauissime Iudęos afflixerit iusta Dei vltione. non solum pontifices *dixit: sanguis eius super nos.* Haec inprecatio perseuerat vsque in praesentem diem super Iudaeos, & vindicta sanguinis Christi non aufertur ab eis nec in hoc saeculo, nec in futuro: completurque illud Danielis: Occidetur Christus & non erit eius *Cap.9.* populus, qui eum negaturus est, & infrà: Vsque ad consummationem, & finem perseuerabit deso-*Psal.68.* latio, & illud Psalmi: Dorsum eorum semper incurua, & furor irae tuae comprehendat eos. *Et super filios nostros.* Optimam haereditatem reliquerunt filijs suis, non enim fuerunt contenti sibijpsis solum maledicere, sed & filijs maledicunt, vt impleatur illud: Diuiserunt reliquias suas paruu-*Thren.4* lis suis, & illud: Sed & lamiae nudauerunt mammas lactauerunt catulos suos, filia populi mei crudelis quasi strutio in deserto. Chrysostomus. Mi-*Act.2.3.& 14.* sericors Deus sententiam eorum non confirmauit omnino, sed ex eis, & eorum filijs suscepit, qui poenitentiam egerunt, etenim Paulus ex eis fuit, & multa milia, quae Hierosolymis crediderunt. Notanta est hic stultitia eorum qui audacter perpetrant mala, quando quis eis dicit: Quicquid feceritis, ego illud in me accipio, sic enim dicebant Iudaei Pilato, quasi scilicet propterea Christi sanguis non esset à Pilato exquirendus. Rectè autem dicitur illud: Ego peccatũ omne in me accipio, ab eo qui aliquid scit non esse peccatũ, vt aliũ liberet à timida, & anxia conscientia. Pij Christiani contrario sensu istud orant: Sanguis eius super nos & super filios nostros, id est, placet sanguis eius patrem,

& eum

& eũ nobis faciat propitiũ. Hieron. mysticè interpretatur. In manib⁹ (inquit) Pilati lotis, designatur gẽtiliũ opera esse mundãda, & sanguinẽ Christi ab eis nõ requirendũ, sicut in hoc quod Pilatus & eius vxor confitentur Christum esse iustũ mysticè designatur gẽtilẽ populũ Christũ esse glorificaturũ, & iustitiã eius prædicaturũ. *Tunc* quando Iudæi noluerunt recipere eum, neq; spes amplius placãdi Iudæos vlla erat, *Dimisit illis Barrabam* in gratiam populi petentis, *Iesum autem flagellatum tradidit eis*, Cõdemnauit eum in gratiam Iudæorum petẽtium vt crucifigeretur, non per Iudæos quidẽ, sed per milites ipsius Pilati authoritate Romana siue Præsidis. Iudicatur hic omnium Iudex, & ad crucem cõdemnatur illo ore, quo totus iustus pronunciatus fuerat, vt nos euadamus iustam illam, & terribilem sententiam: Ite maledicti in ignem æternum. Tunc impletum est illud Psalmi: Aduersum me lætati sunt, & conuenerunt. Et rursum: Dilatauerunt os suum super me, & dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri, scilicet quæ semper optauimus. Omnino videntur magnificas gratias acclamasse Pilato. Tunc Christus orabat: Vidisti Domine, ne sileas Domine, ne discedas à me. Exurge, intẽde iudicio meo Deus meus, & Dominus meus in causam meam, Iudica me in tua iustitia &c. Hierony. opinatur, Christum post sententiam flagellis cæsum, quia legibus humanis sancitũ erat, vt crucifigendus prius flagris cæderetur: Sed si respiciamus ad Euangelium Lucę & Ioannis, inueniemus Christũ prius flagellatũ fuisse, quam cõdemnatũ ad mortẽ, hoc cõsilio, vt miserabili Christi afflictione Pilatus, Iudæorum iracundiam mitigaret: atq; ita posteà Christũ liberum dimitteret. Vnde Matthæus & Marcus per repetitionem meminerunt flagellationis Christi, & hoc satis verba

In commẽ.

Psal. 34

Matthæi ostendunt: non enim dicit Christum cõdemnatum,& posteà flagellatum,sed iam flagellatum in prætorio,condemnatum eum esse asserit. Vnde illud(Tunc milites Præsidis)ordinem temporis non dicit,sed perinde est ac si diceretur circa illud tempus, vel illo tempore. Porrò quantis, & qualibus Christus fuerit flagris cæsus non vsque adeo ex scriptura patet, sed tamen ex eo grauiter fuisse flagellatum perspicuum est, quod Pilatus ad commiserationem cupiens illos trahere dixit Iudæis·Ecce homo,indicans miris modis flagellatũ fuisse,& concisum Christi corpus. Ex eo etiam pa-
Cap. 10. tet quod flagellationem tanquam singulare malum supra prædixit. Præterea ex illo: Congregata sunt super me flagella: quod magnam multitudinẽ flagellorum significat,gaudet enim crudelitate genus militum præsertim gentile:nec acceperant milites illi mãdatum istud legis,ne cuiquam vltra 40.plagas imponerẽt. Causam flagellationis dicit Esaias: Disciplina(inquit)id est,flagrum pacis nostræ;quo Deo reconciliamur, & euadimus debita flagella, super eo,& liuore eius,siue vibicibus, quas ex flagris contraxit,sanati sumus. Quia igitur multa flagella peccatoris, vt sperantem in Domino misericordia circundaret, etiam Christus multis flagris cęsus est,vt ęternis flagellis amotis, vulnera peccatorũ nostrorũ sanaret. Et quanquã omnia peccata nostra portauerit,propriè tamen illa hic tulit quæ libidinosis actibus committimus,nimium fouendo carnem nostram. Similia enim peccata vocantur flagitia,id est,flagris digna. *Tunc milites Præsidis*, id est,tortores quorum officium erat reos occidere,quos 4.fuisse scribit Ioannes. *suscipientes*, id est, Susceperunt Iesum à præside, qui eum flagellari iussit,& illudi,vel saltem illudi permisit.Quam illusionem futuram per gentiles ipse prædixerat.

Tra-

Tradetur gentibus ad illudendum. Tunc & illud Psalmi impletum est: Opprobrium insipientium dedisti mihi. *In prætorio*, in domo iudicis. Prætoriū (Beda teste) est sedes, vel domus in qua prætores, vel præfecti sedebant ad decernendas populi controuersias: *Congregauerunt ad eum uniuersam cohortem*, id est, totum exercitum Pilati cōuocant isti 4. tortores, vt ab omnibus illudatur, vtque ad similitudinem regis, videatur multis militibus, & ministris stipari: Id enim totum factum est quia se regē Iudæorū dixerat. Tota autem ista cohors Pilati gentiles erant, maximo odio Iudæos persequentes ideoq; sæuissimè tractârunt Christum, tū quod Iudæus esset, tum quod legem Iudęorū docuisset. *Et exuentes eum* proprijs vestimentis, ad flagellandum eum (sicut satis patet si conferatur Ioannes cum Matthæo.) Ante oculos gentilium impudicorum nudatus est Christus, castitas virginea, & filius virginis dignatus est erubescere, vt impudiciam, atque impudentiam nostram auferret à nobis. *Chlamidem coccineam*, Ioannes & Marcus dicūt Christum indutum fuisse veste purpurea. Sunt quidam qui putant vestem istam fuisse purpuream, sed tali colore, qui accedit ad coccineum, inuenitur enim purpura rubra, cocco simillima. Alij putant fuisse coccineam, sed habuisse purpureos limbos. Hieronymus dicit Reges veteres limbos rubros, seu coccineos habere solitos, sic fortè vestis erat purpurea, sed limbos habens coccineos. Eratq; purpura, insignè Romanorum magistratuum. Chlamys vestis est militaris, breuis & arcta. *Circundederunt ei*, id est, circumposuerunt in signum dignitatis regiæ. *Et plectentes coronam de spinis*, loco diadematis regalis. Videntur istæ spinæ tales fuisse, quales communiter in Iudæa crescunt, nec videtur hæc corona facta per modum pilei, sed certi cuiusdam,

Matth. 20. Luc. 18. Marc. 10.

 siue

ſiue diadematis. *Et arundinem* tanquam ſceptrũ regale, *Genu flexo*, quaſi adorantes eum, quomodo reges adorari ſolent. *Illudebant ei, dicẽtes: aue rex Iudæorũ* percutientes eum arundine, vt ſpinæ altius infigerentur. Et, vt ait Ioannes, dabant ei alapas, dum eũ ſalutarent. Improperantes ei crimen impoſitum, quod ſe regem Iudæorum diceret. Sed neſcientes magna nobis ſacramenta tribuerunt. In chlamyde enim coccinea cruenta gentilium opera ſuſtentat.
Geneſ.3. In ſpinea corona maledictum illud antiquum: Spinas, & tribulos pariet tibi terra, ſoluit. Quod ſpiritaliter intellectũ ſignificat Chriſtum ſuſtuliſſe ſpinas peccatorũ, quibus cor noſtrũ erat oppreſſum. Spinę (teſtibus Math. & Luc.) ſunt peccata, ex curis huius
Matth.13. vitæ prouenientia. Dũ ſpinis coronatus fuit Chri-
Luc.8. ſtus impleta eſt figura de ariete, qui capite hærebat, in veprib' dũ iã immolãdus eſſet. In huius coronę
Geneſ.22 repręſentationẽ & dominicæ paſsionis memoriã hodie adhuc in vertice capitis coronã geſtant ſacerdotes vt ex quadã Cleophrydi abbatis epiſtola quam citat Venerabil. Beda patet: quæ ſic habet: nõ
Lib.5. hiſt. eccle. gentis Anglorum cap. 22. ob id tantum in corona attondemur, quia Petrus ita attonſus eſt, ſed quia Petrus in memoriã dominicę paſsionis, ita attõſus eſt, idcirco & nos qui per eãdẽ paſsionẽ ſaluari deſideramus, ipſius paſsionis ſignũ cũ illo in verticę, ſumma videlicet corporis noſtri parte geſtamus. Sicut enim oĩs Eccleſia quæ per mortẽ ſui viuificatoris Eccleſia facta eſt, ſignũ S. crucis eius in frõte portare conſueuit, vt crebrò vexilli huius munimine à malignorũ ſpirituũ defendatur incurſibus, & crebra huius admonitione doceatur ſe quoq; carnẽ ſuã cũ vitijs, & cõcupiſcẽtijs crucifigere debere, hinc etiã oportet monachos vel gradũ clericatus habẽtes arctioribus pro dono continẽtię frenis aſtringi, formã quoq; coronę quã ipſe in paſsione ſua ſpineã portauit in capite, vt ſpi-
nas

nas ac tribulos peccatorũ nostrorũ tolleret, id est, exportaret,& auferret à nobis, suo quẽq; in capite per tonsurã præferre, vt se etiã irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prõpto animo sufferre designet, ac sic vitæ æternę coronã cõsequatur, quam repromisit Deus diligentibus se. Aliã huius spineæ coronæ significationẽ habet Cyril. per quã significari intelligit idololatrarũ multitudinẽ, quę per fidẽ in diadema Christi suscepta est, nã gentes instar sterilium spinarũ nullũ pietatis fructũ producebant, sed igni solũmodo erãt nutrimentũ. Chlamys coccinea, naturã nostrã significat, quã cũ sanguinaria esset,& cędis rea, suscepit tñ,& induẽs sanctificauit. Et quãquã Christus hic oĩa peccata nostra tulerit, tñ in chlamide coccinea videtur tulisse superfluũ nostrũ ornatũ, multãq; curiositatẽ,& ineptã vestiũ ostẽtationẽ, ac designasse, Theop. teste, Christianos qui sunt corpus Christi mysticũ, regalẽ cõuersatio nẽ agere debere, tãq; reges calcãtes super serpẽtes,& scorpiones. Cyril. per purpureã vestẽ intelligit significatũ regnũ totius mũdi, ꝙ per fidẽ Christ' accepturus erat. Per hoc ꝙ aurib' suscepit ignominias sanauit serpẽtis sibilũ, per aures Euę ingressum, vt ait Theo. In arũdine multiplex hoĩm vanitas ac ꝑcipuè in reb' trãsitorijs vana fiducia significatur. in adoratione deridẽtiũ, irreuerẽtia nostra erga diuinã maiest. In salutatiõe oratiões, quas solis labijs ei effundimus: per has videtur rex agnosci: cũ nihil minus agatur corde. Notãdũ quod Iudęi in domo Cayphę velauerĩt eũ,& deriserint vt prophetã: gẽtiles autem in domo Pilati non velauerint faciem eius, sed intuentes eum,& deridentes salutauerint vt regem: quia Christus apud solos Iudæos tunc agnoscebatur dũ venturus prophetabatur: at postquã venit & regnat, velatus est ab eis,& apud solos gentiles agnoscitur. Aptissimè etiam hic appella-

In ioan.

In mar.

tur rex Iudæorum, id est, rex omnium fideliũ, qui spiritu sunt Iudæi, quia in hac illusione nihil apparuit in eo nisi quod à subditis suis, super quos regnare voluit, accepit, nempe pœna peccati. Vnde manifestum euadit quod subditos suos quibus sic se assimulauit, multum dilexit, & meritò dum nihil nisi suum in eo conspiciunt, hilariter eum suscipiunt, & salutant: dicentes: Aue rex Iudæorum. *Exuerunt eum chlamydem, & induerunt eũ uestimentis eius*, vt agnosceretur ab omnibus iam condemnatus, & quia fortè id solum ad tortores pertinebat, quo reus exiens indutus erat, sicut & hodie moris est. ·An corona spinea rursum capiti Christi imposita sit, postquam proprijs vestimentis indutus esset, an non: Rursum, an capiti infixa remanserit dum indueretur non vsqueadeò certum est. Origenes putat quod Christus baiulãs crucem habuerit spineam coronam. Sanè si expendamus quod Dominus ad derisioné regiæ maiestatis patibuli sui quasi fascium regalium iussus est esse gestator (sicut

serm. 8. de pass. Dom. dicit Leo) probabile videtur eos etiam ad derisionem regis reliquisse spineam coronam in capite, vel rursum imposuisse. *Et duxerunt eũ ut crucifigeretur* A prætorio Pilati extra portas scilicet vsq; ad mõtem Caluariæ, insequente multa turba populi, & inimicis omnibus & mulieribus plangentibus eũ, & Cẽturione cũ militibus suis loco præsidis. Quã cõueniẽter Christus sit passus extra ciuitaté & circa

3. par. q. 46 art. 10 Hierusalem pulchrè tractat Thomas vbi tres

Heb. 13. assignat rationes ob quas extra portam passus sit: quibus quartam adijcere possumus vt scilicet ostenderet iam cessaturum cultum tabernaculi, & templi cæremonias. Hanc subindicat Apostolus: Habemus, inquit, altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt, id est, qui obseruãt cæremonias veteres, quasi per eas saluãdi

non

non sunt participes gratiæ & altaris nostri, quod est Christus. Ac deinde subdit eum passum extra portas. Hanc rationem assignat Leo. *Exeuntes autẽ inuenerunt hominem Cyrenæum.* Non est intelligendũ quod exeuntes domum Pilati, Lucas enim clarè ostendit in ipso itinere Simonem apprehensum: dum ducerent (inquit) illum &c. Cùm igitur exirent prætorium Pilati imposuerũt humeris Christi crucem (sicut habet Ioannes) quam solus portauit, donec Simonem inuenerunt, qui tunc eam solus portauit sequens Christum. Portat igitur Christus crucem, quia portat peccata nostra, mysticè designans quod corpus eius mysticum abnegaret seipsum, & tolleret crucẽ suã. Hic impleta est figura de Isaac, qui ligna portauit ad suã immolationẽ. August. Portat crucẽ suã Iesus, grande spectaculũ, sed si spectat impietas, grãde ludibriũ, si pietas grãde mysteriũ, si spectet impietas, grãde ignominię documentũ: si pietas, grãde fidei munimentũ. Rursum si spectet impietas, ridet regẽ pro virga regni lignũ sui portare supplicij, si pietas, videt regẽ baiulantẽ lignũ ad semetipsum figendũ, quod fixurus fuerat etiã in frõtibus regũ, in eo spernẽdus oculis impiorũ, in quo erãt gloriatura corda sanctorũ. Cyrenæus iste dicitur à Cyrene ciuitate, quæ est circa Aphrycã. *Nomine Simonem* Erat hic Simõ pater duorũ discipulorũ Christi, Alexãdri, & Rufi scilicet, & *hunc angariauerunt*, id est, vi coëgerunt, vt portaret crucem Christi ipsi enim portare noluerunt tanquam lignum maledictum, & ignominiosum. Simon quoq; ferre recusabat. Mysticè (inquit) Hieron.) crucem Iesu suscipiunt nationes, & peregrinus obediẽs portat ignominiã saluatoris. Vnde pulchrè dicitur esse Cyrenęus, siue alien⁹, nõ ex Iudęa natus: & apud aliũ Euãgelistã, venire dicitur de villa, gentiles enim siue pagani alieni erant à ciuitate

serm. 6. de pass. Dom.

Genes. 22
super Ioã.

In comm.

tate Dei, nec promissionis spem habebant sicut Iudæi: Notandum autem illum portare Christi crucem, qui de villa versus Hierusalem proficiscebatur, quia ille mysticè crucem Christi portat qui relictis terrenis, toto corde ad supernam Hierusalem suspirat. Idcirco autem milites hunc coëgerũt portare crucem, quia Christum fessum videbant, atq; oneri succumbere, & Iudæi cupiebant accelerari eius mortem. *Et uenerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus.* Singularis numerus pro plurali positus est, quasi dicat, Caluariarũ, id est, locus vbi iacebant multæ Caluariæ, eorũ videlicet qui damnati fuerant ad mortem, sicut iuxta vrbes frequentes in loco suppliciorum multa iacent capita damnatorum. Hieronymus hic refutat eorum errorem, qui dicunt caput Adæ ibi esse, & Christum ideo ibi mori voluisse. Quod autem Adam

cap. 14 ibi non sit sepultus, patet ex Iosue. Et sicuti Christus pro nobis sceleratorum supplicium subire voluit, ita etiam in loco reorum mori voluit, multo conuenientiùs quàm iuxta Adæ sepulchrum, vt ostenderetur crux Christi non solùm esse remediũ contra peccatum originale, sed contra omnia omnino peccata totius mundi: quare in loco fœtido crucifigitur, vt in naribus & odoratu pro nobis affligeretur. *Et dederunt ei uinum bibere cum felle mystum.* Marcus ponit myrrhatum vinum, quod Augustinus dupliciter conciliat cum verbis Matthæi, vt hoc loco (felle) pro (amaritudine) positũ sit, vel quia myrrha est amarissima, vel quia vtrumque sit poculo impositum & fel, & myrrha. Theophylactus diuersos obtulisse dicit, quosdam vinum fellitum,

18 Marc. ii. alios verò myrrhatum. Hieronymus, & Theophylactus legunt hic (acetum cum felle mixtum) quod cum Marco dupliciter conciliari potest: vel quia vtrumque porrectum est Christo, & acetum cum

felle

felle mixtum,& vinum myrrhatum : vel quia vinum erat acidum , vt meritò à Matthæo acetum fuerit appellatum.Quia verò præceptum erat à Salomone, vt tristibus daretur vinum exhilarans,& potus ad confortandum valens, Iudæi soliti erant dare talem potum vel sorbitiunculam ad mortem condemnatis(quod & hodie apud Christianos piè seruatur:)Hinc etiam verisimile est, simile quid datum Christo à pijs mulieribus, sed milites hoc ei subtraxerunt,ac quasi imitantes pietatem,dederũt Christo potum ex felle,myrrha,& acido vino cõfectum : addideruntque huic simulatæ pietati illusionem suam , vt videlicet Christus tanquam rex haberet etiam pincernam , sicut annotauit Theophylactus,& satis indicat Lucas dicens: milites illudentes obtulisse ei acetum in cruce pendenti. Putat etiam Theophylact. istud poculum mortiferũ, fuisse procuratum arte Iudæorum,vt si fortè eum liberare vellet populus à cruce, vel ipse facere miraculum, & effugere,nihilominus moreretur: sed qui morte crucis mori volebat , recusauit mortiferum poculum bibere, gustauit tamen. Videtur autem poculum istud confectum fuisse per modũ sorbitiunculæ , quæ sumi potest,vt cibus , vel vt potus , quia de hoc dicit Psalmista : Dederunt in escam meam fel , id est, dederunt mihi fel pro cibo,& videtur propriè dictum fel fuisse impositum. Tale poculum decebat proferri à vinea illa quæ plenè conuersa esset in amaritudinem, de qua Hieremias : Ego plantaui te vineam electam , omne semen verum,quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena? & rursum. Quid vltra facere debui vineæ meæ, & non feci? expectaui vt faceret vuas , & fecit labuscras . Gustauit autem istud Saluator , vt sanaret corruptos gustu arboris vetitæ, vt peccata gulæ extirparet à nobis.Nolunt autem

super Luc.

Psal. 68.

Ierem. 2.

Esa. 5.

autem bibere ad ostendendum se non imbibisse venenum antiqui serpentis, prauam scilicet concupiscentiam, sed tantummodo pœnam peccati, sine
sup. Psal. interna macula assumpsisse pro nobis. Pro sensu
68. mystico consulatur Augustinus. *Postquam autē crucifixerunt eum.* Euangelistæ non describunt modum crucifixionis Christi, sed tantùm crucifixum esse à Iudæis memorant, quia tunc temporis cùm hæc scriberent, notum omnibus erat supplicium crucifixionis, sicuti nunc nota est suffocatio suspendij. Affixerunt autem eum cruci clauis transfixis per manus & pedes, sicut clarum est historia resurrectionis à Ioanne descripta, & Luca, & ex hoc Psalmi: Foderunt manus meas, & pedes meos, quo etiā describitur quod Christus fuerit valde extensus in cruce: Dinumerauerūt (inquit) oīa ossa mea. Nō potuit melius (inquit Augu.) describi extensio Christi in ligno, quā dicēdo: Dinumerauerunt &c. Quàm autem acerba sit mors crucifixorum tra-
3. par. q. 46 ctat Tho. vbi simul habet, quod crux longè Chri-
art. 6. sto fuerit acerbior, quàm cæteris, quia scilicet corpus eius optimæ & tenerrimæ complexionis vt pote formatum per spiritum sanctū in vtero virginis, efficacissimè percepit omnia lædentia, tum etiam quòd seipsum consolatus nō sit nec mitigauit dolorem per redundantiam rationis ad partes inferiores, sed permisit vnicuiq; virium quod erat e[illegible]oprium. Maximus etiam dolor non sic stupe-
3. par. q. 46 fecit eum vt minùs perciperet dolorem minorem
art. 3 & 4. quod fit in alijs. Vnde non minus siti afflictus est,
Lib. de ago. quam si nihil aliud passus fuisset. Quam cōueniē-
christ. c. 11. ter etiam Christus sit passus & per crucem mor-
& 13. & de tuus ostendit idem, & B. Augustinus. Atq; præter
trin. cap. 9. eius rationes, possunt & istæ adijci, quia scilicet
& sequent. concupiscentia nostra clauis timoris Dei est trāsfi-
Psal. 118 genda: dicit enim Psalmographus. Confige timore

carnes

carnes meas &c. Vt autem hoc præstaret nobis Christus, clauis cōfigi voluit vnde dicit Apostol': vetus noster homo simul crucifixus est cū Christo, quia virtute crucis comprimitur concupiscentia nostra, sed semper cum labore, & ignominia opprimi, & contineri debet, donec plenè per mortē corporis extinguatur quicquid enim in hac vita agitur nihil est aliud quàm crucifixio carnis. De quo vide Augustinum de sacratissimo triduo crucifixi sepulti, & resuscitati. Rursum, maximè conuenit illi expansio manuum, quia amore nimio omnes attrahere volebat, iuxta id quod promiserat: Ego si exaltatus fuero à terra oīa trahā ad meipsum. Theophilactus: Extēdit manus, vt in vlnas suscipiat, & congreget filios Dei dispersos. Similiter exaltatio in altū & expansio manuum illi conuenit ad quem de toto mundo in profundo peccatorū demersi, pro sanitate clamaturi erant. Quæritur inter doctores quomodo Christus sit crucifixus nudatus, an velatus; Ambrosius dicit nudū Christum pependisse in cruce, qualis erat Adam in paradiso, & quales nos nascimur: sic Chrysostomus dicit quod denudauerunt Christum. Hinc satis consonat figura de Noē nudato, quam pulchrè tractat Augustinus: Consonat etiam figura de Dauide qui dū ex nimia deuotione nudaretur à Michol sterili, id est, synagoga Iudæorum irrisus est. Sic iussu Domini nobilis vir Esaias nudus incessit: Examinandum relinquitur, anne psalmista dum dicit: Ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me & statim subdit: diuiserunt sibi vestimenta mea &c. (quod omnes Euangelistæ studiose annotauerunt esse completum) respexerit ad impudicam Iudæorum inspectionem, qua pudibundam nuditatē castissimi corporis Domini viderunt. Quamuis autem Dominus non haberet carnem peccati, vel rebel-

Epist. 119. cap. 14.

Ioan. 12

In Lucam.

Hom. 88. in Matth.

Lib. 12. cōt. Faustum cap 23. & sequent.

2. Reg. 6

2. Reg. 20

rebellem ſpiritui·& pudor nuditatis inde ſit ortus quia caro rebellat ſpiritui , tamen æquè erubuit Chriſtus imo amplius quam quilibet noſtrum de ipſa ſimilitudine carnis peccati . Cum enim verecundia ſit timor vituperij, & inhonorationis, cūque quo ad hominum ignorantiū æſtimationem nihil differant malū apparens,& quod vere exiſtit, & malum falſe apparens , non minus oritur verecundia de ſpecie carnis peccati,quam de ipſa carne peccati Nudatus eſt igitur Chriſtus , & erubuit,vt nos ad eum ſtatum reduceret, in quo nudi nō erubeſcebamus, quia ante peccatum nihil rebellionis contra ſpiritum erat in carne humana. Erubuit itē vt ad ſalubrem pudorem reduceret , Nudatus eſt, vt ſpiritalem veſtem qua ſpoliauerant latrones, id eſt dæmones,Adam eiuſq; poſteros, ipſis reſtitueret:nudatus eſt deniq; , vt pudibunda peccata noſtra (quæ omnia aperta ſunt oculis Dei) ſua nuditate tegeret. *Diuiſerunt ueſtimenta eius*. Milites interiora eius veſtimenta in quatuor partes diuiſerunt, vt quiſq; partem vnā acciperet, *sortem mittentes*. ſuper tunicam ſuperiorem quiſnā videlicet eam haberet integram,quia non erat conſuta,ſed à Maria contexta quapropter diuidi commodè non poterat.Paſſus eſt Chriſtus ablationem rerum ſuarum vt in huiuſmodi iniurijs nobis patientiam tribueret,& cupiditatem alienorū à nobis auferret . Ex iſto loco conſtat non eſſe ſimpliciter neceſſarium, vnicam tantum veſtem habere:etenim vnam ſuperiorē quaſi talarem, & multas inferiores habuit Chriſtus . *Vt impleretur quod dictū eſt per prophetā*. Nō videtur eſſe iſtud de textu Matthæi ſed ex Ioāne trāſlatum eſſe in Matth. vnde in multis codicibus nō reperitur,nec Hieronymus nec Auguſtinus legūt.Cyrillus in Ioānē myſtice interpretatur,intel-
In Ioannē. ligēs per 4.partes veſtimētorū 4.partes orbis quæ ad ſa-

ad salutẽ reductæ indumẽtũ verbi .i. carnẽ Christi impartibiliter inter se partitæ sunt. Similiter Augustinus nisi quod per tunicã incõsutilẽ caritatẽ intelligat, quæ sorte obuenit: quia gratuito & misericorditer infunditur. *Et sedẽtes seruabãt eũ* diligentia militũ, & sacerdotũ nobis profecit, vt maior & apertior resurgẽtis virtus appareat. Sedentes igitur scilicet milites seruabant, id est, custodiebant eum, donec cõpleretur sentẽtia omnia Pilati, & morere tur Christus, ne aliquis eum de cruce deponeret. *Et imposuerunt* ipsi milites ex iussu Pilati *causam ipsius scriptam*, titulum seu asserculum in quo erat crimen ipsius scriptum, propter quod fuit crucifixus. *Hic est Iesus rex Iudæorum.* Iste est crucifixus, quia ipse est rex Iudęorum. Scripsit Pilatus titulum hunc vt sciretur quare crucifixus esset, neue putaretur crucifixus tanquam latronum socius, vel princeps sicut cupiebãt hoc credi Iudæi impetrantes à Pilato, vt cum Christo crucifigerẽtur duo latrones. Quamuis ergo Pilatus in gratiam eorum permiserit Christum suspendi in medio duorum latronum, voluit tamen quodammodo honorẽ Christi defendere per hunc titulum. Rursum scripsit illum in derisionem Iudęorum sicut ante per risum vocauit eum regem Iudæorum, vt quasi per iocũ diceretur à Romanis, Iudæi regẽ suum crucifixerunt, nunc igitur Romanis parebunt, quia non vltra iactabunt regem illum ex sua stirpe venturum. Narrat Ioannes, quomodo acri turbati inuidia ipsi pontifices dixerĩt Pilato: Noli scribere: Rex sum Iudæorũ, sed quia ipse dixit rex sum Iudæorum, quasi videlicet verbũ Christi arrogãs mẽdaciũ fuisset. Hic aduerte quod põtifices reuera metuerĩt ne Christus crederetur rex Iudæorũ, quia etsi malitia excœcauerat eos vt eũ occiderẽt, tot tñ habebãt argumẽta quibus ipse esse cõprobabatur, vt penitus

non

non possent remorsum conscientiæ extinguere, quamuis vehementer omnem scrupulum, extinctum cuperent: alioqui fatuum erat metuere ne in veritate crederetur aliquis crucifixus esse rex Iudæorum. Literis autem trium linguarum hunc titulum conscripsit Pilatus, vt non solùm populus Iudaicus, sed etiam nobiles extranei qui veniebât in Hierusalem, Iudæos regem suum crucifixisse agnoscerent. Hæ tres linguæ præcipuæ erant tunc temporis, & nullus erat aliquo loco, seu ęstimatione habitus, qui non aliquam ex istis intelligeret. Hebræa eminebat propter populum Iudaicū: Gręca propter Philosophos & sapientes gentilium: Latina propter Romanos. Hieronymus. Non possum (inquit) dignè admirari pro rei magnitudine quod redemptis precio falsis testibus, & ad seditionem, clamoremq; infœlici populo concitato nullam aliam inuenerunt causam eius interfectionis, nisi quod rex Iudæorum esset. Deo igitur dirigenti tribuendus est iste titulus, qui omnibus notum esse vult quod Christus per crucem suam rex est omnium spiritualium Iudæorum, nempe à vitijs circuncisorum & confitentium Christum esse saluatorem suum: Iudæus enim interpretatur confitēs. Vnde bene dicitur crucifixus, quia est rex Iudæorum, hæc est enim vnica causa cur sit crucifixus, quia regnare voluit, & dominari credentibus, spoliato tyranno diabolo, quod sine cruce fieri nō poterat. Diuinitus autem (inquit Cyrillus) factum est vt trium linguarum (quæ præcipuæ sunt) literis titulus scriptus fuerit, omnium enim gentium regnum Christo attributum esse significauit: ipsi enim (inquit Propheta) honor, & regnum datū est,
Dan 7. vt omnes tribus, & linguæ ipsi seruient. Et Paulus: Vt omnis lingua confiteatur &c. Titulus igitur iste per præcipuas linguas omnium linguarum

Iesum futurum principem prædicabat,& impietatis crimine Iudæos arguebat, quia Dominum regemq; suum crucifixissent. A Pilato etiam positus fuit, non à Iudæis, nec ad Iudæorum petitionem est immutatus, ad designandum regnum Christi esse stabile,& super firmam columnam consistere, quodq; gẽtiles laudaturi essent Christum regem etiam inuidentibus Iudæis. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones*. Quare cum Christo crucifixi sint duo latrones,& quàm conuenienter hoc factum sit, habet Thomas, vt videlicet hac ratione Christus pręcipuè potentiam crucis suæ ostenderet in conuersione & saluatione vnius scelerati,& vt in maximam gloriam verteret, quod inimici in summam eius ignominiam pārauerant: non enim minus fuit latronem in cruce conuertere, atque in paradysum ducere, quàm petras concutere & solem obtenebrare. Aduerte quàm grauis pœna iustissimo fuerit cum sceleratissimis reputari, & sceleratissimorum,& latronum princeps haberi. *Prætereuntes*. Abiectissimi quiq; ex plebe, qui vel à ciuitate ad pagos, vel contra, à pagis ad vrbem Hierosolymitanam diuertebant crucem circuibant post crucifixionem. *Blasphemabant eum*, id est, ridebant, *mouentes capita sua*, præ gaudio scilicet & in signum subsannationis *dicentes: Vah*, deridẽtis est cum gaudio, *qui destruis templum Dei*, Nunc apparet potestas tua quam arrogaueras. *Salua temetipsum*. Videntur hoc dicere ad detrahendum prioribus signis, & operibus spiritus sancti, quasi dicat. Tu voluisti destruere tẽplum Dei,& in triduo reædificare illud, tu etiam alios sanasti, vt ostenderes te filium Dei, si ita esset, neque virtute diaboli alios sanasses, nũc teipsum saluares. *Si filius Dei es*, vt dixisti, *descende de cruce*. In istis blasphemijs Christus supra modum afflictus fuit, vnde Psalmista frequẽter harum bla-

3. Parte quæ 45. art. 1.

Psal. 21.
Psal. 68.

ſphemiarũ meminit, vt: Omnes videntes me, deriſerunt me. Rurſum: Quẽ tu percuſsiſti perſequuti ſunt, & ſuper dolorem meum addiderunt. i. nec iam vulnerato, & morienti pepercerunt, ſed cùm nihil amplius manu in me poſſent, lingua ſua ipſi me perſequuti ſunt. *Similiter & princeps ſacerdotũ*, quorum erat aliorum blaſphemias compeſcere & prohibere ne afflictioni adderetur afflictio. *Alios ſaluos fecit ſeipſum non poteſt ſaluum facere*. Hierony. nolentes

In coment. confitentur quod alios ſaluos fecerit. Itaque vos ô ſcribæ veſtra condemnat ſententia, qui enim alios ſaluos fecit, vtiq; ſeipſum ſi vellet ſaluare poterat. *Si rex Iſrael eſt*, id eſt, populo Iſraëlico promiſſus, *Deſcendat nunc de cruce*. Athanaſ. Dominus verè ſaluator non ſaluando ſeipſum, ſed creaturã liberãdo volebat agnoſci ſaluator, neq; enim medicus quia ſibi medetur medicus eſſe cognoſcitur, niſi erga lãguidos artẽ probet: ſic Dñs ſaluator exiſtẽs nõ habebat opus ſalute: neq; deſcẽdẽdo de cruce cognoſci volebat ſaluator, ſed manendo: multo nãq; maiorẽ hoĩbus ſalutẽ ſaluatoris mors affert, quã deſcẽſus eius de cruce. Putat Hieron. hoc loco dęmones exegiſſe, vt Chriſtus de cruce deſcẽderet, quia videlicet intellexerũt ex tũc fractas eſſe vires ſuas.

Serm. 11. de paſs. Dom. Sed ſicut dicit Leo: Si crudelis & ſuperb⁹ inimicus cõſiliũ miſericordiæ Dei noſſe potuiſſet, Iudęorũ aĩos mãſuetudine potius tẽperare, q̃ iniuſtis odijs ſtuduiſſet accẽdere. Deinde ſi hac ratione hęc diabolus Scribis inſpiraſſet, ſer. ò nõ illudẽdo dixiſſet:

Serm. 3. de paſs. Domi. Deſcende &c. *Et credimus ei*. Leo: de quo (ait) erroris fonte Iudęi, de quo inuidię lacu taliũ blaſphemiarũ venena potaſtis? quis vobis magiſter tradidit? quæ doctrina perſuaſit quod illũ regẽ Iſraël, illũ Dei filium credere deberetis qui ſe crucifigi non fineret, aut à cõfixione clauorũ liberũ excuteret? non hoc vobis legis myſteriũ, nõ paſchalis obſeruãtię ſacramenta

mēta,nec vnquā vlla prophetarū ora cecinerūt,sed illud verè abūdeq; legiſtis, quod ad deteſtabilem veſtri ſceleris impietatē,& ad volūtariā Dñi pertinet paſsionē:ipſe enim per Eſaiā loquitur:Dorſum meū ad flagella dedi, maxillas meas ad palmas,faciē meā nō auerti à cōfuſione ſputorū. *Confidit in eo,* Iſa.53. Pſal.21.
deridēdo hoc dicūt:Et hāc ſubſannationē ſingulariter,& ad verbū prędixit Dauid tanquā maximā, & intolerabilē prę cæteris.Cū enim homo ab omnibus deſertus appropinquat morti,& vndiq; afflictionibus torquetur, nemoq; ei ſubuenire poteſt, hoc adhuc habet reliquū,vt ſpē ſuā ad omnipotētē Dei miſericordiā erigat, & in illo refugiū ſuū ponat,vt exēplo Ioſaphat regis patet.Hoc refugium 2. Paral.20
iſtis quantū valuerūt à Chriſto abſtulerūt,nolentes eum in Domino Deo confidere, q.d.fruſtra in Dño confidis qui nullo pacto tibi ſubuenire vult. Stultiſsimè hoc tibi perſuades quod aliquid auxilij tibi à Domino eſſe poſſet;quātū velis ſpera,ſpe tua fruſtraberis. *Liberet nunc eū ſi uult.* Pſalmus prædict⁹ habet (Quia vult eū)hoc modo,Sperauit in domino eripiat eum, ſaluum faciat eum quoniā vult eum,id eſt,quia diligit eū,q.d.ſtultè perſuadet ſibi quod Dominus curā eius gerat:dixit ſe præ omnibus à Domino Deo maximè diligi,oſtendat quod Dominus eum liberet. Aduerte hic more carnaliū hominum eos loquutos, qui omnes eos Deo non placere exiſtimant,neq; ab eo diligi, qui temporalibus malis affliguntur. Paſſus eſt iſtud opprobriū Chriſtus, vt in extremo vitæ Conſtituti, ſpem noſtram in Domino figere poſſemus, & nullo pacto à tā tuto refugio recedere. Paſſus eſt carnalium iſtorum illuſiones,vt ab ore Chriſtianorum omnia improperia, & omnē maledictionem auferret, doceretq; nos neminē ob terrena bona laudare debere,neque ob terrnas calamitates contēnere.

Improperant ei omnes quod tumore superbię, sibi diuinitatem, regiamq; maiestatem arrogauerit, quia cum genus humanum per superbiam vitiatum sit, atq; hoc ipsum sit maximum generis humani vulnus, Christus maximè pati voluit, vt superbiam in nobis contereret: sic meritò non cõmuni aliqua arrogantia, sed omnium sceleratissima, superbus ac arrogans reputari debuit, quia diuinitatem sibi vsurpauit. *Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperant ei.* Si rex Israel es descende de cruce, sicut satis patet ex Luca. Istud est intolerabile malum vt qui cum eo in ijsdem miserijs est ipsi insultet, quem propria pœna meritò totum deberet occupare, aut saltem ad compassionem, non autem ad derisionem prouocare. Augustinus, & Hieronymus putant posuisse Matthæum pluralem numerum, pro singulari: quæ loquutio frequens est in scripturis. Hieronymus dat etiam secundam rationem, vt Lucam cum Matthæo cõciliet, & dicit quod primo vterq; blasphemauerit, postea alter, conspecta Christi patientia, & mirabilibus quæ fiebant, confessus sit eum Dominum, & regiam dignitatem eius, sociumq; suũ redarguerit. Vtraq; expositio probatur.

In comm.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, usque ad horam nonam Causam tenebrarum assignat Lucas, quia sol obscuratus est non regulari Eclypsi, qualis solet circa nouilunium contingere nam tunc Luna erat plena, celebrabatur enim paschalis solennitas in plenilunio, & tunc naturaliter non potest esse Eclypsis solis, neque per tres horas naturaliter durare potest, vt tradunt Physici: nec potest etiam vniuersalis esse Eclypsis solis, propterea quod luna multò minor sit, quàm tota terra. Hanc autem Eclypsim fuisse vniuersalem satis patet ex verbis ipsius Matthæi, qui dicit tenebras factas

ctas esse super vniuersam terram: quæ verba non videntur satis bene intelligi de tota terra Iudææ, cùm etiam gentiles longè à Iudæa positi hanc Eclypsim animaduerterunt. Dionysius enim Areopagita(de quo in Actis)in AEgypto se eam aduertisse testatur, & Phlegō Olympiadum supputator (sicut de eo in Chronicis ait Eusebius)Olympiade (inquit) ducentesima secunda, magna & excellens inter omnes quę acciderant antea, defectio solis facta est,& dies hora sexta,ita in tenebrosam noctem versus est,vt stellæ in cœlo visæ sint, terræq; motus in Bithinia, & Nicænæ vrbis multas ædes subuerterit. Lucianus quoque presbyter dicit in annalibus gentilium hanc Eclypsim annotatam esse. Nec mirum si Eclypsis ista fuit vniuersalis, cùm Dominus Deus ad mandatum Iosue, fecerit lunā & solem quiescere,vt communi cursu non procederent,& solem contra consuetum cursum ad petitionem Ezechiæ retrocedere, ita vt non tantùm in Iudæa, sed etiam à Babylonijs animaduerteretur. Quid ergo mirum si totus orbis caruerit lumine solis, quādo creator solis talia patiebatur. Ex hoc aūt quod Eclypsis ista vniruersalis fuerit, cōsequitur quartum miraculum,id est, dictam Eclysim,non esse factam per solius lunæ interpositionē inter solem,& aspectum nostrum, seu terram, sed etiam per radiorum solarium retractionem. Sicut sentit Hieronymus in Commentarijs huius loci. Sol(inquit)retraxit radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impij blasphemantes sua luce fruerentur. Luna enim,quia corpus minus est quam terra,non potest interpositione sua inter solem & terram efficere vniuersalē Eclypsim solis. Dicit quidem Dionysius Areopagita, lunam fuisse interpositam inter terrā,& solem,quia videlicet etiam luna quodammodo cupiuit creatori suo cō-

Act.17.

Lib.9.eccl. hist.cap.7.

Cap.10.

pati, & omne lumen auferre mundo (ſicut etiam elementa innaturale aliquid paſſa ſunt, præſtititque quod potuit, ſed ipſa ſola obſcurare totum ſolem, totique mundo ſubtrahere non valuit.

Miracula quæ facta ſunt ex parte Lunæ recenſet Thomas ex Dionyſio, tertia parte quæſtione 44. articulo ſecundo, & Franciſcus Titelmannus libro ſeptimo circa finem. Hoc miraculo oſtendit ſe Chriſtus Dominum eſſe ſolis, & cœlorum, ſeque potuiſſe ſolo nutu ſuo totum mundum perdere, lumine ei ſubtracto; miracula enim quæ circa corpora inferiora fecit quamuis eius diuinitatem oſtenderent, ab ipſis tamen alijs cauſis tribuebantur, mutare verò curſum cœleſtium corporum non ita facile alteri tribui poteſt, præterquam ſoli Deo. Debuit autem hæc mutatio fieri, Domino maximè afflicto, quia tunc præcipuè oportuit diuinitatem Chriſti per miracula oſtendi, quando in eo maximè apparebat infirmitas.

Vnde etiam in natiuitate, quando infantulus fuit, ſtella inſignis apparuit in cœlo: In paſsione verò quando incomparabilis fuit infirmitas, & miſeria, non circa ſtellam miraculum contigit, ſed circa clariſsimum mundi iubar fieri debuit, denique iſtud eſt ſignum de cœlo quod dandum Iudæis non fuit, donec Chriſtus ſicut Ionas, abſorberetur in aquis tribulationum. Deſignabatur autem hic ſol iuſtitiæ Chriſtus, tenebras afflictonum noſtrarum ſubire, quæ tribus horis durauerunt; quia Chriſtus horis tribus in cruce pependit, tribuſque diebus in morte, & ſepulchro, permanſit.

Mortuo autem eo redijt Lux, quia labor omnis tranſierat. Videntur iſtæ tenebræ tales fuiſſe quales

les in crepuſculo matutino, vel veſpertino ſunt, quando apparent ſtellæ. Et omnino videntur Iudæi ad huc blaſphemaſſe Chriſtum in iſtis tenebris, nihil enim mouebat eos miraculum, tam grāde, & circa horam nonam adhuc eum deriſiſſe: dicentes: Videamus an veniat Helias &c. Nihil enim mouēt miracula omnia, niſi Dominus ſingulari gratia ſpiritus ſui cor noſtrū illuſtrauerit. Porrò hora ſexta diei vocatur tempus illud quod eſt inter duodecimam & primam. Vnde Chriſtus pependit in cruce ab hora duodecima vſque ad tertiam viuus. Nox quoque apud Hebræos in quatuor vigilias diuidebatur, quæ vocantur apud Marcum (veſpere, media nox, gallicantus, & mane) ita etiam dies in quatuor horas ſiue ſtationes apud Iudæos diuidebatur: quarum quælibet complectebatur tres horas vſuales, ſicut aduertere poſſumus ex parabola patrisfamilias operarios conducentis in vineam ſuam. Matth. 20

Prima ſtatio vocabatur mane ſeu primum mane, ſecunda ſtatio tertia hora, eo quod prima hora ſecundæ ſtationis vocabatur tertia, propterea quod tertia hora vſualis ipſius diei erat tranſacta tertia pars diei ſimili ratione vocabatur ſexta quarta pars, nona. Ex quibus patet quo ſenſu dicat Marcus Chriſtum crucifixum hora tertia, quia videlicet Chriſtus crucifixus eſt in fine ſecundæ ſtationis diei, quæ vocatur hora tertia, ita vt milites iam crucifixionem Chriſti omnino compleuiſſent, & Chriſtus iam penderet in cruce, quādo ſonuit ſexta hora diei, ſiue quando erat duodecima hora. Sic etiam quod dicit Ioannes fuiſſe horam quaſi ſextam paraſceues, quando Pilatus ſedit pro tribunali poteſt hoc ſenſu dictum intelligi, quia maior pars ſecundæ ſtationis diei iam tranſierat, & inſtabat tertia diei pars, ſeu

ſtatio: quanquam adhuc fortè vna hora vſualis ſupereſſet de ſecũda, vt circa vndecimam ſederit pro tribunali. Quod ſi cui id minimè placeat in Ioanne, quia non ſolet Ioannes tempus per ſpatiũ triũ horarum, ſed longè exactius per ſpatium vnius horæ deſcribere, ſicut cap.1.(hora erat quaſi decima) & cap.4. (heri hora quaſi ſeptima) reliquit eum febris &c. examinet an hora ſexta paraſceues apud Ioannem ponatur, non pro illa hora quæ agitur dũ completa eſt, & ſonuit hora ſexta, ſed pro illa hora, quæ agitur antequam detur ſignum tranſactæ ſextæ: quæ reuera eſt ſexta hora diei, & apud nos eſt illa quæ agitur inter vndecimam & duodecimam. Si igitur ad mediũ vndecimę Pilatus ſediſſet pro tribunali, rectè diceretur ſediſſe hora quaſi ſexta. De myſterio iſtarum horarum tractat Hieronymus, & Cyprian. *Et circa horam nonam clamauit Iesus.* Antequam iſtud diceret quod ſequitur, orauit pro crucifigentibus ſe, latroni paradyſum promiſit, Ioanni matrem commendauit: vt ex Ioanne & Luca patet. Atque omnino cõuenienti ordine ſic egit, quia pro alijs magis quã pro ſe fuit ſollicitus. *Voce magna*, vt ſe illum eſſe oſtenderet propter quem ſol obſcuratus eſſet. *Eli Eli Lamaſabachthani, hoc eſt, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* O Deus quem præ omnibus omnino hominib' ſingulariter ſemper colui, & colo, quam ob cauſam non ſubuenis mihi in omnibus afflictionibus meis, & improperijs? quare à morte me non liberas? quare ſine omni conſolatione me derelinquis? aut cur ſaltem illam mihi non impendis conſolationem, quam ſoles ſanctis tuis in tribulatione conſtitutis impendere? Non iſtud profert ex impatientia, vel murmure contra Deum. Neque etiam putandum eſt vlla ratione diuinitatẽ fuiſſe à Chriſto ſeparatam, vel ab anima aut à corpore eius, cùm mortuus eſſet,

Hierony. in ca. 6. Dani. Cyp. in fine tract. de orat. Domi.

ſet,quia nõ fuit ibi alia perſona, vel hypoſtaſis quã increata,& æterna, nẽpe filius Dei: Sed hæc Chriſti quærimonia prolata eſt ex parte ſenſitiuæ,& naturalis voluntatis Chriſti, quæ conſequitur illud iudicium, quo non attenditur cauſa rei, ſed tantummodo conſideratur res ſecundum ſeipſam:& correſpondet illi petitioni quam in initio paſsionis ſuæ protulit: Tranſeat à me calix iſte, vt propter quas cauſas illam petitionem fudit in principio paſsionis,propter eaſdem cauſas ex ſimili affectu conqueratur ſe non adiutum in fine paſsionis, Derelictus eſt igitur Chriſtus ſine auxilio in corpore,& ſine cõſolatione in aĩa, vt nos digni deſeri nõ derelinquamur à Deo. Interrogat aũt cauſam magna voce, vt omnibus notum faceret quod in ſe cauſa non erat cur ſic affligeretur, & à Deo derelinqueretur,ſed in nobis voluit derelinqui(vt ait Leo)& cõqueri de derelictione magna voce,vt oſtendat deinceps tempore noui teſtamenti,nõ expectanda à Deo bona terrena,& viſibilia, ſed cœleſtia: & hæc caduca contemnenda eſſe, nec in huiuſmodi noſtris deſiderijs debere exaudiri, ſicut etiam pulchrè docet D.Auguſtinus:atq; in omnibus notum faceret omnia mala, quæ iam contigerant ſibi,lõgè ante prædicta eſſe à propheta: Vnde Ioannes dicit Chriſtum dixiſſe, Sitio, vt conſummaretur ſcriptura:Oſtenditq́ hoc clamore ſuo de nullo alio intelligendum eſſe Pſalmum 21.præterquam de ſeipſo.Quando verò Auguſtinus dicit Chriſtum hæc dicere in perſona Eccleſiæ, Deus, Deus meus &c. non ſic intelligendus eſt quaſi neget competere perſonæ Chriſti, ſed quia Chriſtus non propter ſe iſta paſſus eſt,ſed propter nos & ne putaremus nos derelictos à Deo, quando temporaliter affligimur. Damaſcenus intelligit(cur dereliquiſti me?)id eſt,cur habes me odio, & contemnis me:

ser.17.de paſs. Dom. cap.16.

Epiſt.120. c.5.4.& 6.

Pſal.21. Pſal. 68.

Lib.3.de orth. fide c, cap.24. & 25.

nis me: nō quasi Deus vnquā odio habuerit Christū, sed quia Christus gerebat personā peccatorum quos Deus odio habet: sicut ipse dicitur pro nobis factus peccator, & in Psalm. allegato vocat peccata sua. *Quidā autē illic stantes*, nō oēs (inquit Hiero.) sed

In cōment. quidā (quos arbitror milites fuisse Romanos) non intelligētes Hebraici sermonis proprietatē, sed ex eo quod dixit heli, heli, putāt Heliā ab eo inuocatū. Sin autē Iudęos qui hoc dixerūt, intelligere voluerimus, hoc more sibi solito fecerūt, vt Dn̄m imbecillitatis arguant Heliæ auxiliū deprecetur. Cęterū si milites hoc dixerūt, hoc sensu dixisse intelligendi sunt: Ideo Heliam inuocat quia se liberandi potestatem non habet: vel deridendo hoc pacto: frustrà iste Eliam vocat, quia ab eo non iuuabitur. *Et continuo currens unus ex eis &c.* Hoc Ioannes dicit factum ad verbum Christi, Sitio: quod Christus statim subiunxit seruans in verbis suis ordinem Psalmorum in quibus istud prædictum erat. *Impleuit aceto.* Hieronymus sentire videtur hac ratione milites porrexisse acetum Iesu, vt acceleraretur mors eius, & sic liberarentur à custodiendo Iesu: potus enim aceti accelerat mortem. *Cæteri uero dicebant sine uideamus an ueniat Helias &c.* Derisorie dictum puta, quasi dicat: Expecta donec veniat Helias, & ipsum liberet. Istud à porrigente acetum & ab alijs dictū est, Marcus enim habet quod qui porrexit acetum dixerit alijs: Sinite, videamus an veniat Helias. Hic insinuat nobis Euangelista qua occasione istud dictum sit, Eliam vocat iste: atque ideo posuit verba Hebraica Heli, Heli, nam si tantùm dixisset semel, Deus meus, non aduerteremus similitudinem duarum vocū. Heli, & Helias atque ita nesciremus qua occasione dictū istud esset, Eliā vocat iste. *Iesus autem iterum clamans uoce magna emisit spiritū*, scilicet postquā accepisset acetū, & dixisset:

Con-

Consummatū est. Hanc magnā vocē explicat Luc. his verbis: Pater in manus tuas cōmendo spiritū meū. Ideo autē in morte emisit hanc magnā vocē, vt ostenderet se voluntariè aīam suā ponere, quæ nec violentia clauorū, nec verberū à corpore separata fuerat, imò vsq; ad mortem in suo vigore vitā cōseruauit temporalē. Vide Aug. dicitur etiam Emisit spiritū, vt significetur hic diuinæ potestatis non defuisse cōsortiū: sicut enim dixerat, nemo potest tollere animā meā, sed ego pono illā, ita quandò voluit, emisit spiritū. De hac re vide D. Thom. Mortuus est Christus vesperè Paschę hora nona tanquam verus agnus paschalis: eodē enim tēpore quo in cruce moriebatur occidebāt Iudęi agnum post occasum solis comedendū. mortuus est vespere, quia ad vesperā peccauerat Adā, mortuus est recedēte sole, & eo oriēte resurrexit, quia mortu' est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationē nostrā. *Et ecce* in Christi morte. *Velū tēpli scissū est in duas partes, a sūmo vsq; deorsū.* Scissum est velū tēpli, vt manifestaretur, ꝙ is q moriebatur esset ille qui in tēplo inuocabatur & colebatur, quiq; in sancto sanctorū adorabatur. In tēplo Hierosoly. 2. erāt vela: vnū pēdebat ante tabernaculū primū, ꝙ Exo. 36. & 40. tentoriū nūcupatur: Alterū pēdebat ante sancta sanctorū, eratq; priore illo preciosius, quod simpliciter velū dicebatur: de quo, teste Cyril. sup. Ioan. hic loquitur Matth. Dicitq; inter cætera Cyril. tēplū Iudęorū cōsuetudine qua audita Dei blasphemia vestes suas scindere solent quodāmodo vsum fuisse cū expirasset Christus, ad Iudęorū impietatē declarādā, & lugēdam cæcitatem, quēadmodū sol, terra, petrę cū Dño suo luxerunt. Velū aūt istud dicit Ap. Paul. carnē Christi significasse, & S. sanctorū cœlū ipsum: sic enī epi. ad Heb. ait: habētes itaq; fratres fiduciā in introitu sanctorū in san-

Lib. 4. de trin. c. 13.

3. parte qu. 50. art. 1. & sequentib.

Rom. 4.

Heb. 10.

in sanguine Christi, quã initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id est, carnem suã &c. Significabat igitur scisio veli Christi carnem quodammodo ab anima ruptam fuisse, vt sic ipse per mortẽ suam tanquam primus sacerdos & summus cœlum introiret ad interpellandum pro nobis, vt postea nos per eius carnem pro nobis mortuam tanquam per scissum velum introiremus in cœlum tanquam in sancta sanctorum. Sic Leo ser. 17. de passione Domini. Velum istud etiam significabat sanctorum viam nondum esse apertam, sed clausam, hoc est, occultam adhuc esse gratiã Christi, & obscuris figuris salutis mysteria velari, nondumq; generis humani redemptionem toti mundo effulsisse, scisio verò gratiæ illius reuelationẽ mysteriorumq; apertionem. Sic Hieronymus in Commentarijs, Cyrillus in Ioannem, & Augustinus de spiritu & litera cap. 15. Significabatur insuper per diuisionem & veli destructionem, vniuersas legis cæremonias esse auferandas, vt liquet ex

ser. n. 17. prædicto serm. Leonis: in quo sic ait. A lege ad Euangelium, à synagoga ad Ecclesiam, à multis sacrificijs ad vnam hostiam quæ est Deus, euidens est facta translatio, figuras veritas auferebat, & superflui erant nuncij sub præsentia nunciati. Hilarius etiam ad Iudæos veli significationem refert, & ait: Ideo velum scinditur, quia exinde populus diuisus est in partes, & veli honor cum custodia angeli protegentis aufertur. Hieronymus admo-

in comment. net in lectione Hebraica legi superliminare, id est, frontispitium templi quod infinitæ erat magnitudinis, in morte Domini fractum, atque diuisum fuisse. *Et terra mota est*, non solum in Iudæa, sed & alibi, vt testatur Phlegon. *Et petræ scissæ sunt*, id est, ipsa rupes Golgoltana, vt ait Lucian. *Et monumenta aperta sunt* ex terræmotu. Significatur secundum literam

teram quod qui mortuus erat, Dominus esset terræ, petrarum, templi, solis, viuorum, & mortuorū domitorq́ꝫ inferni: cui hæc omnia quadam ratione compatiebantur. Hieronymus ait mysticè terræmotum & reliqua, credentium typum gessisse, qui relictis pristinis errorum vitijs cordisque duritie emollita ad Deum confugerunt, & creatorem receperunt. *Et multa corpora sanctorum*, id est, bonorum *qui dormierant*, id est, pridem mortui fuerant, *surrexerunt* ad vitam redierunt. *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, uenerunt in sanctā ciuitatem*, id est Hierusalem. Huius partis sensus duplex esse potest. Primo namque hoc modo intelligere possumus quod sancti isti mortui reuixerint, & de sepulchris suis exierint post Christi resurrectionem, quanquam prius ipsorum sepulchra patuerint: atque ita (post resurrectionem) coniungetur cum (Exeuntes:) Secundò possumus coniungere istud, post resurrectionem, cum verbo, venerūt & sensus erit iste: Surrexerunt quidem in morte Christi, sed non venerunt in Hierusalem sese manifestaturi nisi post resurrectionem eius. *Et apparuerunt multis* non omnibus, inquit Hieronymus, sed qui cernere merebantur. Surrexerunt autem isti mortui, & multis apparuerunt, vt ostenderetur Christus esse mortis Dominus, morte sua mortuos viuificans. Hieronymus arbitratur istos resurrexisse ad vitam immortalem. Quem sequuntur Remigius, Thomas in 4. Sententiarum & Caietanus. Augustinus verò epistola. 99. quem sequūtur Theophylactus & Thomas in 3. parte quæstio. 53. art. 3. putat quod illis non sit perfecta resurrectio præstita, sed quod ita resurrexerint quemadmodum resurrexit Lazarus postea moriturus. Quod probabilius dictum videtur. *Centurio autē & qui cum eo erant, custodientes Iesum, uiso terræmotu, & hic*

In coment.

In coment.

quæ fiebant timuerunt ualde. Agnoſcentes in Chriſtum magnum commiſſum eſſe ſcelus: *dicentes: uere filius Dei erat iſte*, id eſt (Luca teſte) verus & ſanctus. Hic
Ioan.11. impletur ſcriptura: Si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipſum: traxit enim Centurionē & ſocios eius ad timorem, & agnitionem iuſtitiæ ſuæ, quanquam ad eam cognitionem non peruenerint vt eum Dei filium naturalem agnoſcerēt: traxit præterea latronē, eoſq; qui pectora ſua feriebāt. Centurio cū ſocijs ſuis typum gentiliū refert, qui Chriſtū paſſum & crucifixū à Iudæis libera voce vnicū Dei filiū confitentur. *Erant autem ibi mulieres multæ a longe quæ ſequutæ erant Ieſum a Galilæa miniſtrantes ei.* De facultatibus ſuis neceſſaria vitę. de quibus
cap.8. Lucas habet quod à Chriſto fuerūt curatæ, vbi nominat Ioannam vxorē Chuſæ procuratoris Herodis & Suſannā Iudaicæ, inquit Hieron. nam cōſuetudinis fuit nec ducebatur in culpa more gētis antiquę, vt mulieres de ſua ſubſtantia victum atque veſtitū pręceptoribus miniſtrarent, hoc quia ſcandalū facere poterat in nationibus Paulus ſe abieciſſe memorat. *Inter quas Maria Magdalenæ* ſoror Marthæ, ac Lazari. *Et Maria Iacobi* minoris. *Et Ioſeph mater* quæ erat ſoror virginis matris Chriſti, quā Ioannes nominat Mariā Cleophę quoniā fuit Cleophæ filia. *Et mater filiorū Zebedæi.* Ioannis ſcilicet, & Iacobi. Ioannes legit, quod ſtabant iuxta crucem Chriſti, hic autē Euangeliſta refert quod erat à lōgè quos hoc modo cōciliat Augu. Stabant à longè (inquit) reſpectu turbæ cōprimentis, & propè, quia non ita remotè ſtabant quin poterāt verba Chriſti audire vel primo ſtabant propinquius, deinde paululum receſſerunt, & ſtabant remotius.

Cum autem ſero factum eſſet, id eſt, cùm iam adueniret veſpera, & ſol ferè occideret *uenit quidā homo* merito mortis Chriſti tractus, ſicut & Nicodemus, ad confi-

confitendum publicè quod prius tantum occultè audebat. *Diues*, non hoc dixit Euangelista, si voluerit iactare Christum quod diuitem discipulum ac nobilem habuisset, sed vt ostẽderet eum potuisse facilè impetrare corpus Christi à Pilato, quòd diuitibus ac nobilibus rarò aliquid negetur. Videtur hic Ioseph fuisse de consilio Iudęorũ etiãsi in istud scel' nõ cõsenserit: quod patet ex Luc. *Ab Arimathæa* Ciuitas hæc in lib. Regũ vocatur Ramatha: *Qui & ipse discipulus*, scilicet occultus (vt ait Ioannes) propter metum Iudæorũ. *Erat Iesu. Hic accessit &c.* Marcus dicit audacter introiuit: magna enim erat audacia corpus omnibus magnatibus odiosum petere ad honorificam sepulturam ei exhibendam à præside, qui eum crucifixerat. Ex quo etiam patet quod non occultè, sed apertè ad Pilatum introiuerit quamuis Ambros. sic venit intelligi Ioannem, vt dicat ipsum Ioseph occultè rogasse Pilatum. 1. Reg. 1. & 7. Cap. 19.

Et petiit corpus Iesu, scilicet singulariter sibi donari alioqui eum fuisset proiectum cũ alijs corporibus reorum aut cum corporibus latronum sub cruce suffossum. *Tunc Pilatus*, scilicet quando à Centurione accepit mortuum esse Christum, quod ideo cognoscere voluit (quia crucifixi diu viuebant, nolebat autem ipsum viuum deponi, ne sententia non sortiretur effectum) *Iussit reddi corpus* mandauit militibus, vt non tenerent amplius corpus in sua potestate, sed permitterent ipsi Ioseph auferre, quo vellet. *Et accepto corpore*, Iesu de cruce deposito. Probabile est Ioseph etiam manus adhibuisse ad deponendum & recipiendum Christi corpus ex patibulo, sicut ipse in propria persona præsens fuit, & proprium sepulchrũ dedit ei: Et (sicut Nicodemus) in propria persona venit afferens aromata, & vnguenta pretiosa.

Ioseph inuoluit illud prius tamen lotum cẽtũ libris myrrhæ

myrrhæ, & aloes, quā obtulerat Nicodemus. *in syndone munda*, id est, puro linteo, quod ad hoc mercatus fuerat ipse Ioseph. Non affuit autem vnica syndon, sed plures (vt ex Ioanne & Luca patet) fuit enim & super caput Christi positum sudarium, ita vt sepultus fuerit sicut diuites & honorati Iudæi, quanquam non ita sumptuosè: diuitum enim ambitionem vitandam docere voluit, qui ne in tumulis quidem carere possunt diuitijs. Pro syndonis mystica significatione, vide Commentarium Hieronymi. Videntur festinasse admodum in sepeliendo Christo, quia imminebat solis occasus post quem non licebat operari, quòd sabbatum esset, & Paschæ festum: vnde dicit Ioannes quod in monumēto propinquo posuerūt Iesum propter parasceuen Iudæorum, quasi videlicet alio translaturi fuissent si tempus procul ferendi nō defuisset. *Et posuit illud in monumento suo nouo*, recenter exciso, in quo nunquam aliquis fuerat positus, quod pro corpore suo cōstruxerat: moris enim fuit apud diuites Iudæos, vt sibi pararent sepulchrum, seu certum locum sepulchri sibi deligerent, sicut in patri-
cap.22. archis patet & apud Esaiam, vbi ad Sobnam præpositum templi à Domino dici iubetur: Quid tu hic aut quid hic: quia excidisti tibi hic sepulchrum excidisti in excelso memoriale diligenter in petra tabernaculum tibi &c.

Hæc diligentia in eis erat ad cōmendandam fidem resurrectionis, vnde etiam nunc sepultura libera est apud Christianos. *quod exciderat in petra*, id est, in rupe, sic vt vnus tantum esset lapis, commodè ad sepulchrum excauatus. Quomodo verò fuerit excisum sepulchrum Christi in petra, pulchrè
Lib.5.c.17 habet Beda in hystoria gentis anglorum. *Et aduoluit saxum magnum*, per ministros multos, *Ad ostium monumenti*, id est, introitum, *Et abijt*, Saxum magnū inquit

inquit Hieronymus ostio appositũ ostendit absq; auxilio plurimorũ sepulchrũ non potuisse referari. Quare autem Christus sit sepultus, cur etiam tali, & tali sepulchro pulchrè declarat Thomas. Præter rationes autem quas assignat cur in monumento nouo exciso in petra sit reconditus. Est & alia, vt videlicet sepulchrum Christi esset immobile, & in perpetuum testimonium mortis, & resurrectionis eius. Hinc etiam patet magna eius virtus quia tot sæculis sepulchrum suum inter suos hostes seruat gloriosum. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria* scilicet Iacobi, & Ioseph mater. Dicit altera, quia duæ tantum erant hoc nomine (Maria) communiter appellatę, nam mater Christi ferè appellabatur mater Iesu. *Sedentes contra sepulchrum*, id est, ex opposito monumenti interea temporis, quo corpus sepeliebatur non enim poterant commodè simul ingredi cum viris dum sepeliretur Christus: sed postquam sepultus est, & egressi sunt viri intrauerunt mulieres, videruntq; monumentum intus, & quomodo positum esset corpus Iesu, sicut habet Lucas: & postea aduolutus est lapis magnus statimq; reuersæ mulieres in Hierusalem parauerunt aromata, & vnguenta. Tres Euangelistę priores non fecerunt mentionem matris Domini, quia istas mulieres ad hoc tantum introducunt, vt melius intelligatur historia resurrectionis Christi vnde Matthæus hic non nisi duas ponit, quia iudicauit satis esse illas ponere, quæ præcipuæ fuerũt pro testimonio resurrectionis: sub illis vtiq; intelligens, & alias. Cùm igitur mater Christi non venerit ad vngendum Christum nõ fecerunt eius mentionem. Ioannes autem qui voluit ostendere se ex latere Christi fluxisse sanguinem & aquam vidisse, & qua ratione habuerit curam matris Iesu, nominatim se & matrem Iesu introducit in

In comment.

3. parte qu. 51. ar. 1. & 2

paſsione *altera autem die, quæ eſt poſt paraſceuem*, hoc eſt ipſo veſpere paſsionis poſt ſolis occaſum: quæ vocatur altera dies non artificialis ſed naturalis, nam dies naturalis à Iudæis inchoatur poſt ſolis occaſum. Vtque hoc ſignificaret Euangeliſta non dixit ſimpliciter (altera die) nam hoc potuiſſet etiam intelligi de die artificiali, ſed adiecit (quæ eſt poſt paraſceuem, hoc eſt illa parte ſequẽtis diei quę immediate ſequitur paraſceuẽ, alioqui ſuperfluè additur hæc particula quæ eſt poſt paraſceuẽ: Cui enim poteſt eſſe dubiũ quin altera dies ſequatur paraſceuẽ. Vnde Marc. ſic legit: Et cum iã ſero eſſet factum (quæ erat paraſceue quod eſt ante ſabbatum) venit Ioſeph ab Arimathæa, nobilis decurio quia & ipſe erat expectans regnum Dei, quia agebatur extrema pars paraſcheues quæ immediate præcedit ſabbatum: nã niſi ſic intelligatur fruſtra videbuntur principes ſacerdotum, & Phariſæi dicere ad Pilatum. Iube cuſtodiri ſepulchrum vſque in diem tertium cum ſufficeret cuſtodire vſque in ſecundum, ſi ſabbato die veniſſent ad Pilatũ. Deinde nõ debuiſſent cõmiſiſſe illud mendaciũ de quo in ſequenti capite habetur, ſed lõgè probabilius finxiſſent quod antè aduentũ cuſtodum, prima nocte corpus Ieſu fuiſſet è monumẽto ſublatũ à diſcipulis. Paraſceue (quę latinis eſt præparatio) apud Iudæos dicebatur omnis feria 6. quę ideo ſic appellabatur quia tũc præparabãt cibos pro ſabbato ſequẽti in quo non licebat quicquã pręparare. Rectè autẽ Chriſtus paſſus eſt feria 6. quia primus homo 6. die cõditus eodẽ die per paſsionẽ Chriſti ad primæ cõditionis honorẽ eſt reſtitutus, deinde qa per paſsionẽ Chriſti præparat' eſt nobis cœleſtis cib' & verũ illud mãna per quod ſaluabimur in feſto æternæ quietis, quã hic meritò paſsionis Chriſti inchoamus à vitijs abſtinentes & quieſcentes.

Exod. 16.

con-

Conuenerunt principes sacerdotū, & pharisæi ad Pilatum. *in comment.*
Hieronymus: Nō suffecerat principibus sacerdotū scribis ac Pharisæis crucifixisse Dominū saluatorē nisi sepulchrū custodirēt, cohortem acciperent, signarent lapidē & quantū in illis est manū opponerēt resurgēti, vt diligētia eorū nostræ fidei prodesset: quātò enim amplius, & actiùs seruatur, tāto maior virtus resurgētis ostenditur. *Domine recordati sumus.* Benè intellexerūt verba quę Christus antè resurrectionē portulit quæ Mattheus & Ioannes referunt quamuis vt eum possent occidere ea peruerterint, atque in peiorem partē interpretati sint: exagitabātur autem nunc à propria cōscientia quę dictabat eis istū esse Mesiam, terrebātur signis quę facta erant, in morte eius vehementer metuebant ne verum esset Christi verbū quod de sua resurrectione prædixerat, & cupiebāt omnino, etiāsi verū esset, à populo nō credi: *Quia seductor ille &c.* Ipsi quidem hoc dicunt ad Christi infamiā nō dignantes eum vel proprio nomine appellare sed quasi omnibus notū seductorē illū vocāt. At spiritus sanctus loquebatur per os illorū, Christus enim est seductor hominū nā seducit & abducit à sceleribus ad virtutes, à peccatis ad gratiā, à terrenis ad cœlestia à miseria ad fœlicitatē, à morte ad vitā· sicut dicit ei Ieremias, Seduxisti me dñe & seductus sum: fortior me fuisti, & inualuisti. *Post tres dies resurgā* die tertio, *Iube ergo custodiri sepulchrum usque in diē tertiū.* q. dicat. Non dubitamus quin falsum sit quod se resurrecturum die tertia dixit, sed metuimus, *Ne forte ueniant discipuli eius,* ne ad gloriā magistri sui conentur docere vera eius esse verba quæ prædixit, atque ita plebeculā decipiāt corpus eius auferētes, *Et dicant plebi surrexit a mortuis: & erit nouißimus error peior priore,* quia multo magis adhęrebit ei plebs si credat eū resurrexisse à mortuis quā vnquā adhęsit

Matth.12 *Ioan.2*

Cap.20.

& ita melius fuiſſet ipſum non fuiſſe crucifixum. Neſcientes prophetant, longe enim latior fuit fides poſt Chriſti reſurrectionem quam Chriſto viuente, longè plures & longè feruentius adhæſerũt Chriſto. Error etiam Iudæorum quo credere noluerunt, toto mundo credente longè deterior fuit, quam antea dum adhuc humilis appareret: longè etiam magis contabuerunt inuidia Iudæi ex gloria quam conſequutus eſt Chriſtus poſt Pentecoſten, quam ob eam quam habuerat in vita. *Ait illis Pilatus habetis cuſtodiam, ite cuſtodite ſicut ſcitis.* Cõcedo vobis ipſam turmam cuſtodum. Cuſtodia vocabatur certi quidam milites ad ciuitatem, vel locum alium deputati. Et videtur hoc deriſoriè dictum à Pilato, vel quia pro ridiculo habebat ipſe reſurrectionem mortuorum, vel ſi fortè ex reſuſcitatione Lazari, & ſimilibus æſtimabat eſſe reſurrectionem mortuorum, deridendo dixit eis: Cuſtodite ſicut poteſtis, quaſi dicat, Vanus eſt veſter conatus: ſi reſurgere poſsit, veſtram non curabit cuſtodiam. *Illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum ſignantes lapidẽ*, apponentes ſigillum Pilati, ne quis auderet reſerare ſepulchrum, *cum cuſtodibus*. Poteſt iſtud coniungi, vel cum (munierunt) vt ſit ſenſus munierunt ſepulchrum ſigillo principis, & appoſita cuſtodia militum, vel cum Signantes vt ſit ſenſus: Ipſi ſigillauerunt ſepulchrũ per ipſos cuſtodes ita vt quãdo milites ex parte Pilati appoſuerũt ſigillum ipſi ſacerdotes ſimul affuerunt, adducentes cuſtodes ipſos non ſolũ vt cuſtodirent ſepulchrũ, ſed vt ipſis videntibus ſigillum apponerent: quod Deus ita direxit, ne fortè ſi ſoli cuſtodes ſigillaſſent ſepulchrum ſacerdotibus non præſentibus dicerent Iudæi cuſtodes ante ſigillationem ſepulchri fuiſſe corruptos & corpus Chriſti extraxiſſe, ac diſcipulis vendidiſſe.

IN CAP.

& vltimum.

V*Espere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati.* Duplex est hic interpretatio secũdũ duo diuersa opera quæ fecerunt istæ mulieres diuersis temporibus. Nam vesperè sabbati, id est, dũ sabbatum transijsset post occasum solis emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum, sicut ait Marcus, & valde mane videlicet diei Dominicæ venerunt cum aromatibus ad monumentum orto iam sole. Quidam igitur referunt istud ad præparationem mulierum sabbato post solis occasum factam, atque hoc pacto istud intelligunt, vespere sabbati quæ lucescit in prima sabbati, id est, vespera illa sabbati quãdo incipiebat lux siue dies naturalis vigintiquatuor horarum. Incipiebat autem dies apud Iudæos à vespera & durabat vsq; ad sequentis diei vesperã. Hac de re eruditè tractat Aug. *Lib.4.de consen.euã. cap.13.* Dicitur autem prima sabbati quia prima septimanæ, sicut & apud Lucam: Ieiunabis in sabbato, id *Cap.18* est, in septimana: non enim potest quis, vno & eodem die (propriè loquendo) bis ieiunare. Vocabãt autem Iudæi dies hebdomadę à sabbato tanquam principaliori die, ita vt dies immediatè sequens sabbatum, diceretur prima sabbati: secunda, sequẽs secunda sabbati, atq; ita deinceps. Sic Christiani quando eis semper feriandum siue cessandum est à peccatis, nominibus feriarum dies suos appellãt. Sic & gentiles appellationibus planetarum atque deorum suorum (vt eorum memoriam semper habeant) dies suos appellant. Alij referunt ad matutinum aduentum mulierum ad sepulchrum, & vesperam pro nocte poni autumant sicuti hic ponitur: factum est vespere, & mane dies vnus, Genes.1. & tunc iste sensus habetur: Vespere sabbati, id est,

 nocte

nocte sabbati, extrema videlicet noctis parte quãdo nox terminabatur & dies auspicabatur. *Venit Maria Magdalena & altera Maria.* Conuenerunt istæ mulieres inter se tractantes quomodo visitarent sequenti diluculo sepulchrum. Secundũ priorẽ intellectum, illud quod sequitur (& ecce terræmotus &c.) cõiungitur à Matthæo quasi eodem tempore præscripto esset factũ cũ tamẽ mane factũ sit dũ mulieres irent ad monumẽtum. Quod mirum videri nõ debet, Cõstat enim Euangelistas in historia resurrectionis, quædã coniungere quasi eodem tempore facta essent, cum tamen diuersis temporibus contigerint sicut manifestum euadit ex Luca vbi sic describitur apparitio facta in die Paschæ, & apparitio in die ascensionis, quasi eodem die contigissent. Idem faciunt tres priores Euangelistæ in describendo itinere mulierum ad sepulchrum, ita loquentes nimirum quasi mulieres solum semel iuerint ad sepulchrum cum tamen ex Ioanne constet Magdalenam bis apud sepulchrum fuisse.

Et ecce terræmotus factus est magnus, sicuti in passione ad compatiendum quodam modo authori suo mota est terra, ita resurgente Christo præ lætitia subsilijt. Fuit autem terræ motus iste magnus, vt supra modum admirabile, & magnum aliquid tunc fieri intelligerent homines, & fideles confirmarentur in fide agnoscentes tunc Christum resurrexisse quando terra mouebatur. Mystice isto terræmotu designatur corda hominum terrena mutanda esse resurrectione Christi, quod etiã supra modum est admirabile, sicut ipsa Christi resurrectio. *Angelus enim Domini descendit de cœlo.* Causa efficiens huius terræ motus fuit Angelus Domini, obedit enim moles corporalis quantum ad motum localem spectat, ipsis Angelis ad nutũ teste Thoma. An verò hic angelus vnicus mouerit lapidem

1. p. q. 110 art 3.

lapidem an plures non constat, tamen sicut in Dominica natiuitate vnus Angelus à pastoribus visus est, maxima vero multitudo audita est laudare Deum, ita maxim' videtur Christo resurgẽti exercitus Angelorum occurrisse. Descendit de cœlo visibiliter & primo vt apparet visus est à longè &, ab alto descendere ab ipsis custodibus, sicut Daniel vidit Gabrielẽ à lõgè ad se volãtem: nõ autẽ propterea descendit quia nullus in sepulchro corpori Christi aderat nũquã enim destitutum fuit caterua Angelorum custodiẽtium, & adorãtium dominũ. *Et accedẽs.* Nuntij primi, mysterij salutis humanæ fuerunt Angeli, nõ homines, quia corrupti & lapsi erãt ac gratia Dei ad illustrationẽ & vitę emedationẽ egebãt ipsiq; erãt, cõtra quos iratus erat Deus. *Reuoluit lapidẽ* Beda; nõ ei egressuro dñõ ianuã pãdat, verũ vt egressus eius iã facti hominibus præstet indiciũ: qui enĩ mortalis clauso virginis vtero potuit nascẽdo ingredi mundũ ipse factus immortalis clauso sepulchro potuit resurgendo exire de mundo, sicut etiam eodem die clausis ianuis intrauit ad Discipulos: Hæc Beda. *Et sedebat super eum,* nõ tanquam lassus, sed tãquam doctor & magister annunciaturus hominibus nouum vitæ immortalis gaudium. Sedebat ad terrorem custodum imperterritus defensor sepulchri Christi contra omnes violatores: potuissent enim ex inolita malitia alium fortè mortuum inferre in sepulchrum, vt mentirentur Christum non resurrexisse. Sessio significat Christum superata morte iam esse in sede quietis æternæ vbi stabiliter sine metu ruinæ regnat. *Erat autem aspectus eius si ut fulgur* ad terrorem impiorum custodum, *Et uestimentũ eius sicut nix,* ad blandiendum mulieribus, & mulcendum affectum earum in vestitu suo, & aspectu significat gloriam suæ resurrectionis in qua

Hom. I. inter æstuales de temp.

apparbit supra modum terribilis impijs, blandissimus autem pijs, & iustis. *Prae timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt sicut mortui.* Meritò facti sunt velut mortui qui resurrectionis veritatem noluerunt credere, & qui in mortis impietate manserunt. *Respondens autem Angelus.* Olim diabolus primo loquutus est mulieri, quãdo mors ingressa est mundum; nũc verò sanctus Angelus redeunte vita immortali, morteq́ expulsa, primum mulieres alloquitur. *Nolite timere uos*, q.d. timeãt illi custodes qui infideles permanẽt, & ad obscurandã gloriam saluatoris huc venerunt, vos autẽ quæ studio pietatis quęritis corpus Christi ne terreamini, sed absque timore accipite lętum nuntium. *Scio enim quod Iesum qui crucifixus est, quæritis, non est hic.* Non est in monumento secundum corporalem præsentiam. Non erubescit Angelus crucem saluatoris, sed quasi à præcipua gloria ipsum describit à cruce, sciẽs quod Christus per crucem ad gloriam resurrectionis peruenerit, quãquam omnis gloria hominum quorum se sciebat agere ministrum debeat esse in cruce, si resurrectionis Christi voluerint esse participes. *Surrexit enim*, redijt ad vitam nunquam moriturus. *Sicut dixit*, q.d. Recordamini verborũ eius quibus prędixit se crucifigẽdũ, & die tertia resurrecturum, & si verbis meis non creditis, credite verbis ipsius quod latius explicuit Luc: Recorda. &c.
Cap. 24. *Venite & uidete locum ubi positus erat Dominus*, hoc est, penitius locũ sepulchri introspicite qui vacuus est: attendite quomodo linteamina, & sudarium quibus Christus inuolut⁹ fuit iaceãt seorsim, & agnoscite corpus mortuum non esse à quoquam ablatum: non enim Christi sepulchrum vbi positus erat Dominus violari permisisset angelus. Melius dixit, vbi positus erat Dominus quasi dixisset, vbi positum erat corpus Domini, eadem enim semper

per

per persona erat quæ corpus viuum ante mortem, & corpus mortuum in sepulchro habebat, quia idē filius Dei. Porrò in oībus alijs magis propriè corpus reperiri dicitur, vt puta Petri, vel Pauli, quam Petrus vel Paulus. *Et cito euntes dicite discipulis eius* non solū vndecim verumetiā cæteris. Lætissimū nuncium à discipulis supra modum dilectis abscōdi minimè potuit. Huius etiam mulieres nunciæ factæ sunt, vt per eundem sexum duceretur vir ad salutem, per quem deductus fuit in peccatum: & vt scirent mulieres non obesse sibi sexum, sed si viris feruentiores fuerint accepturas esse mercedē ampliorem. *Et ecce præcedit uos in Galilæam* Priusquam vos ex Hierusalem domum perueneritis se viuum vobis ostendet. *Ibi eum uidebitis* non prius mulieribus & Apostolis ipso die Paschæ apparuit.

Cæterùm apparitiones factæ in Ierusalem clam & rarò factæ sunt & coram paucis sed in Galilæa Dominus familiariter sæpe pluribus discipulis in multis argumentis apparuit, ideóq; apparitiones in Galilæa factas & ipse Dominus in passione, & post resurrectionem ipsi angelus singulariter prędixerunt. Maximè verò in Galilæa apparere voluit, vt se illum eundem esse ostenderet qui in Galilæa versatus fuerat, & quia plerique discipuli erant Galilæi habitantes in Galilæa, ac maximi discipulorum persequutores in Ierusalem habitarent, vt absq; eorum incommodo cum ipsis versaretur. deniq; vt absq; timore Iudæorum eum libere conspicerent, & resurrexisse agnoscerent. *Ecce prædixi uobis*. Tria noua dixit Angelus, primum quod resurrexerat, secundum quod conspiciendū se in Galilæa daret, tertium quod ipsemet Angelus hoc dixerat: ecce prædixi vobis. quasi dicat non parui faciatis nuntium meum: ego enim cœlestis Spiritus Angelus Domini ad hoc vobis deferen-

Luc.1. dū missus sum. Sicut enim Gabriel dignitatē suam Zachariæ nolēti credere declarauit, ita istis mulieribus quę nō stati crediderūt declarat Angelus dignitatē suā. Sciuisse verò mulieres esse Angelū dñi ex narratiōe Cleophę apud Lu. patet. Marc⁹ hoc modo legit (Sicut dixit vobis) vtrūq; enim Angelus & Christū dixisse, & se dicere pronūciauit, vt cōfirmaret mulieres in fide. Mysticè explicat Au. quō Christus discipulos suos pręcessit in Galilæā, ibiq; visus fuerit ab eis. Cur verò nō surrexit vidētibus discipulis tractat Tho. Ex Ioā. manifestū est, ꝙ M. Mag. bis ad monumētum iuerit, atq; postea duos angelos in monumēto sedētes viderit: Quō aūt cū hac narratione Ioānis cōsonēt reliqui Euāgelistæ, quō etiā inter se cōsentiāt de angelica apparitiōe de quo etiā itinere mulierū loquātur, primo an secūdo difficultas est: tñ quid nobis probabilius videtur pau cis dicemus. In primo igitur itinere viderūt mulieres angelū sedentē supra lapidē extra sepulchrū nā inuitauit eas ad intrādū sepulchrū, et fulgurāte facie terruit custodes, q extra sepulchrū errāt, audierūtq; illi verba eius ad mulieres facta, quēadmodū liquet ex narratiōe custodū. Huius igitur angeli voce inuitatę mulieres ad intrādū monumētū, introierūt, & corp⁹ dñi minimè repererūt, quare plurimū cōsternatę fuēre: Factum est aūt dū cōsternatę essēt quod iuuenē viderūt, sedētē à dextris corporis Iesu qui cū angelo altero sibi sociato surrexit vt eas alloqueretur, manuq; eis linteamina & sudariū demōstrauit. Atq; hic ferè eadē cū priore locutus est. Verūtamē angelis nō credidit Magdalena, nō obstāte quod verborum Christi, quibus se resurrecturum prædixerat recordaretur, quēadmodum ex Ioan. liquet vbi ipsa discipulis refert corpus Iesu esse ablatū. Nec mirū videri debet quod angelus fidē nō adhibuerit cū ipse Zacha. sacerdos in re multo minore

Lib.3. de consen. euā. cap. ult.

3. parte qu. 5. ar. 1.

nore

nore angelo nõ crediderit,nec Sara angelo cõceptũ Luc.1.
Isaac annũciãti:imò nec ipsi Apost. Christo primũ
viso eũ resurrexisse vix crediderũt. Porrò regressæ
mulieres 11. Apost. verba angelorũ retulerunt, φ͡q;
sepulchrũ vacuũ inuenissent. Quo audito, Petr⁹ &
Ioan. cũ mulieribus ad monumẽtũ accurrerũt:atq;
nõ reperto corpore domũ redierũt Apostoli. Maria
Magda. rursum in monumẽtũ cõspiciẽs vidit duos
in monumẽto sedẽtes. Quod aũt in primo itinere, Ioan.20
seu primo ad monumẽtũ accessu mulieres angelũ
viderint ex narratione Cleophę apud Luc. clarum
est:ait mulieres dixisse, se vidisse angelos, atq; ad ea
rũ nũciũ Apostolos cucurrisse ad monumẽtũ. Deinde si primo angelos nõ vidissent mulieres Apostoli per nunciũ angelicũ ad Christi nũciũ recipiẽdũ pparati nequaq̃ fuissent, nã per mulieres vtrũq; nũciũ, Dñi videlicet & angelorũ simul accepissent. Præterea custodes post primũ mulierẽ accesũ, seu post primũ nũciũ angelorũ audita voce angeli recesserũt: Apost. aũt nullatenus ad monumentũ venire ausi fuissent, si custodes ibi adhuc delituissent, simulatũ enim esse custodũ timorẽ metuissent. *Et exierũt cito de monumẽto.* De primo itinere loqtur hic Math. c *ũ timore*. f. ne fortè falsum foret angelicũ nũciũ. Ex Ioan. enim cõstat Magdalenã nõ credidisse oĩbus angelis donec Dñm vidisset, vnde dicebat dño sibi apparẽti in forma hortulanij: Dñe si sustulisti eũ dicito mihi vbi posuisti eũ. *Et gaudio magno* de nũtio angeli. Et fortè Maria Iacobi, fidelior fuit, quã Maria Mag. & sicuti gaudiũ fidei maius in ea fuit, sic timor infidelitatis in Maria Mag. quę post oẽ nuntiũ angelicũ adhuc flebat ablatũ esse corpus Dñi. *Currẽtes nũciare discipulis eius*. f. ea quę audiuerãt ab angelo, & quę viderãt. *Et ecce Iesus occurrit illis* nõ quidẽ in hoc itinere cũ cucurrerũt ad Apost. sed cũ redijssent ad sepulchrũ cũ Apost. & cũ abeũtibus ijs aliquan-

aliquamdiu mansissent iuxta sepulchrum etiã reuerterentur: sicuti constat ex Ioanne: Occurrit autem illis Iesus vt iam secundo nõ angeli nuntium, sed suum deferrent ad Apostolos. Ideo autem angelicum nuntium præcesit vt non omnino insperata esset Christi apparitio, sed præparati essent per illud & Apostoli, & mulieres ad videndũ Dominum. *Dicens: Auete*, quod est verbum consolatoriũ, & amicabile. *Illæ autem accesserunt*, sumpta audacia, & fiducia, non sunt amplius territæ, sed appropinquauerunt ad Christum. *Nolite timere*. Hieronymus. Et
In cõment. in veteri & in nouo testamẽto hoc semper obseruandũ est, quod quando aliqua angustior apparuerit visio, primum timor pellatur, vt sic mente pacata, quæ dicuntur possint audiri. Rarius tamen in veteri testamento dicitur noli timere, frequentius verò in nouo.

Ite, nunciate fratribus meis, ut eãt in Galilæã, & ibi me uidebũt. Nũc eos vocat fratres, quia per pasionẽ, & resurrectionem suã eos patri suo cœlesti adoptauit in filios; quos sibi cohæredes fecit, cum omnia peccata eorum per pasionem abstulit, & per resurrectionem ad nouam vitam reformauit. Ante mortem quidem occasione quadam sumpta vocauit eos fratres sed regulariter discipulos appellabat: nunc verò mutat illud familiare nomen &
Psal.21. fratres suos vocat: Sicut Psalmista prædixerat in persona Christi. Narrabo nomen tuum fratribus meis quod non solum de Apostolis vndecim, sed de omnibus omnino christianis intelligi debet. Doctorum pleriq; (inter quos est Augustinus) putant Hanc apparitionem diuersam esse ab ea quam recensent Marcus & Ioannes, ac posteriorem esse à Matthæo positã, priorem autem soli Magdalenæ esse factam, At in hoc posteriore dissentit Augustinus, putat enim hanc non soli Magdalenæ sed pluri-

pluribus esse factam. Posset fortasse quibusdam vna & eadem videri apparitio cuius meminerant Matthæus & Ioannes. Quamuis enim dicat Ioannes, Conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem &c. quod de Maria stante & de Iesu non occurrente sed stante intelligi videtur, potest tamen intelligi de ea cõuersione qua se conuertebat & abire iam incipiebat. Simili modo quando Christus sedisse dicitur de illa statione intelligi potest qua stetit ad salutãdum mulieres postquam eis occurrisset. Sed parum refert eadem ne sit an diuersa apparitio quam describit Matthæus. Quare saluo iudicio melius sentientium ponam concordiam Ioannis & Matthæi. Tangere igitur siue tenere in scripturis propter notã significationẽ etiam significat ad hoc tangere vt aliquid accipiatur siue inpetretur ab eo qui tenetur vel tangitur: Quemadmodum Iacob luctans cum Angelo in persona Christi apparente, eum tenuit vt benedictionem obtineret: Ait enim, Non dimittam te nisi benedixeris mihi. Sic & Sunamitis 4. Regum 4. in monte Carmeli apprehẽdit pedes Helizæi, nec dimisit donec petitionẽ suam obtinuit. Vnde etiam in Canticis cap. 3. dicit spõsa tenui eam nec dimittam. Et Luc. 8. dicit Christus tetigit me aliquis, id est, apprehendit me aliquis ad aliquid à me impetrandum. In eadem significatione dicit Esaias propheta: Non est qui inuocet nomen tuum, qui cõsurgat & teneat te: vbi tenere Deum nihil aliud significat quam cõstanter eum inuocare. Quia igitur mulieres istæ audierunt Christum dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis & ego reficiam vos: Et: Si quis sitit veniat ad me & bibat. Et qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Item à Ioanne baptista: Ipse vos baptizabit spiritu sancto & igne.

Genes. 32

cap. 64

Matth. 11

Ioan. 7.

& igni. Et ipse satis clarè dixerat se non missurum spiritum sanctum nisi mortuus esset & resurrexisset. Et Luc. 12. Ignem veni mittere in terrã, & quid volo nisi vt accendatur & ardeat. Hoc est spiritũ meũ volo effundere, sed prius debeo gustare mortem. Et verisimiliter frequentius promiserat spiritum sanctum. Quia, inquam, hęc audierant mulieres, & Christum resurrexisse sciebant, memoresq; erãt promissionum Domini post resurrectionem implendarum: quodq; ad pedes Domini consolationem sæpius accepissent præsertim Magdalena, statim prociderunt, & apprehenderunt pedes eius, eosq; tenuerunt quasi ipso facto dimitere nolentes vel etiam verbis dicentes: Domine promittere solebas ante mortem tuam, quod post resurrectionẽ magna dóna acciperemus, nunc igitur nisi promissa impleueris te nõ dimittemus. Porrò Christus ad pium cõtactum mulierũ, & petitionẽ Magdalenæ, & in ea cæteris respõdit. Noli me tãgere, id est, noli tenere pedes meos ad hoc vt promissa facta obtineas, nõdum enim tẽpus ea implendi aduenit, licet enim resurrexerim nõdum tñ ascẽdi ad patrem meum: secura sis, & vade ad fratres meos, referesq; lætissimum nuncium resurrectionis meæ, & ascẽsionis cõplendę: propediẽ enim ad patrẽ meum ascendam & patris promissum, de quo toties locutus sum tibi, & fratribus meis mittam. Nec de hoc dubitetis quoniã pater meus per passionẽ meã vobis nunc est reconciliatus & amicus factus, & ita Deus vester sicut Deus meus, & pater vester sicut meus. Nõ igitur prohibet Christus simplicẽ tactũ sed tantummodo admonet nõdũ tẽpus adesse donãdi spiritum sanct. atq; proinde nõ ita vrgendum esse vt modo impetretur spiritus san. *Quæ cũ abiissent*. s. ab angelo, & sepulchro: *Ecce quidã de custodibus uenerũt in ciuitatẽ*, s. Hierusalẽ, *& nũciauerũt principibus sacer-*

sacerdotũ omnia quæ facta fuerãt reuolutionẽ lapidis. s. terrẹmotũ, angeli descẽsum, & terrorẽ ei⁹: pręterea nũtiũ quod mulieribus angelus detulerat. *Et cõgregati cũ senioribus, cõsilio accepto pecuniã copiosam militibus dederũt dicẽtes, dicite &c.* Diuulgate apud oẽm populũ istud videlicet quod discipuli eius venerint noctu, & clam furati sunt eũ, sed apertũ erat mẽdaciũ eorũ de ablatione corporis Christi per discipulos eius nocte facta, nã quõ tanta militũ multitudine præsente ausi fuissent Christũ mortuũ auferre quẽ prius oẽs viuũ deseruerũt. Deinde quũ fures quęcunq; possunt auferre nõ reliquunt, nõ sudariũ, nec linteamina in sepulchro reliquissent quę difficulter à corpore Christi auelli poterant, quod myrrha & aloe corpora erãt cõglutinata: prodest nihilominus fidei nostrę mendaciũ istud, nã ex eorũ cõfessione cognoscimus sepulchrũ fuisse vacuũ, neq; ibi corp⁹ Christi remãsisse. *Vobis dormiẽtibus.* Si dormiebãt quõ factũ sit nesciebãt, vt Aug. Quõ verò nullus ex tãta militũ multitudine qui vigilijs erãt assueti ad reuelationẽ tãti lapidis & cõcursu discipulorũ euigilauit? Cur saltẽ mulieres nõ apprehenderunt, vt per illas innotesceret veritas? Si dicãt quod viderũt discipulos currẽtes cũ cadauere, & quod nõ potuerint hoẽs rudes & pugnæ non assuetos, ac corpore mortuo grauatos assequi, cur nõ in domibus discipulorũ quæsiuerũt corpus Iesu, vt oĩbus demonstraretur figmentũ discipulorum? cur hac de causa nullus discipulorũ captus est? *Et si hoc fuerit auditũ a præside.* Metuebant custodes ne mendaciũ eorũ deprehenderetur à Pilato: videbant etiã suo mẽdacio seipsos accusare negligentiæ. Ideoq; fortè à Pilato puniri metuebãt: Oculos aũt supremi iudicis Dei nõ metuebãt quod cõmune est oĩb⁹ terrenis hoĩbus. Contra metũ Pilati muniũt eos dicentes: Et si hoc &c. s. quod angelus Dñi terruerit vos amoueritq;

Lib. 50. bo. Hom. 36. et 37.

ritque lapidem . & dixerit ipsum resurrexisse *suadebimus ei* quod falsum sit, *& securos uos faciemus*. liberos ab omni periculo. Credebât enim se facilè persuasuros homini gentili non esse resurrectionem mortuorum. O magnam mentis humanę cœcitatem, Non dixerunt, credamus nunc eum surrexisse à mortuis qui tam efficacia signa perspeximus: aut examinemus ea quæ fecit viuus & mortuus, respiciamus successum discipulorum, anne aliquid diuinum sit in his omnibus, sed omnibus conatibus suis vsi sunt, vt resurrectionis fidem impedirent. *At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti.* Quod milites hi pecuniam veritati præponât mirari minimè debemus, hoc enim ipsum fecit qui reliquerat omnia & sequutus erat Christum Iudas Iscarioth, quem pecunia optimi magistri sui fecit proditorem. *Et diuulgatum est uerbum istud apud Iudæos* Aduerte quod dixit (apud Iudæos) non autem apud Christianos, nam Iudæi Christo malè affecti procliues erant ad recipiendos errores. Sed quod apud Iudæos Iudæus obscurabat auro, fide mox in toto mundo claruit. Aduerte hic quàm facilè seducuntur, qui in timore Dei non vigilant. *vsque in hodiernum diem* scilicet quo ego Matthæus hoc Euangelium scripsi: non statim enim post Christi ascensum scripsit. Facilè autem perseuerat apud vulgus quod ei persuasum est, quantumuis absurdum. Facti igitur sunt Iudæi hæredes huius mendacij, sicut facti sunt hæredes reatus effusionis sanguinis Christi, quem sibi & posteris suis impiè admodum imprecati sunt. Mysticè verum est verbum custodum, quod dormientibus Iudæis nocte infidelitatis & negligentiæ venerũt gentiles Christiani, & fide apprehenderunt Christum non mortuum sed viuum & cum in extremo iudicio auditum fuerit à præside Christo Apostoli, qui nos

sup. ca. 7

ista

ista docuerunt securos nos facient: quod pulchrè Hylarius,& Hieronymus explicat, Hilarius enim sic ait: Emitur ergo resurrectionis silentium & mendacium furti argento, quia honore seculi qui in pecunia est,& cupiditatę Christi gloria denegatur. Hieronymus verò in Commentarijs: Omnes, inquit, qui stipe templi,& his quæ conferuntur ad vsus Ecclesiæ abutuntur in alijs rebus quibus suam expleât voluntatem, similes sunt Scribarum & sacerdotum redimentium mendacium, scilicet, à militibus & saluatoris sanguinem scilicet à Iuda Apostolo eius. *Vndecim autem discipuli abierunt in Galileam.* Augustinus libro de consensu Euangelistarum ostendit istud contigisse post omnes apparitiones quæ scriptæ sunt in euangelijs ante ascensionem. Per hoc(inquit)cogimur intelligere post omnia factum esse quod eum in monte Galilęæ discipuli vndecim viderunt. Nam Ioannes dicit Christum tertio apparuisse discipulis suis ad mare tyberiadis, quod non ad numerũm apparitionum seu manifestationum, sed ad numerum dierũ quibus apparuit referendum est. Primò enim apparuit in die Pasche mulieribus Petro Cleophę,& socio eius decẽ itẽ Apostolis. Octauo die apparuit vndecim: Tertio apparuit septem ad mare tyberiadis. Quod ergo hic dicitur apparuisse in monte vndecim discipulis,in Galilæa,post omnes apparitiones factas & scriptas in Euãgelijs ante ascensionem eius pôst tertiam illam contigit: Alioqui enim non tertio, sed quarto apparuisset ad mare Tyberiadis. Quidam putant hanc esse apparitionem illam cuius meminit Apostolus dicens, deinde apparuit plusquam quingentis fratribus simul &c. sed hoc non est certum. Verisimile etiam est multos alios cum illis vndecim iuisse,nam dictum erat ab Angelo,& Christo ipso,vt fratres eius,scilicet omnes

Hilar. in fine commẽ. in Matth.

1. cor. 15.

irent in Galilæam, vbi nō ſoli intelliguntur Apoſtoli. Quando verò abierint in Galilæam non ſatis conſtat, forte non improbabiliter diceretur quod poſtridie reſurrectionis Domini, vel tertio die, ita vt apparitio facta in octauo die, contigerit in Galilęa, reuerſis iam diſcipulis domum, & abſoluto itinere. *In montem ubi conſtituerat illis Ieſus.* In ſcriptura nō exprimitur quem montem ipſis præſcripſerit. In montem autem apparuit eis Dominus, vt ſignificaret quod corpus de communi generis humani terra naſcendo ſuſceptum, reſurgendo iam ſuper terrena omnia ſubleuarat; & vt admoneret fideles ſi illic celſitudinem reſurrectionis eius cupiunt videre, hic ab infimis voluptatibus ad ſuperna ſtudeant deſideria tranſire. *Et uidentes eum adorauerunt.* Ipſi vndecim & qui cum illis erant. *Quidam autē dubitauerunt.* Græci legūt, Hi autem dubitauerunt. Quod dupliciter intelligi poteſt, vel de aliquibus alijs qui fuerant cum Apoſtolis vndecim ſicut dicimus; Homines in feſtis diebus Deū laudant, hi autem inebriantur. Vel poteſt intelligi de vndecim apoſtolis vt illud verbū (dubitauerūt) nō referatur ad tempus iſtius apparationis ſed ad prius tēpus, quaſi diceret Euangeliſta: Nūc adorauerunt ipſi vndecim nō temere, ſed cū benè perſpexiſſent quod eſſet ipſe Ieſus, nam ipſi ijdem ante dubitauerant nec ipſum reſurrexiſſe crediderāt. Poteſt autem ſecundū hāc expoſitionem iſtud referri vel ad omnes vndecim apoſtolos, qui mulieribus Angelicū nuntiū deferentibus credere noluerunt ſicut dicit Lucas: vel ad multos ex ipſis vndecim, ſicut ad Thomā, & ad aliquot alios de quibus dicit Lucas, quod cōturbati & cōterriti exiſtimabāt ſe ſpiritū videre: *Data eſt mihi poteſtas omnis in cœlo &c.* Hoc intelligitur de Chriſto ſecundū humanā naturā, ſicut apud Ioan. dicit ſibi datā poteſtatē omnis carnis

Ioan. 17.
3. Par. q. 13. art. 2

carnis,id eſt,omniū hominū electorum vel iuſtorū,vbi petit ſe ſecundū humanam naturā glorificari. Thomas intelligit iſtud de omni potētia Chriſti abſolute,ſecūdū quā Chriſtus homo eſt &, vere dicitur omnipotens quia ille homo eſt Deus. Sed magis puto hic per poteſtatem intelligendā eſſe præfecturam, & Dominium, ſicut apud Ioannem dicit Chriſtus datam ſibi poteſtatem omnis carnis, Paulus Chriſtum dicit eſſe caput totius Eccleſiæ, & prælatū cōſtitutum ſuper omnes Angelos,& omnia ſubiecta ſub pedibus eius,Et Petrus Chriſtum eſſe conſtitutum omnium Dominū & iudicem mortuorum & viuorū. Omnis ergo poteſtas,id eſt,perfecta & integrum ſeu plenū dominiū. *in cœlo et in terra*,id eſt,ſuper omnes qui ſunt in cœlo,& qui ſunt in terra,ſiue ſuper omnē omnino creaturam; nomine enim cœli, & terræ, quæ ſunt extrema in corporali creatura,intelligitur vniuerſa creatura. A principio quidē cōceptionis hoc dominium ſecundū humanā naturam habuit Chriſtus, vnde dicitur natus rex Iudæorum & angeli agnouerunt eū Dn̄m omnium,Natus eſt (inquit) vobis Chriſtus Dn̄s,ſcilicet omniū: ſimiliter id ipſum & aliqui hoēs cōfeſsi ſunt, & in ſanatione hominum exercuit aliquantulū ſuam poteſtatē; ſed quia cōuerſatio eius cōmunis erat & ſimilis aliorū cōuerſationi, atq; coībus hominū miſerijs obnoxius,ita vt modicū in cōparatione humilitatis eſſet exercitiū iſtius dominij & pauci agnouerīt eū dn̄m omniū. Poſt reſurrectionē vero ipſe in ſeipſo oſtēdit poteſtatē ſuā, donando corpori ſuo victoriā cōtra mortē,& oēm miſeriā: & cæpit ex tūc ſe paulatim ſubtrahere ab humili conuerſatione: & quia intra breuiſsimū tēpus aſcēſurus erat ſuper oēs Angelos ab eis etiā ſecūdū humanam naturā tanquā dominus glorificādus,quia etiā in inferno hāc poteſtatē exer-

cap.17.

Ephes.1.

exercuerat & nunc incipiebant plurimi eius maiestatem agnoſcere, ideo dicit nunc ſibi datã omnem poteſtatẽ quoad executionẽ videlicet, & agnitionẽ. Pleniſsima verò executio & agnitio erit Domini in die iudicij extremi. *Euntes ergo.* Quanquam hæc coniunctio (ergo) in quibuſdam non reperiatur exemplaribus, ſemper tamen eam ſenſus requirit, qui eſt iſte: Quia ego ſum Dominus omnium, & iam per paſsionem meam poteſtatis meæ promeritus ſum executionẽ in vniuerſam creaturã, ideo nunc volo dilatare miſericordiam meam in homines naturæ meæ cõformes, voſq; meos legatos, vt neminem ab hac gratia excludatis, ſed omnibus eam communicetis conſtituo. Igitur *docete omnes gentes*

Matth.10 Ante dictum erat, in viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, nunc poſt reſurrectionem ad oẽs omnino gentes quantumuis barbaras, ac feras extenditur gratia ſaluatoris. Confundantur Iudæi qui noluerunt gentibus annunciari euangelium, qui etiamnum hodie dicunt ad ſuam ipſorum tantum ſalutem Chriſtum ſuum eſſe venturum. Confundantur Donatiſtę, in ſola Aphrica concludentes Chriſti Eccleſiam. Cõfundantur & hodierni hæretici in ſola Germania, verum Euangelium, veramq; Chriſti doctrinam tradi putantes. Docete, ſcilicet per vos aut per diſcipulos veſtros. Quid autem docturi eſſent ipſas

cap.1. gentes, ſatis explicuit Lucas. Oportet (inquit) in nomine eius prædicari pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum. Hoc vocat Marcus euangelium lętiſſimum. Eſt enim lętiſsimum nuntium veniſſe iam ſaluatorem, per quem & peccatorum abſolutionẽ, ac remiſsionẽ accipimus, & nouã vitam ducimus. Aug. li. de fide & oper. in quo eos refutat qui putabãt baptizãdis tãtum tradendã eſſe fidei doctrinã, non præcepta bonorum morum, quæ putabant traden-

tradenda iam baptizatis, docet ex ſcripturis & antiquiſsima Eccleſiæ Chriſti cõſuetudine, vtrunq;, id eſt, & fidem & doctrinam bonorum morum tradẽdam eſſe hominibus antequam baptizentur. Item in lib. de catechizandis rudibus. Et Hieron. contra errores Ioannis Hieroſolymitani. Quod autem hic dicit Chriſtus baptizandis tradendam eſſe doctrinam bonorum morum poſt baptiſmum, non ſic intelligendum eſt quaſi ante baptiſmum non debeant tradi hominibus præcepta bonæ vitæ ſicut ante ſuum baptiſma etiam fecit Ioannes Baptiſta, ſed quia homines iam baptizati adhuc egent quotidiana doctrina, exhortatione, admonitione, correptione, vt opere perficiant id quod in baptiſmo profeſsi ſunt. Senſus igitur eſt: Antequã baptizabitis homines, docebitis eos doctrinam fidei & morum, poſtquam verò baptizaſtis, vobis non eſt ceſſandum, ſed perpetuò adhuc ipſis docẽdis & corripiendis inſtandum. Nomine doctrinæ intelligenda ſunt hic veritatis prædicatio exhortatio & correptio &c. Porrò ex hoc quod dicitur (Docete omnes gentes) patet iuris eſſe diuini quod cathecilmus ſiue doctrina ſeu inſtitutio præcedat baptiſmum, non quin verus ſit baptiſmus, ſi tradatur ſine doctrina præuia, ſed quia nihil prodeſt baptizatis ſine fide ſi adulti fuerint, fides autem non habetur niſi ex doctrina. In neceſsitate tamen ſufficit tanta verba profiteri quibus omnia continentur prætermiſſo cathecilmo pleniori, & ſic accipere baptiſmum. Sicut iure diuino tenetur quidem baptizandus fidem ſuam cõfiteri per ſe ipſum, ſi tamen non poſsit ſufficit ſi per alium. Argumentantur hic Anabaptiſtæ: Paruuli non poſſunt doceri, ergo nec baptizari. Sed conſequentia non valet, quamuis enim vtrumq; requiratur ad ſalutem fides & baptiſmus, Deus tamen vbi adeſt vnum, al-

terum quod necessitate excluditur supplet, sicut iã diximus quod in necessitate supplet defectum plenæ doctrinæ, quæ tamen extra necessitatem omnino requiritur. Sic Augustin. & Bernardus. Rursus antecedens non est verum, quia paruuli antiquissimo ritu ab Apostolis instituto, & baptizantur, & cathecizantur, & abrenunciant Sathanæ, & credunt per Ecclesiam, quæ ipsis & os & cor maternum præbet, & commodat. De quo pulchrè Dionysius Areopagita, & Augustinus. *Baptizantes* id est, abluentes eos corporaliter, siue tangentes aqua, *In nomine patris &c.* id est, inuocato super eos nomine patris & filij, & spiritus sancti. Quid per hoc intelligatur (inuocato &c.) satis patet ex Actibus Apostolorum, vbi Ananias dicit Paulo: Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipsius, hortans eum ad baptismum. Quod verò inuocatio ista debeat fieri sub præscripta forma verborum non habetur necessariò ex grammatico sensu istorum verborum, quæ hic ponit Matthæus, nec ex Actis vbi dicit Petrus: Pœnitētiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum & accipietis donum spiritus sancti, nã ista verba (quantum ad grammaticum sensum spectat) sic intelligi possunt: Baptizate eos in nomine patris, &c. id est, ad honorem patris & filij &c. aut vice & authoritate patris &c. Cæterùm significari certam verborum formam habemus ex traditione Ecclesiæ, & veterum Doctorum. Cyprianus enim in epist. ad Iubaian. Basi. in lib. de spi. sanct. Epiphanius in præfatione ante hæreses. Didimus lib. 2. de spiritu sancto, qui habetur inter opera Hieronymi, & Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donatistas, formam verborum qua in baptismo vtimur dicentes: Ego baptizo te in nomine pa-

In fin. lib. cont. Donat. de baptism.
Epist. 77. ad Hugon.
In fine lib. hierar. eccl.
Epist. 2. & 3. item li. 1. de pec. mer. cap. 19. 20. & 25.
Act. 22.
Cap. 2.
Basil. ca. 10 & sequent. & lib. 3. cõ Eunon. in fine.
Aug. contr. Dona. c. 14 & 15. & li. 6. ca. 26. alias 25.

ne patris & filij & ſpiritus ſancti, intelligunt præſcribi hoc loco à Christo. Id etiam ſatis conſtat ex locis citatis non eſſe baptiſmum ſi non exprimãtur tres perſonæ diſtinctè. Qua de re vide Auguſtinum, Innocentium primum, & Theophylactũ. Quę quidẽ perſonarum trium expreſsio quam rectè nobis fieri ſpecialiter præcipiatur, manifeſtum ex eo euadit, quod baptiſmus ſit ianua ſacramentorum, quo fideles primo aggregantur Christo, ac filij Dei fiunt: nec cuiquam conferatur niſi in has tres perſonas, à quibus omne bonum prouenit credenti. Vide Baſilium de ſpiritu ſancto, & Auguſtinum. Nomen ponitur hic pro re nominata. Nomen (inquit Hieronymus) trinitatis, vna diuinitas eſt. Sic & Auguſtinus: Sic in Deuteronomio. Niſi timueris nomen eius glorioſum atque terribile, id eſt, Dominum Deum tuum. Eſt ergo ſenſus huius: Baptizo te in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti: Ego te corporaliter abluo aqua inuocando ſuper te vnam diuinitatẽ, potentiam, ſapientiam, bonitatem, patris & filij & ſpiritus ſancti, vt ipſi per ſuam diuinitatem & pietatem mundent & lauent te à peccatis. Quibus verbis refutatur hæreſis Sabellij dicentis, non eſſe diſtinctos patrem, filium, & Spiritum Sanctum, nam hic apertè diſtinguntur. Refutatur etiam hic hæreſis Aërij, & Eunomij docentium filium & ſpiritum ſanctum eſſe creaturas: quomodo enim filius & ſpiritus ſanctus habent vnũ nomen cum patre, ſi non ſunt vnus Deus cum ipſo? Et cum connumerentur hic ipſi patri tanquam origo regenerationis, remiſsionis peccatorum, & totius ſanctitatis noſtræ, clarè conſequitur quod ſint vnus & verus Deus. Vnde ex iſto loco ſtatuit diuinitatem ſancti ſpiritus Baſilius lib. de ſpir. ſan. ca. 10. Et fuſiſsimè M. Sent. lib. 1. ſent. diſtin. 10.

Aug. lib. 3. cont. maxi. ca. 17. Innocẽ. in epi. ad Epiſco. Macedoniæ Theo. in ul. cap. Luc. Baſil. ca. 12 Aug. lib. 6. cont. Dona. cap. 3. Lib. 3. cont. max. 16. Dut. 28.

Luc.1. Porrò relatiuam oppositionem quæ est inter patrem & filium aliquousq; quamuis valdè modicè intelligimus ex creaturis. Relationem verò illam quam habet spiritus sanctus ad patrem & filium non ita ex creaturis intelligere possumus, quòd tertia persona non habet nomen ita relatiuum, sicut duæ personæ priores. Tribuitur enĩ ei nomen hoc spiritus sanctus propter nominis specialis penuriã. Idq; conuenientissimè, Spiritus enim maximè ipsam diuinitatem, quæ est omnino incorporea, nec loco, nec tempore circumscripta infinitæ magnitudinis, & virtutis significat.

Sanctus verò eam ab omni malò puram, naturaliter bonam, àqua omnia suam sanctitatem, & bonitatem habent disignat. Quare ex eo quod tanquam distincta persona, connumeratur spiritus sanctus patri & filio, satis nobis indicatur distincta eius relatio, quam habet ad patrem, & filium, quæ nobis est incomprehensibilis. In baptismo autem specialiter pręcipitur vt exprimantur tres personæ diuinæ, quia est ianua sacramentorum, per quã fideles primò aggregantur Christo, & per fidem fiant filij Dei. Cum igitur fides propriè circa tres personas sit quemadmodum ex symbolo liquet, & verum totumq; bonum quod habemus & speramus à patre filio, & spiritu sancto proueniat meritò in primo sacramento fidei à Ioanne Baptista tres personæ exprimuntur, & si fieri potest etiam à baptizando in suæ fidei confessione. Vide Basilium lib. de spiritu sancto cap. 12. & Augustinum lib. 6. do baptismo contra Donatistas cap. 25. vbi dicit symbolum nostrum constare his angelicis verbis. In nomine patris, & filij, & spiritus sancti, quia videlicet tres sunt partes symboli iuxta tres personas. Iisdem de causis Ecclesia dum Dei laudes decãtat tres personas exprimere nõ cessat vt dum

hæc

hæc frequentat, Gloria patri, & filio, &c. & Te Deũ laudamus &c. & in sacrificio, Sanctus, Sãctus, Sanctus. Et generaliter in omni oratione, eam hoc pacto concludens, Qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti Deus &c. Sicuti autem Christus hic modum baptizandi tradidit, ita quadraginta illis diebus ante ascensionem dum multa de regno Dei loqueretur etiam de cæteris sacramentis locutus est. Vnde Ioannes dicit eum Apostolis suis dedisse potestatem remittendi, & retinendi peccata: omnibusque præfecisse Petrum. Et Lucas eum aperuisse sensum Apostolis vt intelligerent scripturas. Ita quoque verisimile est eum de baptismo infantum de Eucharistia, de non iterando baptismo, alijsque similibus ad gubernationem Ecclesiæ pertinentibus multa locutum fuisse, quæ demum adueniente Spiritu Sancto plenius intellexerunt Apostoli. *Docentes eos seruare omnia.* Omnia dicit, quia vnius præcepti transgreßio salutem auferre potest (teste Iacobo Apostolo dicẽte, Qui offendit in vno factus est omniũ reus). Aduertendum est Christum Apostolos suos de omnibus instruxisse, quæ requiruntur ad qualescunque status omnium hominum, saltem post missum spiritum sanctum, & occurrentem hominum necessitatem: Et ideo illud *(quæcunque mandaui uobis)* non sic intelligendum est quasi nihil mandare deberent Apostoli præter id quod Christus expreßè præceperat; sed intelligendum etiam est de his quæ Christus implicitè tantum præceperat, vel ad quæ præcipienda ipsis Apostolis dederat authoritatem: sicut Apostolus Paulus præcepta sua quæ ipse statuerat obseruanda in conuentu Ecclesiæ, Domini dicit esse mandata. Sub mandatis intellige etiam consilia quæ non minus vult Dominus proponi, & doceri, quam ipsa præcepta. *Et ecce ego uobiscum sum*

Marginal notes: *Cap. 20.* (beside "Apostolis suis dedisse"); *Cap. 2. epi.* (beside "Qui offendit in vno"); *1. Cor. 14.* (beside "sicut Apostolus Paulus").

sum omnibus diebus. Res maxima consideratione digna & omnis consolationis plena. (Ego) magnam habet emphasim quasi dicat. Ego Deus & homo, Dominus cœli & terræ, ego qui pro vobis homo miser fieri, & per crucem mori volui, ego qui nũc ago vitam immortalem vobiscum sum scilicet cum vobis vndecim, & omnbus discipulis meis, qui sequentur fidem vestram: Loquitur enim omnibus fidelibus tanquam vni corpori, omnes enim vnum corpus sunt vnitate continuæ succesſionis sicut ciuitas multis sæculis vna permanet, etsi homo nullus sit in ea qui fuit cum fundaretur. Sic dicit etiam apud Marcum saluator Apostolis loquens: Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate.
Cap. 13. Nam ipsi Apostoli non erant permansuri vsq; ad consummationem sæculi: & de animabus Apostolorum non videtur esse Christus solicitus, nam etsi statim Apostoli fuissent mortui, & multi fideles fuissent subsequuti, potuissent dicere quod cum animabus eorum esset futurus vsq; ad consummationem sæculi, hoc autem non vult: sed sentit perpetuo vsque ad diem iudicij extremi, futuros qui credent in eum, & seruenter diligent, quasi diceret: bene confidite vos facturos in gentibus, nec vobis metuatis in hoc periculoso sæculo, propter meam corporalem absentiam, quia ego vestræ progeniei quam per euangelium gignetis, adero, vt non deficiat. *vsq; ad cõsummationem sæculi.* Hoc dicit nõ quod postea non sit futurus cũ illis, sed quod minus verisimile videbatur explicat, vt muniat eos ac roboret contra pericula quæ in hoc sæculo imminent non in futuro. Nobiscum est Dominus Christus non secundùm propriam speciem humanæ naturæ, sed secundùm diuinitatem suam & corporalem præsentiam in sacramento Eucharistię. Nobiscum inquam est tanquam rex & gubernator, & protector

ctor electorum suorum, qui eos à peccatis præseruat, & peccatorum concupiscentias vincere facit, tanquam propitiator peccatis eorum ignoscens, precesq; misericorditer exaudiens: Vnde Moyses; Non est alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostrisEx his dictis manifestum euadit in quantis versentur tenebris Lutherani, & Caluinistæ, asserentes Christianos plus mille annis in religione Christiana errasse, ac nunc primum verum scripturæ sensum sibi reuelatum esse. Cœci certè sunt, & cœcorum duces, nã si ita esset, Christus hic mentitus esset, aut etiã in religione errasset, nequaquam enim vsq; ad consummationem sæculi suis adesset, imò neq; vsque ad hæc nostra sæcula. Aut si ipsi eius discipuli esse volunt, & hãc promissionem sibi attribuũt, ostendãt doctores suos qui suum Lutheranismum aut Caluinismum ad hæc vsque nostra tẽpora docuerunt continua successione, & fideles eos esse demõstrẽt qui eis crediderunt. Cæterùm licet Christus habiturus sit semper fideles seruos, non tamen sequitur nos perpetuò permansuros fideles, aut in his regionibus semper mansuram fidem. Quare cum timore & tremore debemus semper nostram salutem operari, ac dicere: Ne derelinquas nos Domine Deus noster. Mane nobiscum Domine, ne nos inducas in tentationem. Adiutor meus esto Domine Deus meus, Et spiritum tuum ne auferas à me. Deut. 4.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

FINIS.

Commentarius D. Hesselij in Matthæum, uidetur mihi eruditus, catholicus, & dignus qui excusus distrahatur.

Molanus.

Fol.8.lin.10.ferunt,fol.9.b.lib.32.trinominis,fo.24. lin.4.suscipit,fol.33.lin.32.de lege sua,fol.52.lin.25. præcipit Christus,fo.61.lin.22.damnati videant,ait, fol.73.b.lin.29.Iacobo, fol.74.lin.11.est de quo.fol-liu.1.Vel sicut primis,Ibidem lib,3.commendare,fo 78.lin.7.circumeundo, ibid lin ult.honore populū descr,fol 78,b lin 28.cum fortiores,fol,89.lin,14.Sidoniorum,fo 82 lin.11 ex Ioannis dubit. Ibid.b lin. dominis,126.b.lin.4.dicit saluator,127.b.lin.3.infideles,133.lin,ult.tactu,132.b,10 peccatorem,137 lin,21 adiutorium,153.lin.13.dicitur.158.lin.25.folijs 165.li. 10.dialecticam 166.lin.21.dignatur, ibi.lii.2.& bonis per bonos & malos,171.b.lin.18.destitutæ,175.b.lin. 29.præsentium 181.lin.26.fundamenta,183.b.li.fieri 185.lin.27.impedirent,188. lin.32.tumore 190 b.lib. 30.& quod postea,192.lin.31 septempliciter,196.b.li. 3.ætas quæ.ibid.lin.15.accepêre, 197.lin.34. vide in Ibid.lin.11.quia id eum sensisse hinc liquet in tert. &c.199.lin.2. vbi,ibid.15 nam in 200.lin. 33. omni tempore,ibid,17 proportionem,201. lin.5. fidelitas, prudentia &c. Domino vocatio,204.b.15 emptnras 205.lin.12.inordinatione,206 b lin,vnde scit, ibibd. 26 uobis & vobis,207.b lin.18.etiam impij, Ibid.32 32.petentium,211.lin.1.timentium Deum,214.b.lin. lin.17.215.lin 25. serum forct.216.b lin quoque 217. lin,19.Ego,Ibid.26 alibi,218.lin 8.eis,Ibi 9.perpetuā scio,220.reducant filios Israel,224.lin 29 vbi in,231. lin.29.non autem,237.lin 21.ne quibusuis alijs & ipsi ea,241.b lin 18 perderet, 247 b lin 21.quum cal. 253.lin 1,deiectus, 259 lin ult.serti, 261.lin vlti.& vt ibid.Noluit,264.lin 28.vlumr 266.b. lin 2 arrogauerit,272 lin 2 quasi,Ibid 17 velit,Ibid 2 enim, 275. lin 18 ieiuno bis,277 b lin penult angelis,208 lin 21 reuolutionem.Ibidem concursum.